Dyškević

PHILOSOPHIA
MORALIS.

AUCTORE

C. WILLEMS
S. THEOLOGIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORE
PHILOSOPHIAE IN SEMINARIO TREVIRENSI PROFESSORE.

TREVERIS
EX OFFICINA AD S. PAULINUM.
1908.

PHILOSOPHIA
MORALIS.

AUCTORE

C. WILLEMS,
S. THEOLOGIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORE,
PHILOSOPHIAE IN SEMINARIO TREVIRENSI PROFESSORE.

Dr. Carević

TREVERIS
EX OFFICINA AD S. PAULINUM.
1908.

Liszt. Lehrbuch des deutschen Strafrechtes. Berlin 1905[15].

Imprimi permittimus.

Treviris, die 22. Junii 1908.

Vicariatus in spiritualibus generalis
Reuss.

Lectori!

Initio philosophiam mihi tractanti in animo non fuit, etiam philosophiam moralem scribere; inde est, quod aliquas quaestiones, quas alii in scientia ethica exponunt, praesertim doctrinam de fine hominis et de libertate voluntatis humanae, iam in prioribus voluminibus explicavi. Quoniam autem multi me rogabant, ut opus meum philosophicum per ethicam complerem, in animum induxi his votis obsecundare, praesertim quum perspicerem scientiam ethicam quasi apicem esse et fructum totius philosophiae; non enim scholae, sed vitae discimus. Per ethicam igitur comprobatur, qualis sit philosophia; quae nisi sit fundamentum aptum vel sufficiens, cui praecepta ethica innitantur, apparet, eam esse falsam atque reprobandam. Accedit, quod hodie plurimi philosophi scientiae morali dant operam, alii desperantes de philosophia theoretica, alii in principiis ethicis novum fundamentum philosophiae theoreticae collocantes. Nos vero principiis ethicis *veterum* insistentes, philosophiam moralem eam proponimus, quae tum cum natura hominis et veritate christiana conformis invenitur, tum fundamentum unicum et necessarium vitae socialis atque politicae et temporis anteacti et nostri quoque aevi apparet.

Quemadmodum igitur in prioribus voluminibus nova et vetera amico foedere tractavimus, ita etiam in hoc volumine — imo magis quam in prioribus — rationem habuimus tum historiae scientiae ethicae, tum status moralis, socialis, oeconomici et politici necnon legislationis nostri temporis, ut plenior habeatur cognitio ethicae maiorque utilitas studii huius scientiae philosophicae omnium maxime practicae. Quodsi in hisce factis proferendis plus iusto prolixus fuerim vel in aliquibus erraverim, benignus lector mihi ignoscat et bonae intentioni meae tribuat; est enim difficile, in hac re materiam aptam undique congerere omniumque vota explere. — Quamvis tum in materia disponenda, tum etiam in singulis quaestionibus ab aliis auctoribus paulisper discesserim, haec differentia tamen non est nisi accidentalis. Quum „quaestio socialis“ hodie tanti sit momenti, ea in appendice in fine libri separatim tractanda esse videbatur, ipsis principiis in ethica demonstratis ad vitam socialem nostri temporis applicatis.

Sicut in prioribus voluminibus, ita etiam in hoc praesente illam materiam, quae in re ethica fundamentalis atque necessaria videtur, asterisco in indice notandam esse putavi; insuper multa litteris minoribus imprimenda

curavi, quae facile omitti possunt, si tempus omnia pertractandi deficit. — Hanc quoque partem philosophiae, licet maxime practicam et ad vitam quotidianam pertinentem, latino sermone exposui ex rationibus, quas iam in praefatione voluminis primi explicavi; hoc enim modo cum omnibus fere hominibus literatis omnium gentium christianarum conversari licet. Nihil tamen impedit, quominus philosophia moralis, sicut et aliae partes philosophiae, si opus videatur, linguâ maternâ doceatur, quemadmodum ego ipse patrio eam sermone trado. Denique addendum est, me nonnunquam a severiore forma scholastica docendi discessisse, ita ut solum materiam fundamentalem thesibus proposuerim, alias autem quaestiones modo liberiore atque faciliore explicaverim, id quod lectori benevolo non ingratum foro spero.

Treviris, die festo resurrectionis Domini, 1908.

Tabula materiae.[1]

[1] Quae ad substantiam philosophiae moralis pertinere videntur, asterisco notantur (cfr. supra p. I et vol. I, p. VI et XVII; vol. II, p. V).

Liber tertius: De causis sive fontibus actus moralis.

pag.

Liber secundus: De iuribus et officiis in specie.

Sect. I. Ethica individualis.

Caput I: De officiis erga Deum.

Caput II: De officiis erga nos ipsos.

pag.

Caput III: De officiis erga proximos.

Philosophia moralis.

Introductio.

1. **Notio:** Philosophia moralis est illa pars philosophiae, quae res considerat, inquantum referuntur ad voluntatem nostram. Res enim, ut initio logicae diximus (p. 7), considerari possunt, tum ut sunt in se ipsis — et tunc habetur scientia metaphysica sive generalis sive specialis — tum ut referuntur ad potentias nostras. Quodsi referuntur ad intellectum, habetur logica et formalis et materialis; si vero ad voluntatem referuntur, habetur scientia practica. Iam vero haec potest duplici modo circa res versari: primum in quantum res physice per activitatem humanam immutantur, i. e. certus ordo in *rebus* constituitur secundum leges naturae vel artium ad usus nostros sive ad delectationem humanam, et hoc modo habentur artes mechanicae et communes vel etiam liberales; secundo in quantum res referuntur ad perfectionem et finem naturae nostrae ipsius, i. e. certus ordo in *ipsis voluntatis actibus* efficitur ad bene honesteque vivendum, in quo ordo moralis consistit. Hoc igitur modo constituitur philosophia moralis; est igitur illa scientia, quae activitatem humunam considerat, in quantum secundum ordinem legesque morales exercetur. — Haec autem philosophiae moralis descriptio potius quam definitio magis explicanda est.

2. **Definitio:** Duplex habetur definitio philosophiae moralis: altera *nominalis*, altera *realis*. a) Nominalis derivata est ab ipsa significatione vocis et designat philosophiam, i. e. scientiam morum ex ultimis causis suis.[1] Iam vero mores, teste s. Thoma,[2] possunt significare primo inclinationem quandam naturae, ex qua oritur constans quidam atque uniformis modus agendi, et sic etiam bruta dicuntur mores habere; secundo significant consuetudinem aliquam ex iterata actione

[1] Sic iam Aristoteles (Ethica Nicom. II, 1) nomen Ethicae ἠθική ab ἦθος derivat ab ἔθος (a radice σϝεθ, latine suetus, germanice olim situ, nunc Sitte), et post ipsum S. Thomas: „Et hae quidem duae significationes (mores ut indoles naturae in brutis, et consuetudines liberae in hominibus) in nullo distinguuntur apud Latinos quantum ad vocem; in graeco autem distinguuntur. Nam ethos quod apud nos morem significat, quandoque habet primam longam et scribitur per η, graecam litteram; quandoque habet primam correptam et scribitur per ε (S. Theol. I, II, qu. 58, art. 1).

[2] S. Theol. l. c ; cfr. opus egregium: Frins, De actibus humanis 1904, II, 8.

libera ortam et quasi alteram naturam factam sive in singulis hominibus sive etiam in quibusdam coetibus vel communitatibus hominum, e. g. consuetudo quaedam sese vestiendi, salutandi, conversandi etc. Patet, non sensu primo mores esse obiectum philosophiae moralis, sed altero sensu, sc. actiones quae ex libera voluntate humana proficiscuntur. Neque vero, ut patet, omnes illi mores pertinent per se ad obiectum scientiae moralis, sed illi tantum, qui vitam humanam in se ipsam honestam reddunt, ac proinde ex voluntate libera humana iam in se honesta oriuntur. Deinde philosophia moralis non solum modum constantem honestae activitatis considerat, sed etiam singulos actus, qui nisi iam essent in se honesti, non posset mos honeste agendi, qui virtus vocatur, saltem modo naturali oriri. Convenit igitur moralitas cum moribus eo, quod ex natura nobis inest indoles et tendentia amorque virtutis, et quia actus voluntatis liberos supponit; differt a moribus, quia hi non semper sunt honesti, neque in singulis actibus qua talibus insunt. Philosophia igitur moralis, si eius definitio nominalis spectatur, designat activitatem liberam humanam, in quantum ex principio honesto oritur vitamque humanam in se honestam reddit. Hoc modo iam accedimus ad definitionem realem philosophiae moralis.

b) *Definitio realis: Philosophia moralis est illa scientia, quae ordinem rectum actuum humanorum ex principiis suis ultimis naturalibus explicat.* Vocatur *scientia,* quia obiectum suum, i. e. actus humanos honestos ex causis suis idque systematice sive cognitione ordinata (cfr. Logicam, p. 90) explicare conatur. Porro eius *obiectum materiale* sunt actus humani, i. e. actus liberi voluntatis, qui ex praecedente deliberatione oriuntur (cfr. Psychol. II, p. 352, 363 sq.), iique tum eliciti, tum imperati (ibid. p. 359 sq.): illi quidem proprie et per se, alii per accidens, i. e. in quantum subsunt imperio ipsius voluntatis. Deinde *obiectum formale* est rectus ordo actuum humanorum, qui ordo rectus non significat quemcunque ordinem per voluntatem humanam in rerum natura productum, e. g. in bibliotheca ordinanda, sed illum, qui in actibus voluntatis liberis ipsis adesse debet, ut conveniant *tum fini tum naturae hominis,* qua in convenientia, ut postea ostendemus, ordo moralis sive moralitas invenitur. Conceptus autem et nomen: moralitas sive morale, in ipsa definitione philosophiae *moralis* evitanda erant, ne idem per idem definiatur. Per obiectum suum materiale philosophia moralis differt ab omnibus artibus et communibus et liberalibus, per obiectum suum formale a psychologia, quae etiam actus voluntatis ipsos considerat, sed sub ratione nexus psychologici, non moralis.

Hunc autem ordinem rectum, sive moralitatem philosophia moralis explicat atque demonstrat ex *principiis suis,* i. e. ex causis suis

tum internis, investigans naturam ipsius moralitatis actuum humanorum, tum externis, causas et efficientes et finales („factores") actus moralis scrutans, easque ultimas, ut philosophia moralis distinguatur a scientia paedagogica, iuridica, politica, sociali, quae licet de actibus humanis etiam moralibus versentur, eos tamen ex causis proximis derivant, siquidem supponunt ethicam generalem et ab ea principia sua mutuantur. Quum omnis ordo legibus quibusdam normisque constituatur atque diiudicetur, philosophiam moralem possumus etiam brevius definire: *scientia de supremis legibus actuum humanorum, in quantum naturae et fini hominis conformes sunt.* Tandem dicitur in definitione: ex principiis *naturalibus,* ut indicetur, philosophiam moralem ordinem rectum legesque morales actuum humanorum per solam rationem humanam ex veritatibus viribus nostris certo cognitis derivare atque probare, non ex principiis theologicis, quae revelationem divinam supponunt. Hac igitur ratione philosophia moralis differt a theologia morali. Attamen nullo modo haec revelatio divina neganda vel negligenda est etiam quoad ordinem moralem naturalem; potest enim ea, quae philosophia docet, confirmare certaque reddere, hancque tueri ab erroribus, qui tam facile in re morali irruunt, attenta vi passionum nostrarum, et, teste historia, nimis saepe hanc scientiam tum antiquis, tum nostris temporibus foedabant. Itaque etiam in re morali, sicut in tota philosophia, immo rei gravitate considerata, praesertim in philosophia morali revelatio divina tanquam stella rectrix respicienda, tanquam pharus omnibus in hoc mari vitae nostrae navigantibus procul visibilis habenda est, ne in scopulos incidentes misere pereamus (cfr. Logicam, p. 5 sq.).

Philosophia moralis numquid etiam ars vocari potest? Ars distinguitur docens et utens; illa regulas agendi systematice tradit et explicat; haec regulas illas in operibus ipsis exercendis applicat. Profecto est philosophiae moralis, regulas bene agendi docere easque ex principiis supremis derivare; est igitur ars docens. Iis autem, qui has regulas addiscunt, et ad vitam ordinandam applicant, est etiam ars utens; immo hic debet scopus esse omnis institutionis; neque enim scholae, sed vitae discimus. Inde est, quod Aristoteles hanc disciplinam ad vitam ordinandam induxerit[1]), quum libros suos ethicos scriberet, ut filium suum Nicomachum doceret, quomodo vitam suam honeste institueret. Immo veteres philosophiam tanti faciebant, quia ex ea vitae emendationem sperabant. Ita Cicero: „Omnis a philosophia petenda correctio est . . o vitae philosophiae dux! o virtutis indagatrix expultrixque vitiorum! . . . Tu inventrix legum, tu magistra morum et disciplinae fuisti. Ad te confugimus, a te opem petimus, tibi nos . . . penitus totosque tradimus. Est autem unus dies bene et ex praeceptis tuis actus peccanti immortalitati

---

[1]) Ethica Nicom. X, 10.

anteponendus."[1]) Immerito igitur aliqui philosophi cum Stange[2]) videntur negare, philosophiam moralem non solum theoreticam, sed etiam practicam esse scientiam, quae nos doceat, quomodo vita honesta sit instituenda, ut finem nostrum consequi possimus. Profecto nulla ars solum ut theoria addiscitur, e. g. ars dicendi, pingendi, medicandi etc., sed ut eam etiam exercere possimus; ars vero, vitae honestae instituendae, omnium maxima est atque difficillima, siquidem agitur de assimilatione naturae et activitatis nostrae ad Dei ipsius infinitam perfectionem ac pulchritudinem.

3. *Fontes et methodus.* Fontes praecipui philosophiae moralis sunt experientia interna, quae in rebus moralibus proprie vocatur conscientia, et est ipsa recta ratio nostra, docens quid faciendum, quid omittendum sit. Fundatur vero haec conscientia in cognitione rationali de natura et fine hominis; supponit igitur leges cogitandi et veritates illas, quas in psychologia et theologia naturali de natura humana et de Deo probavimus. Ethica enim sine metaphysica esse non potest semperque systemata ethica redolent metaphysicam auctorum suorum.[3]) Accedit experientia externa historiaque culturae humanae, quae ostendit, quid alii homines temporis tum praesentis tum praeteriti, docti atque indocti, culti et inculti in rebus moralibus dicant atque dixerint.

Ex dictis iam apparet, qualis methodus adhibenda sit, scilicet et analytica et synthetica pro natura quaestionis: illa, ut ex factis certis experientiae exsistentia et natura moralitatis cognoscatur; haec, ut actus morales ex causis suis ultimis explicentur. Respuimus igitur theorias morales illorum, qui cum Rationalistis totam rationem moralitatis ex natura humana sola (sive ex dignitate naturae humanae, sive ex imperio absoluto rationis practicae etc.) repetere conantur, exaggerantes methodum syntheticam; deinde eos quoque, qui, methodum analyticam nimium extendentes, ordinem moralem sive ex effectibus actuum humanorum (ex bono sive privato sive communi), sive ex historica evolutione (ex moribus, legibus, vi, fraude humana etc.) ortum esse opinantur.

Est autem advertendum, quod iam Aristoteles monet,[4]) argumenta in re morali vix unquam mathematicam prae se ferre certitudinem, ut Spinoza in sua Ethica more geometrico demonstrata, falsis innixus axiomatibus, praetendit; sed adest pro rei natura potius certitudo moralis, quae licet vera sit certitudo, frequentius tamen admittit exceptiones propter defectum voluntatis humanae, et supponit plerumque actum voluntatis assensum imperantis, quia certitudo

[1]) Tuscul. V, 2. [2]) Einleitung in d. Ethik, 1901, p. 6 et 41 sq. — Multo rectius Paulsen, System der Ethik, 1900[5], I, 24 sq., de hac re sentire videtur.

[3]) F. J. Stein (archiepiscopus Monacensis). Histor.-krit. Darstellung der pathologischen Moralprinzipien, 1879[2], p. 14 sq.

[4]) Ethica Nicom. I, 1 (1094 b. 12).

moralis in genere est certitudo libera (cfr. Logicam, vol. I, p. 126—134, 241 sq.). Inde est, quod haec scientia prae omnibus supponit animum bene morigeratum, neque passionibus obcaecatum, qui velit legibus se subicere moralibus, quod Aristoteles sapienter initio ethicae[1]) suae advertit, ipseque saepe appellat ad virum *probum* tanquam „normam et mensuram" honestatis, cuius sententia sola in hac re audienda sit et approbanda.[2])

4. *Necessitas atque praestantia philosophiae moralis.* Quum haec scientia doceat, quomodo et cur vita humana honeste sit instituenda, qui sit finis naturae humanae et quomodo obtineatur, patet, eius aliqualem cognitionem omnibus hominibus maxime esse necessariam. Iure enim Cicero: „Fine in philosophia constituto, constituta sunt omnia; nam ceteris in rebus sive praetermissum sive ignoratum est quippiam, non plus incommodi est, quam quanti quaeque earum rerum est, in quibus neglectum est aliquid. Summum autem bonum si ignoretur, vivendi rationem ignorari necesse est. Ex quo tantus error consequitur, ut quem in portum se recipiant, scire non possunt. Cognitis autem rerum finibus, quum intelligitur, quid sit et bonorum extremum et malorum, inventa vitae via est, conformatioque omnium officiorum."[3]) Nostro autem tempore maior adhuc huius scientiae habetur necessitas. Multi enim negantes Dei personalis exsistentiam, ethicam privant fundamento suo firmissimo, docentes ethicam „laicam", quam cum religione ipsa confundunt, ut societates „culturae ethicae" primum in America ab Adler et Sarter, deinde in Anglia et Germania (hic praesertim a W. et F. W. Förster, Gizycki, Jodl, Döring, K. et Th. Ziegler etc.) fundatae atque periodicis et libris propagatae.[4]) Alii omnem omnino certam et immutabilem veritatem negantes, libertinismum atque scepticismum moralem statuunt cum Stirner, Nietzsche eorumque admiratoribus, alii saltem leges civiles repetunt ex solis factis historicis, sive ex statu culturae cuiusvis aetatis et populi, unde non mirum, socialismum inde esse ortum, iura ordinemque civitatis omnem respuentem. Accedit, quod hodie tot exortae sunt quaestiones sociales, tum in vita privata, tum publica, quae omnes sine principiis certis moralibus solvi non possint. Patet ergo, quanta sit tum praestantia tum necessitas philosophiae moralis.

5. *Historia philosophiae moralis.* Ex antiquissimis temporibus multae exsistunt regulae morales, quae sapientibus diversis, ut Laotse Sinensi, septem

[1]) Ethica Nicom. I, 1 (1095); I, 2 (1095 b). (Editio latina Academiae regiae Borussicae, 1831.) [2]) L. c., III, 6; IX, 4; X, 5. [3]) De finibus bonorum et malorum, V, 6.

[4]) Periodica in America: The open Court 1887, Monist, International Journal of Ethics 1890; in Germania: Mitteilungen der Gesellschaft f. ethische Cultur, 1894; Ethische Cultur, 1893; Ethische Umschau, 1896. Cfr. Ueberweg-Heinze, Grundriss d. Gesch. d. Philos., 1902[9], IV, 348.

sapientibus Graecorum, Pythagoraeis tribuuntur.[1]) *Socrates* etiam et *Plato* rebus moralibus multam operam contulerunt; *scientia* tamen philosophiae moralis, i. e. systema legum moralium ex causis suis ultimis derivatarum, non fuit creata nisi ab *Aristotele*, qui et philosophiam moralem, sicut alias partes philosophiae, ita constituit, ut usque hodie fundamentum sit omnis inquisitionis scientificae. Tres autem olim Aristoteli tribuebantur Ethicorum scripta: Ethica ad Nicomachum, ad Eudemum, Ethica magna. Ethica ad Nicomachum, libris decem constans, certe est opus Aristotelis, quod filio suo Nicomacho dedicavit ad eius mores instruendos. Ethica ad Eudemum, constans septem libris, ab aliquo Aristotelis discipulo conscripta est; magna autem Ethica non est nisi compilatio quaedam ex prioribus, a stoico aliquo philosopho facta. Praeter ethicam Aristoteles etiam alios libros scripsit ad philosophiam moralem pertinentes: de virtutibus et vitiis unum libellum, de re publica octo libros, de oeconomia duos libros, hoc modo totam materiam in re morali quasi comprehendens atque absolvens. Fateudum tamen est, Aristotelem in nonnullis gravibusque quaestionibus ethicae vel falli vel saltem ancipitem haesisse, praesertim quia ultimum hominis finem veramque honestatis normam non satis perspectam habebat.[2])

Aristotelis ethica innixi, postea *Stoici* et *Neoplatonici* quaestionibus moralibus magnam operam adhibebant, a recta tamen via, utpote pantheistae, saepe deflectentes. Scientia ethica christianorum primis saeculis, quam praesertim *Clemens Alexandrinus* (cohortatio, paedagogus, stromata), *Origines*, *Ambrosius* (de officiis), *Augustinus*, *Gregorius M.*, *Isidorus*, *Beda* vener. aliique explicabant, potius in evangelio fundabatur. Medio autem aevo, sicut omnes aliae scientiae rationales, ita etiam ethica naturalis tractabatur, licet tanquam fundamentum *theologiae* moralis. Ita iam *Abaelardus* († 1142) ethicam (Scito te ipsum) tradebat, nimis forte extollens scientiam vitamque moralem veterum sapientum. Scriptis autem Aristotelis latine traductis et in occidente pervulgatis, principes scholastici principia ethicae Aristotelis mutuati, hanc scientiam plene excolebant, purgantes eam ab erroribus veterum; sic *Petrus Lombardus* († 1164) in 4 libris sententiarum (lib. II, dist. 24, 27, 34, 38—44; lib. III, dist. 23—40); *Alexander Hallensis* († 1245) in „Summa universae theologiae". Inprimis vero etiam studio ethicae operam dabant *Albertus Magnus*[3]) († 1280) eiusque discipulus maior magistro, *S. Thomas Aquinas*[4]) († 1274), primum commentantes ethicam Aristotelis, deinde universam ethicam et ipsi ex principiis suis explicantes. Quod s. Thomas praestitit inprimis in „Summa theologiae", praesertim in prima secundae et in secunda secundae (quae quatuor voluminibus in editione Parisiensi 1880. vol. II—V constant); deinde in „Summa contra gentiles", in qua totus fere liber tertius in scientia morali explicanda versatur, thesaurus vere inaestimabilis et inexhauribilis. Thomae auctoritatem secuti sunt plerique scholastici tempore subsequente, ethicam naturalem simul cum theologia morali tractantes, inter quos eminent Dom. *Soto*, *Suarez*, *Vasquez*, *de Lugo*, *Salmanticenses*, *Billuart*, *S. Alphonsus* etc. (vide plura infra).

---

1) Schmidt, Die Ethik der alten Griechen, 1882. 2) Cfr. Schindele, Die aristot. Ethik, Phil. Jhrb. 1902, 121 sq.; 1903, 149 sq. 3) Feiler, Die Moral Alberts des Grossen, 1891. 4) Rietter, Die Moral des hl. Thomas von Aquin, 1858.

Quamvis reformatores initio Aristotelis ethicam reicerent quasi Evangelio repugnantem[1]), brevi tamen *Melanchthon* eam adoptavit tanquam fundamentum libri sui: Ethicae doctrinae elementa, 1550, quo facto ethica Aristotelis in scholis protestantibus ita principatum obtinuit, ut Universitas Greifswaldensis in statutis suis anno 1545 eam tanquam doctrinam publicam praescriberet, asserens, „eo opere in tota hac philosophiae parte vix aliquid praestantius aut absolutius haberi", quod quidem iudicium Trendelenburg, professor Berolinensis († 1872), in philosophia Aristotelis optime versatus, libenter adprobavit.[2])

Advertendum autem est, plerumque et naturalem et theologicam scientiam moralem simul fuisse traditam. Ex tempore *Pufendorf* († 1694) et *Thomasii* († 1728) primum doctrina de iure naturali separata est ab ethica, quod Positivismo et Historismo in iurisprudentia ansam dedit;[3]) deinde theologia moralis a philosophia morali, tandem ex tempore Kantii ethica naturalis etiam a religione ipsa fuit discerpta, negando, eius fundamentum ultimum esse in Deo, sed tandem aliquando in homine ipso: sive in corpore humano, ut Materialistae et Hedonistae, sive in mente humana, ut Rationalistae, sive in homine individuo, ut Utilitaristae, sive in genere humano, ut Evolutionistae et Progressistae (Positivistae). Hodie apud nos, exceptis scholis catholicis, in quibus doctrina scholastica traditur, duae potissimum sententiae praevalent[4]): *Eudaemonismus socialis*, quem post Comte et St. Mill Gizycki, Paulsen, Jodl, Höffding, Th. Ziegler etc. sequuntur, et *Progressismus*, quem cum Hegel E. v. Hartmann, Laas, Wundt, Achelis aliique multi adoptant.

Opera praecipua, quae doctrinam scholasticam explicant: *Compendia* philosophiae, quae plerumque ethicam quoque tractant, vide vol. I, p. XV sq. Praeter ea consule Th. Meyer, Institutiones iuris naturalis seu philosophiae moralis universae secundum principia S. Thomae Aqu. 1885—1900, 2 vol. Cathrein, Philosophia moralis in usum scholarum, 1905[5]; Moralphilosophie, 2 vol., 1904[4]; Gutberlet, Ethik und Naturrecht, 1901[3]; Ethik und Religion, 1892; Der Kampf um die Seele, 1903[2]; W. Schneider (episc. Paderb.), Allgemeinheit u. Einheit des sittl. Bewusstseins, 1895, Göttliche Weltordnung u. religionslose Sittlichkeit, 1900; K. Werner, System der christl. Ethik, 1850—1852, 3 vol.; Grundriss einer Geschichte der Moralphilosophie, 1859. Costa-Rossetti, Philosophia moralis, 1886[2]; Fr. J. Stein, Histor.-kritische Darstellung der pathologischen Moralprincipien, 1871; Rosmini, Storia comparativa et critica dei sistemi intorno al principio della morale, 1837. Cfr. etiam periodicum: Rivista internazionale di scienze sociali, Romae, ex anno 1893; porro: Le mouvement sociologique (Revue Néo-Scolastique, Supplément), cfr. vol. I, p. XV.

Opera doctrinae non scholasticae aliqua praecipua: Stäudlin, Geschichte der Sittenlehre Jesu (opus Kantio dicatum) 1799—1823, 4 vol.; Geschichte der

---

1) Sic Lutherus: „Lumen illud naturae sc. Aristoteles, qui vere ἀπολλύων, i. e. perdens et vastator ecclesiae in universitatibus regnat, . . . auctoritate et studio Thomae elevatus regnat resuscitans liberum arbitrium, docens virtutes morales et philosophiam naturalem, et triceps sc. Cerberus, imo tricorpor Geryon". Cfr. Phil. Jhrb., 1902, p. 328. 2) Philos. Jhrb., 1903, p. 390.

3) Cfr. K. Werner, Fr. Suarez u. d. Scholastik der letzten Jahrhunderte, 1861, p. 256 sq.

4) Baur, Der gegenwärt. Stand d. Philosophie (Phil. Jhrb., 1907, p. 171 sq.).

Moralphilosophie, 1822; Lehrbuch der Moral, 1825; Martensen, Christl. Ethik
(I, 1892[6], II, 1894[5]). K. Köstlin, Geschichte d. Ethik, 1887. J. Köstlin, Christl.
Ethik, 1898. Wundt, Ethik, 1903[3], 2 vol.; Paulsen, Ethik, 1903[6], 2 vol.;
Theob. Ziegler, Geschichte der christl. Ethik, 1892[2]. Sittl. Sein und Werden,
1890; Die soziale und sittliche Frage, 1899[6]; Jodl, Geschichte der Ethik,
1882/89, 2 vol.; Volkswirtschaftslehre und Ethik, 1886; Religion, Moral und
Schule, 1892; Stange, Einleitung in die Ethik, 1900/01; Die christliche Ethik
in ihrem Verhältnis zur modernen Ethik, 1892. Janet, Histoire de la philoso-
phie morale, 1858. Fouillée (natus 1838), Critique des systèmes de morale
contemporaine, 1887[2]; Revue de métaphysique et morale, Parisii, ex anno
1893; The international Journal of Ethics, Philadelphiae ex anno 1891. —
Alios auctores vide apud Falkenberg, Geschichte der neuern Philosophie,
1905[5], p. 563 sq.; porro Ueberweg-Heinze, Grundriss der Geschichte der Philo-
sophie, 1902[9], IV, 346 sq., quae opera, utpote religioni christianae vel saltem
catholicae plus minus infensa, caute sunt consulenda.

6. *Divisio:* Duae in philosophia morali quaestiones sunt omnino fundamentales: Quis est *finis noster;* quae sunt *media* ad hunc finem adhibenda? Quarum quaestionum primam atque praecipuam, a qua altera dependet, in vol. II, p. 452—469 explicavimus, demonstrantes: a) finem nostrum *obiectivum* eumque *proximum* esse cognitionem et amorem Dei; *ultimum* esse Dei honorem et gloriam; b) finem nostrum *subiectivum* eumque *proximum* esse perfectionem naturae nostrae rationalis, *ultimum* esse felicitatem nostram (thes. XXX); c) hanc autem felicitatem in terra non haberi, sed in *vita futura,* eamque consistere in *Deo perfecte cognoscendo et amando* (thes. XXXI). Has igitur quaestiones hic supponimus. — Altera autem quaestio de *mediis* ad finem nostrum obtinendum nobis potius nunc est exponenda. Iam vero media haec, ut facile apparet, sunt actus nostri et praesertim voluntatis nostrae liberae, in quantum ad finem nostrum ordinantur. Unde duae iterum quaestiones oriuntur: a) Numquid nobis est voluntas libera? Quam quaestionem vol. II, p. 357—381 (thes. XIII—XVI) iam explicavimus ac proinde hic supponimus. b) Num, quando, quomodo actus liberi ad finem nostrum ordinantur? in qua ordinatione praecipue moralitas actionis humanae invenitur. Atque haec quaestio nobis potissimum nunc est exponenda.[1])

Iam vero moralitatem actionum nostrarum in genere et in specie considerandae sunt; quare apte distinguuntur duae partes principales ethicae scientiae, quarum prima exponit principia ethicae: a) exsistentiam, b) naturam, c) causas moralitatis actuum humanorum; altera applicat haec principia ad diversa genera activitatis humanae: a) in homine individuo, b) in societate humana et familiari et sociali et internationali.

[1]) Multi post *Schleiermacher* († 1834) ethicam in tres partes dividunt, tractantes: a) de bonis humanis (Güterlehre); b) de officiis humanis (Pflichtenlehre); c) de virtutibus humanis (Tugendlehre). Patet, primum tractatum eundem esse atque nostrum de fine hominis; secundum coincidere cum tractatu nostro de exsistentia, natura, origine honestatis et obligationis; tertium denique cum tractatu nostro ultimo de virtutibus (cfr. K. Werner, Christl. Ethik, 1850—1852).

Prima pars: Ordo moralis in genere

Liber primus: De exsistentia ordinis moralis.

1. *Praenotio:* Moralitas proprie et formaliter non inest nisi in actibus humanis, i. e. in actibus voluntatis liberae. Quamvis enim etiam obiecta et actus alii honesti vocentur, hanc suam honestatem acceptam referunt ad actus voluntatis liberos, quorum sunt vel causa vel effectus; appellantur igitur honesta per analogiam attributionis (cfr. Logicam, vol. I, p. 21; Ontol. I, p. 386 sq.) eamque vel intrinsecam, si illa obiecta vel actus naturalem sive necessariam relationem ad actus liberos voluntatis habent, e. g. obsequium externum erga parentes, opera cultus divini; vel extrinsecam, si obiecta vel actus in se indifferentes per actum liberum ad ordinem moralem referuntur. Sic deambulare, comedere per se sunt actiones indifferentes, qui tamen per voluntatis intentionem possunt induere rationem moralitatis, i. e. honestatis vel inhonestatis. *Ordo igitur moralis* constituitur primarie per actus liberos voluntatis elicitos, secundarie autem etiam per alios actus nostros sive intellectus sive sensuum aliarumque potentiarum, in quantum subsunt imperio voluntatis (actus imperati), imo etiam per obiecta, circa quae actus illi sive eliciti ipsius voluntatis, sive imperati aliarum facultatum versantur. Dicuntur boni vel honesti illi actus, si conformes sunt ordini morali; mali vel inhonesti, si ei difformes sunt.

Quaeritur igitur: 1. num exsistat eiusmodi ordo moralis seu aliis verbis, num sit revera distinctio inter actus honestos sive moraliter bonos, et inhonestos sive moraliter malos; 2. in quo consistat formaliter haec moralitas actuum; 3. quae sint causae tum efficientes tum finales moralitatis actuum: in his tribus quaestionibus explicandis tota doctrina de moralitate actuum in genere continetur.

Caput I: De origine idearum moralium.

Praenotio: Priusquam exsistentia et natura ordinis moralis explicantur atque demonstrantur, videtur quaestio solvenda esse de ipsa idearum moralium origine, in qua quaestione quasi in nuce iam illae aliae quaestiones continentur. Hae quidem notiones morales praecipuae sunt: notio boni et

mali; virtutis, vitii; responsabilitatis, imputabilitatis; obligationis et liceitatis; meriti, demeriti. Atque haec quaestio per se alia non videtur esse atque origo idearum in genere, quam vol. I, p. 249 sq. explicavimus. Iam vero si origo idearum a priori consideratur, tres potissimum sententiae statui possent: 1. Ideae morales oriuntur ex principio nobis prorsus *intrinseco*, i. e. vel ex ideis innatis vel ex propria mentis nostrae activitate; 2. ex principio nobis prorsus *extrinseco*, i. e. ex magisterio humano; 3. ex *utroque simul*, i. e. ex indole mentis nostrae et ordine rerum atque actionum nostrarum clare perspectis, quarum sententiarum ultima sola nobis vera esse videtur, quare statuitur

Thesis I: Ideae morales non oriuntur sive ex ideis innatis sive ex animae solius activitate, neque ex sola institutione humana sive divina, sed ex indole mentis nostrae per abstractionem ex ordine rerum actionumque obiectivo, adiuvante tamen magisterio humano.

St. qu. 1. Ideae innatae vocantur quaedam cognitiones ad modum specierum intelligibilium ab auctore naturae ipso inditae, quae illico nobis consciae fiunt, si per causam externam, e. g. per sensationes excitantur vel materia cognitionis praestatur, quemadmodum vi memoriae cognitiones aliquando acquisitas iterum actuales reddimus. Hoc modo iam *Plato* et post ipsum *Cartesius, Leibnitz* aliique ideas morales nobis innatas supponebant, quia eas, utpote necessarias atque immutabiles omnibusque notas, ex experientia individuali rerum contingentium mutabilium hauriri posse negabant (cfr. vol. I, p. 272 sq.). — Alii vero ideas innatas quidem reiciunt, sed docent, mentem nostram propria vi ideas morales a priori ex se efficere atque constituere, sive per intellectum, ut *Kant, Hegel, Herbart* aliique, sive per voluntatem ut *G. Fichte, E. v. Hartmann, Paulsen, Wundt, Schwarz, Wentscher* aliique, de quibus infra plura dicentur; est sententia Idealismi ethici (cfr. vol. I, p. 278 sq.).

2. Alii vero statuunt principium idearum moralium prorsus extrinsecum docentes, eas omnes nobis vel per institutionem humanam sive in familia sive in societate tradi, sive per revelationem divinam, et haec erat sententia *Traditionalismi* (cfr. vol. I, p. 264 sq.), qui mentem humanam fallibilem incapacem habebat ad veritates illas necessarias certo cognoscendas. Accedunt omnes, qui, negantes veritates in se necessarias, ideas morales ex legibus humanis repetunt, ut omnes *Positivistae, Darwinistae* (cfr. vol. I, p. 369 sq.), de quibus infra in capite II plura dicentur. Denique *Occasionalistae* et *Ontologistae* huc pertinent, quia censent, nos illas ideas immutabiles et aeternas nonnisi in Deo percipere posse (cfr. vol. I, p. 268 sq.).

3. Nos vero affirmamus, ad ideas morales fundamentales formandas sufficere indolem naturae humanae, quae ratione et libera voluntate praedita est, ita ut homo ordinem rerum apprehendat per mentis abstractionem et se illi actionibus suis liberis conformandum

esse cognoscat. Loquimur hic inprimis de ideis moralibus *fundamentalibus*, in quibus totus ordo moralis consistit; ex his ideis aliae derivantur, quae singulas partes ordinis moralis constituunt neque tam certo et universaliter cognoscuntur, quam fundamentales. Hae autem potissimum sunt: notio boni et mali, responsabilitatis et imputabilitatis, obligationis et liceitatis, meriti et demeriti. Libenter tamen admittimus, ad hanc nostram cognitionem hominum institutionem accedere debere per educationem, ut *facilius* et *certius totum* ordinem moralem cognoscamus et motivis efficacibus propositis observemus. Itaque nostra sententia utramque oppositam amice componit, statuens tum propriam activitatem in ideis moralibus formandis, tum necessitatem educationis et traditionis humanae.

I. *Ideae morales nobis innatae non sunt.*

Prob. 1. *Quoad ideas in genere: Ideae innatae in genere* non sunt admittendae, ut in critica ostendimus; nam a) nulla earum *necessitas* probatur, quia per abstractionem ex sensatione formari possunt; entia autem non sunt multiplicanda sine necessitate; b) nulla earum *utilitas* esset, siquidem deberemus cognoscere, utrum rebus ipsis congruunt necne, quod, nisi res in se ipsis cognoscuntur, impossibile esset; c) quare facile *scepticismus* inde oritur (cfr. vol. I, p. 272 sq.).

2. *In specie quoad ideas morales:* Ideae morales ideo dicuntur innatae, quia ab omnibus et rudibus quoque facile cognoscuntur, necessariae sunt atque immutabiles. *Atqui* hae proprietates minime ideas innatas supponunt, quia ideae fundamentales sive ex ordine necessario naturae nostrae, vel ex relationibus nostris necessariis atque immutabilibus ad Deum et alios homines oriuntur, ac proinde huius necessitatis et immutabilitatis participes fiunt. Hae autem relationes ab omnibus, qui sana mente sunt et ad perfectum usum rationis pervenerunt, facile cognoscuntur, praesertim quum quovis momento moraliter agendum sit, ac proinde consuetudo inde oriatur res et actiones sub lumine idearum moralium semper diiudicandi (cfr. vol. I, p. 227). Porro si ideae nobis essent innatae, earum certitudo, necessitas, immutabilitas non ex natura nostra reali et concreta posset derivari, si quidem etiam ipsa est contingens; natura autem humana abstracta non exsistit nisi in mente cognoscente, unde simul cum ipsa etiam ideas morales cognoscimus.

II. *Ideae morales non sunt ex sola animae nostrae activitate formatae.*

Prob. 1. *Per exclusionem:* Anima nostra, formando ideas morales sive per intellectum sive per voluntatem, aut haberet normam,

secundum quam ideas illas constitueret, aut non; si primum, iam ideae exemplares morales *supponuntur*, quae vel essent nobis innatae vel formatae a nobis; sin alterum, pro arbitrio ideae morales statuerentur secundum illud Iuvenalis: Sic volo, sic iubeo, stet pro ratione voluntas; mutarentur pro dispositione et inclinatione hominum; homo, ut censet Protagoras sophista, fieret rerum mensura nullusque ordo moralis certus, necessarius, immutabilis exsistere posset. — Neve dicas, modo nobis inconscio illas ideas formari; nam requirentibus optime rationes reddimus, cur e. g. ebrietas, adulterium, furtum sint mala, iustitia autem erga proximos, temperantia, castitas sint bona moralia atque talia ab omnibus habeantur. *Ergo* ideae morales non ex sola animae nostrae activitate oriuntur.

2. *Ex conscientia:* Conscientia testatur, nos ideas morales fundamentales non pro arbitrio formare, neque immutare posse, etiamsi vellemus, sed eas obiectivum habere valorem; fundari in nostra et rerum natura immutabili, e. g. in relatione inter corpus et animam quoad temperantiam, in relatione inter nos et alios homines quoad naturam humanam ratione iustitiae et benevolentiae, in relatione inter nos et Deum auctorem et finem nostrum quoad officia religionis. Porro aliquando obligationem experimur, e. g. non furandi, alios adiuvandi, parentibus obediendi; aliquando non obligamur, sed sola liceitas vel moralitas libera adest. Insuper nos responsabiles sentimus et praemium vel poenam nos mereri. *Atqui* conscientia in re morali est testis pro nobis unicus et fidelis semperque audiendus. Neque est aliud quam ipsa nostra ratio. *Ergo* ideae non oriuntur ex sola activitate animae nostrae. — Non igitur autonomia illa rationis practicae, quam Kant et post ipsum multi statuunt (cfr. vol. I, p. 290 sq.) quamque infra multis rationibus reprobabimus, admittenda est.

III. *Ideae morales non oriuntur ex sola institutione humana.*

Prob. 1. *Ex natura institutionis:* a) Institutio humana, et idem dicendum est de legibus humanis et divinis, quae nobis nonnisi per auctoritatem humanam innotescunt, iam supponit, ut effectum habere possit, et fidem et obedientiam ei esse praestandam. *Atqui* fides et obedientia praestanda sunt iam ideae morales. *Ergo* institutio humana sola non est fons idearum moralium. b) Institutio humana legesque aut rationibus innituntur, aut non; si primum, illae rationes, intellectum et voluntatem subditorum moventes, erunt norma suprema; sin alterum, institutio et leges essent irrationales et arbitrariae, quod repugnat et naturae humanae rationali et experientiae et historiae. *Ergo* institutio humana, mores, legesque non sunt fontes ultimi idearum moralium.

2. *Ex proprietatibus auctoritatis humanae:* Auctoritas humana tum ad institutionem tum ad leges et decreta edenda est aut legitima aut non; si primum, iam supponitur idea moralis legitimitatis; sin alterum, nulla idea moralis oritur. — Item leges sunt iustae vel iniustae, moresque vel honesti vel inhonesti; si primum, iterum idea iustitiae et honestatis supponitur; sin alterum, nulla obligatio ac proinde nulla moralitas oritur. *Ergo* ideae morales non ex sola auctoritate humana nascuntur.

IV. *Ideae morales formantur per abstractionem tum ex indole naturae nostrae, tum ex ordine obiectivo rerum et actionum nostrarum.*

Prob. 1. *Per exclusionem:* Ostendimus, ideas morales non ex sola anima nostra, neque ex institutione humana oriri. Neque dixeris, ex utroque fonte simul eas fluere; nam institutio humana, leges, moresque ideas principales morales iam supponunt formatas. Non igitur restat nisi ut ideae fundamentales morales formentur eae quidem a nobis, non enim sunt ideae innatae, attamen formentur per relationem ad obiecta actionum nostrarum.

2. *Ex cognitione naturae nostrae:* Quando ratio nostra satis expedita est, partem in nobis apprehendimus inferiorem, i. e. vegetativam et sensitivam, et partem superiorem digmioremque, i. e. rationalem: intellectum et voluntatem, qua a brutis distinguimur, et optime scimus partem rationalem naturae nostrae inferiori prorsus praeferendam esse. Porro etiam duplicem in nobis cognitionem et appetitum experimur: alium sensitivum, bona sensibilia desiderantem, alium rationalem, bona spiritualia vel materialia sub ratione immateriali cupientem (cfr. vol. II, p. 350 sq.), neque raro conflictum inter actus duplicis illius appetitus sentimus, siquidem in obiecta opposita feruntur, e. g. in obiectum delectationis sensualis vel spiritualis, in odium vel amorem proximi, ita ut unum actum prae alio eligere debeamus. Quodsi obiectum delectationis sensualis vel in se vel quoad modum appetendi parti rationali non convenit, sentimus per conscientiam moralem obligationem simulque potestatem physicam et psychologicam voluntatis illud obiectum fugiendi, ne damnum inferamus parti superiori, quae inferiori omnino praeferenda est; si vero huic voci conscientiae non obedimus, experimur remorsum conscientiae testantis, nos inhoneste egisse, quia partem digniorem naturae detrimento affecimus, licet pars inferior delectationem sensualem vel aliquam utilitatem inde perceperit. *Ergo* per experientiam internam et reflexionem aliquam psychologicam, quae omnibus hominibus usu rationis expedito praeditis pervia est et iam in infantibus apparet, formatur conceptus ordinis naturae nostrae ipsius, qui conceptus est

fundamentum ordinis illius, quem appetitus quoad obiecta sequi debet, ut nobis conveniant. Iam vero hic ordo actuum non est ordo mere physicus, siquidem realitas physica actuum et obiectorum eadem esse potest, licet honestas vel liceitas eorum sit prorsus diversa, e. g. cibus vel potus licitus et illicitus, usus rei nostrae vel alienae, occisio scelerati licita per auctoritatem publicam, illicita per auctoritatem privatam. *Ergo* est ordo superveniens physico, qui novam constituit relationem, i. e. honestatem actus, quam relationem per abstractionem mentis nostrae a realitate physica separare et hoc modo ordinem moralem praeter physicum constituere possumus (cfr. vol. I, p. 157 et II, p. 336).

3. *Ex cognitione ordinis obiectivi.* Constat, in rerum natura ordinem exsistere a nobis independentem, qui in eo consistit, ut res omnes ad fines quosdam ordinentur et tendant, non modo quolibet, sed ita ut res minus perfectae rebus perfectioribus subordinentur tanquam finibus proximis: sic res anorganicae ordinantur ad organicas, plantae ad bruta, res autem omnes anorganicae et organicae ad usum hominis eiusque perfectionem inserviunt. Porro homines ipsi inter se ordinantur in familia, societate, religione, et tandem omnes res cum hominibus ad auctorem et finem universi ordinantur (cfr. vol. II, p. 207—252), et in hoc ordine apparet mira totius universi pulchritudo et perfectio. *Atqui* homo, usu rationis et reflexionis gaudens, non potest non admirari atque amare hunc ordinem rerum, in quo bonum et perfectio tum universi tum singularum rerum constat, et ex hoc amore boni excitatur, ut hunc rerum ordinem, in quantum possit, conservet eumque sua activitate imitetur. Porro et sibi ipsi tanquam malum et delictum imputat, si libera voluntate et intentione hunc ordinem laeserit, res superiores subordinans inferioribus, e. g. praeferendo bona materialia spiritualibus, vel bonum privatum communi bono, vel bonum suum bono divino. Patet autem, ordinem in rebus et actionibus nostris non esse realitatem novam physicam superadditam realitati rerum physicae, sed esse *relationem* eis superadditam, quae licet fundetur in rebus ipsis, formaliter tamen non exsistit nisi in mente concipiente, et solum per mentis abstractionem a rebus ipsis distinguitur; ita ordo moralis constituitur distinctus ab ordine physico (cfr. vol. I, p. 490 et 519 sq.). *Ergo* ideae morales oriuntur etiam ex cognitione ordinis rerum obiectivo, et per abstractionem reflexivam mentis formantur.

V. *Adiuvamur ad ideas morales formandas per magisterium humanum.*

Prob. 1. *Ex natura hominis sociali:* Constat, hominis naturam esse socialem, quia non solum in certa societate familiari et publica

nascitur, sed indiget etiam adiutorio tum parentum, tum institutorum, ut ad perfectionem naturalem et usum completum rationis perveniat. *Atqui* idearum moralium aliae nonnisi in ordine sociali oriri possunt, siquidem sine eo materia abstractionis deficeret, praesertim idea iustitiae, obedientiae, compassionis, amoris proximi etc., aliae autem in ordine sociali saltem facilius perfectiusque formantur, ut sunt temperantia, fortitudo, pietas, religio erga Deum, licet institutio humana per linguam et exempla solum mentem excitet, ut ipsa ideas illas per abstractionem reflexivam formet. *Ergo* magisterium humanum et etiam divinum, quod *pro nobis* humanum supponit, adiuvat nos in ideis moralibus formandis.

2. *Ex experientia:* Historia et experientia docent, infantes primis annis vitae nondum habere ideas morales, sed omnia bona sub ratione iucunditatis sensitivae appetere, paulatim vero, prout a parentibus docentur, illas formare, idque eo maturius certiusque, quo maiorem parentes vel institutores adhibent diligentiam. Econtra serius illas ideas formari minusque inhaerere menti et voluntati, si parentes educationem negligunt, ita ut vix ideae fundamentales boni et mali, meriti et demeriti oriantur. — Idem dicendum est de gentibus, quae quo magis carent institutione, eo magis etiam carent ideis moralibus non quidem fundamentalibus, sed inde derivatis. Propterea per doctrinam humanam etiam ideae morales falsae formari possunt, saltem derivatae, e. g. liceitas suicidii, vindictae privatae, servitutis, polygamiae, mendacii etc., quemadmodum etiam ideae theoreticae falsae per traditionem humanam multae habentur, licet in veritatibus fundamentalibus homines omnes consentiant. *Ergo* magisterium humanum (per educationem parentum, per institutionem magistrorum, per conversationem cum hominibus, per mores et leges publicas) multam vim habet ad ideas morales formandas, non ut causa earum propria efficiens et formalis, sed ut occasio et conditio, vel ut causa moralis et extrinseca potius adiuvans atque dirigens.

Scholion. De synteresi: Scholastici, sequentes Patres ecclesiae, statuebant quendam habitum ad ideas morales formandas, quem vocabant synteresim (συντήρησις = in memoria retinere). Hunc habitum alii cum s. Thoma rationi (de Verit. qu. 16, a. 1; S. Theol. I, qu. 79, a. 12), alii cum s. Bonaventura voluntati tribuebant (II Sent. Dist. 39, a. 2, qu. 1). Quemadmodum igitur habitum principiorum tanquam fundamentum rationis theoreticae, sic etiam habitum principiorum rationis practicae supponebant, quem tamen habitum, si a vita supernaturali abstrahimus, non realiter ab ipsa potentia intelligendi vel volendi videntur distinguere, sed huius naturalem solum *tendentiam* ad ordinem moralem cognoscendum et servandum significare volunt, siquidem omnes reiciunt ideas et principia nobis innata. Synteresis haec veterum non confundenda est cum conscientia morali, quae consistit potius in *actu*,

quo legem moralem ad nostram vel aliorum actionem applicamus per syllogismum sive formalem sive virtualem.[1])

Corollaria I: Relatio inter ethicam et metaphysicam. Quum conceptus morales fundamentales ex ordine naturae nostrae rerumque formentur, patet, omnes illos de origine, vi et significatione illorum conceptuum non recte sentire, qui errant de natura nostra et de ordine rerum. Quicunque igitur materialismum atomisticum docent, confundentes materiam et spiritum, appetitum rationalem et sensitivum, honestum debent idem habere cum iucundo eoque sensuali vel utili ac proinde, si sibi consentanei sunt, hedonismum vel eudaemonismum privatum statuunt, ut infra fusius explicabitur. Qui vero monismum spiritualem propugnant, omnia cum ente absoluto confundentes, quod necessario in mundo se evolvat, ita ut summa eius perfectio sit societas humana historice producta, vel eudaemonismum socialem, vel progressismum generis humani, vel mysticam quandam unionem cum ente absoluto summum habent bonum ac normam honestatis, quae systemata moralia infra explicabuntur atque refutabuntur. Soli igitur illi, qui Deum supponunt, auctorem, rectorem, finem omnium rerum, necnon discrimen essentiale inter entia materialia et spiritualia, qui ordinem et fines obiectivos habent, ideas morales veras formare possunt. Nulla igitur sana scientia ethica sine sana metaphysica esse potest. Ratio autem, cur, non obstante discrimine tanto inter diversa systemata metaphysica, praecepta ethica saltem fundamentalia apud omnes fere eadem sunt, est ipsa natura humana, quae quoad ordinem moralem non tam facile extingui potest: naturam si furca expellas, tamen usque redibit (Horatius).

II. *De ordine, quo ideae singulae morales oriuntur.* Infantes, qui nondum usum rationis habent, sed cognitionem sensitivam sequuntur, omnia appetunt primo sub ratione delectabilitatis sensitivae, ad quam mox accedit ratio utilitatis ad bonum delectabile habendum, quemadmodum etiam bruta bonum sensibile appetunt et per instinctum opera maxime utilia exercent, sed ad bona sensitiva tantum acquirenda (cfr. vol. II, p. 151 sq.). Postquam autem ratio aliqua atque deliberatio coepit, quod iam primis annis vitae fit, modo ne evolutio infantis sit extraordinaria, oritur in infantibus etiam appetitus spiritualis in bona insensibilia, sensibilibus saepe opposita, et tunc formatur conceptus omnino primitivus atque fundamentalis *boni et mali moralis, distinctio a bono iucundo et utili physico; formatur autem conceptus boni et mali moralis per analogiam aliquam proportionis ad bonum iucundum vel malum sensibile,* sicut conceptus rerum per se spiritualium omnes sunt analogici (cfr. vol. I, p. 356); haecque analogia proportionis est intrinseca. Quemadmodum enim quaedam sunt vera bona vel mala sensibilia corporis, ita quaedam sunt vera bona vel mala insensibilia mentis (cfr. vol. I, p. 22 et p. 388). Patet, hunc conceptum boni et mali primitivum adhuc valde imperfectum esse atque formalem, i. e. per se nondum materiam certam actus moralis indicare. Indiget igitur specificatione, quemadmodum conceptus entis est conceptus fundamentalis rationis theoreticae et per genera et species ad inferiora contrahitur[2]) (cfr. vol. I, p. 336 sq.).

[1]) Cfr. Simar († 1902 archiep. Colon.), Lehrbuch d. Moraltheologie, 1893[3], p. 105 sq. Appel, Die Lehre der Scholastiker von der Synteresis, 1891.

[2]) Cfr. S. Theol. I, II, qu. 94. a. 2.

Deinde cum conceptu boni et mali moralis simul formatur idea *responsabilitatis et imputabilitatis;* quotiescunque enim mens deliberat de actione facienda, illico libertas voluntatis psychologica ei sese prodit, sine qua nulla moralitas esse posset (cfr. vol. II, p. 363 sq.). Porro quaedam nobis apparent omnino facienda vel omittenda, e. g. obedientia erga parentes vel inobedientia; quaedam vero apparent simpliciter bona vel licita sine ulla obligatione, e. g. comedere cibos licitos vel etiam ab eis abstinere pro nostro arbitrio, et sic oritur conceptus *obligationis et liceitatis.* Quoniam autem cum omni actione effectus aliquis connexus est sive intrinsecus (conscientia moralis de bonitate vel malitia actus — consolatio vel remorsus conscientiae) sive extrinsecus (bona vel mala externa ex actione orta, praesertim monitio, minae, laus, praemium vel etiam poenae a parentibus vel institutoribus inflictae), illico etiam idea *meriti* et *demeriti* oritur. Hi quoque conceptus formantur per analogiam proportionis intrinsecae ad conceptus effectuum physicorum, qui ex actibus appetitus sensitivi oriuntur. Hi igitur conceptus boni et mali moralis, responsabilitatis et imputabilitatis, obligationis et liceitatis, meriti et demeriti sunt omnium primi et fundamentales, neque in ullo homine deficiunt, qui usum rationis habeat.

Ex his autem conceptibus moralibus fundamentalibus, tum *leges et praecepta* prima et fundamentalia, tum etiam *motiva* maxime generalia ad agendum oriuntur, quemadmodum ex notione entis maxime universalis leges fundamentales cogitandi formantur (cfr. vol. I, p. 392 sq.). Ac primum quidem ex notione boni et mali moralis oritur immediate *principium morale* omnium primum, quod subest omnibus aliis praeceptis moralibus minus universalibus tanquam eorum fundamentum commune: *Bonum est faciendum, malum est vitandum.* Ex conceptibus autem responsabilitatis et imputabilitatis, obligationis et liceitatis, meriti et demeriti *motiva* omnium maxime universalia formantur; ex illis motiva pure intrinseca: *Esto fidelis naturae tuae, praesertim rationali; noli deficere a te ipso ut homine et individuali et sociali,* ne amittas pacem conscientiae. Ex conceptibus obligationis et liceitatis, meriti et demeriti motiva potius extrinseca, quae tamen *supponunt* intrinseca, ut vere motiva *honesta* esse possint, formantur: *Hoc omnino faciendum vel omittendum est; aliud vero tibi licet vel suadetur. Si bonum feceris et malum vitaveris, laude et praemio dignus eris; alioquin vituperatione et poena afficieris.*

Quodsi quaeritur, qui conceptus morales magis specifici, i. e. ad certam materiam actionis applicati, ex fundamentalibus formentur, non eadem forte responsio pro omnibus hominibus danda esse videtur, siquidem multum dependet a conditione individuali et educatione singulorum, quippe quae materiam exhibeant actionum moralium. Ex materia autem actionis cognita illico motus *spontanei* voluntatis affectusque oriuntur, ex quibus tandem accedente deliberatione, supposita libertate voluntatis, conceptus morales pro actionibus nostris *liberis* formantur. Motus igitur et affectus indeliberati exhibent *materiam* eamque *proximam* conceptus et actus moralis, obiectum autem actionis in se ipso consideratum est solum materia remota, in quantum per cognitionem sive sensitivam sive intellectualem bonitatis suae obiectivae motum illum appetitus sive spiritualis sive sensitivi, qui illico ex natura nostra simul sensitiva et spirituali sequitur cognitionem praecedentem

excitat (cfr. vol. II, p. 347 sq.). Inde patet, motus illos et affectus spontaneos in se ipsis nondum esse morales, nos tamen excitare atque stimulare ad conceptus morales formandos actionesque morales eliciendas; sine illis igitur *in nobis* vix moralitas esse posset. Quum autem homines in familia quadam eleventur, primi conceptus *specifici* morales in infante oriri videntur ex affectibus *amoris* et *reverentiae* erga parentes, qui affectus excitantur bonis, quae parentes filiis exhibent, et scientia potentiaque, quam infantes in parentibus percipiunt. Ex conceptibus autem amoris et reverentiae immediate oriuntur affectus et conceptus inde formati *obedientiae* et *auctoritatis* tum in familia tum in societate in genere. Porro cum his conceptibus simul formantur ex natura sociali hominis et affectibus sympathiae inde ortis conceptus morales *amoris proximi*, primum erga familiares (fratres, sorores, domesticos), deinde erga alios homines (condiscipulos, vicinos, alienos), necnon conceptus *iustitiae* et *proprietatis* ex possessione propria certarum rerum et affectu in eas inde orto. Atque omnes hi affectus et conceptus morales inde formati per educationem plus minus diligentem vel etiam pro dispositione naturali infantium miro modo perfici et continua exercitatione *habitus* morales i. e. *virtutes* inde acquiri possunt, unde tanta differentia perfectionis moralis in infantibus et adolescentibus. Praesertim *educationis* est, quosdam excolere affectus et conceptus inde formandos morales, certasque virtutes producere in infantibus, quae potissimum sunt: *temperantia* in cibis et potibus sumendis, *modestia* in vestibus habituque corporis et conversatione observanda, *castitas* in delectationibus sensualibus arcendis, *fortitudo* in molestis rebus patienter perferendis, praesertim vero in se ipso vincendo et laboribus (in schola, in familia, in studio, in artibus negotiisque) strenue suscipiendis („sustine et abstine“, Epictetus), *pietas* erga omnes praepositos, praesertim erga Deum habenda. Atque in hisce virtutibus formandis educatio tota continetur hominisque indoles characterque moralis absolvitur.

III. *Sententia Evolutionistarum:* Ex dictis etiam apparet, quid sentiendum sit de sententia Evolutionistarum recentium (Darwinistarum), qui, duce Spencer, censent, homines, ex bestiis ortos, initio non appetivisse nisi bona sensibilia sub ratione delectationis, sicut bestias; deinde in societate quadam constitutos, eos per leges et decreta parentum, principum vel deorum quaedam bona, quaedam vero mala habuisse („äussere Imperative“, Wundt); porro effectus bonos actionum harum moralium et intrinsecos (pax conscientiae) et extrinsecos (tranquillitas publica et utilitas civium) novam vim eamque hominibus intrinsecam externae coactioni per legem addidisse („innere Imperative“, Wundt); denique a propria utilitate prorsus abstrahentes, ex amore salutis publicae vel progressus humani eos omnia facere vel saltem facturos esse, quando status perfectus humanitatis aderit. — Haec sententia est reicienda: a) quia supponit *originem hominum ex bestiis* per descendentiam (cfr. vol. II. p. 420 sq.); b) supponit, *indolem ipsam moralem* acquiri posse ex indole non morali, mere sensitiva, immo bestiali, quod non minus impossibile est, quam intellectum nasci ex potentia mere sensitiva, ac vitam ipsam ex principio mere materiali (cfr. vol. II, 149, 191, 329 sq.), praesertim quum appetitus sensitivus plerumque spirituali repugnet. Ut actus morales fieri possint, *supponitur* iam potentia moralis, quae consistit in ratione deliberante et voluntate spirituali, quae in solis hominibus, non in brutis inveniuntur. —

Neves dicas, cum Spencer[1]), eam per hereditatem et evolutionem, vel cum Wundt, eam per legem „heterogoniae“[2]) continue crescere ex initiis minimis, sive ex instinctu brutorum sociali per pugnam de exsistentia, ut Paulsen post Darwin censet.[3]) Nam neque illa hereditas et evolutio moralis continua, neque lex heterogoniae, per quam semper effectus maior actuum internorum (per habitus acquisitos) haberetur, quam per se intendebatur, probatur, si *totum genus humanum* spectatur; singuli enim homines iterum, quisque pro se, conceptus morales virtutesque acquirere debent, quae in posteros non transmittuntur, neque semper progressus, sed plerumque regressus moralis habetur[4]). Instinctus autem et mores brutorum non possunt esse fundamentum moralitatis per modum evolutionis, quia instinctus tendit potius ad naturam individui et speciei *conservandam*, ita ut evolutioni potius opponatur; quare, teste palaeontologia et historia hominum, instinctus et mores brutorum idem permanserunt, hominum autem mores et moralitas diversis temporibus vel etiam eodem tempore, diversis tamen locis, valde differebant. Accedit, quod instinctus oritur ex cognitione sensitiva neque fertur nisi in bona sensibilia, moralitas autem supponit cognitionem intellectualem et voluntatem, i. e. appetitum spiritualem in bona insensibilia, plerumque sensibilibus prorsus opposita.

Neque *pugna de exsistentia simul cum instinctu sociali* explicat originem moralitatis. Constat enim per historiam et propriam experientiam, pugnam

---

[1]) Tatsachen der Ethik, cap. 14.

[2]) Cfr. Völkerpsychologie, 1906, II, 2, p. 232, 308 sq., ubi conceptus morales in hominibus primitivis inepte derivat ex timore rerum, quae a daemonibus possessae credebantur (Tabu), unde mores et leges publicae ortae essent. Nam illud „Tabu“, quod apud gentes feroces hodiernas, quae non primitivae sunt, sed a statu perfectiore delapsae, religiose observatur, est iam idea religiosa et moralis, immo omnium maxime fundamentalis: sc. timor, reverentia et obedientia erga spiritus vel animas defunctorum in nos dominantes, quibus quaedam res habentur sacratae. Melius, licet non sine ullo errore, *Ratzel* (Völkerkunde 1894², I, p. 50) originem conceptuum moralium explicat: „Die Unterscheidung von Gut und Bös, die die mosaische Sage (!) mit tiefem Gefühl in den Anfang der Menschheit setzt, muss sich auch auf anderm Wege (als durch Verbindung mit Religion und Gesetz, cfr. supra p. 12 sq.) früh und von selbst herausgebildet haben. Die Natur zeigt Schädliches und Nützliches; aus ihr geht durch Allbeseelung (!) der Gegensatz in die Geisterwelt über (? cfr. supra p. 13 et 16, Coroll. II). Das Gefühl des Dankes gegen den Guten wird stets von neuem hervorgerufen. Man muss ihn haben, muss ihn anflehen können. Und wenn alles Gute einer Ahnenseele zugeschrieben wird, ist damit eine mythische Verkörperung des Guten gegeben.“

[3]) Paulsen, System der Ethik, 1900⁵, p. 321 sq., 371 sq. „Sitten sind zum Bewusstsein gekommene Instinkte“ (p. 323); „Der ursprüngliche Inhalt der Pflicht ist nichts anderes als die Sitte“ (p. 325); „Das Gewissen in seinem Ursprung ist das Bewusstsein von der Sitte oder das Dasein der Sitte im Bewusstsein d. Individuums“ (p. 341). Cfr. Darwin, Abstammung d. Menschen, cap. IV.

[4]) Recte enim *Ratzel* (l. c. p. 53): „*Dem raschesten Verfall sind stets die geistigen Elemente einer Kultur ausgesetzt.* Da nun gerade diese die treibenden Kräfte in der Fortentwickelung sind, so erhellt allein schon daraus die grosse Neigung zum Stehenbleiben mit *unvermeidlichem Rückgang.* Die Geschichte der Religionen ist hier vor allem lehrreich.“

sive inter nationes in bello sive in pace inter cives de conditione sociali (Konkurrenz, Trust, Streik) mores et publicos et privatos potius corrumpere, quam promovere, et si quae virtutes per hanc pugnam formantur, e. g. prudentia vel potius astutia et fortitudo mentis vel corporis ad adversarios vincendos, hae virtutes nondum sunt morales, sed physicae, quae tum ad bonum tum ad malum, immo saepius forte ad malum adhibentur. Profecto, si per pugnam illam moralitas produci posset, non intelligeretur, cur bruta, e. g. gallus et gallinae, apes, formicae aliaque bruta, miro saepe instinctu sociali praedita, moralitatem decursu temporis nondum acquisierint, licet teste palaeontologia iam innumera saecula ante homines in terra vixerint. Neque exsistit in hominibus continuus ille progressus moralitatis, qui iuxta theoriam evolutionismi esse deberet, siquidem illa evolutio necessaria esset, neque unquam interrupta [1]). Atqui historia testatur, initio apud multas gentes moralitatem perfectiorem fuisse, quam saeculis posterioribus, unde iam veteres ratione moralitatis triplicem aetatem mundi statuebant: auream, argenteam, ferream [2]), neque quemquam latet, etiam hodie, scientiis artibusque magis florentibus quam olim, moralitatem tamen ubique decrescere [3]). Si vero religio christiana moralitatem valde promovit, eius vis non est naturalis, sed supernaturalis. Denique ut possit esse evolutio et inde sequens hereditas, supponitur iam *indoles* evolvenda ac proinde ratio voluntasque in se spiritualis. Tota igitur sententia Evolutionistarum nititur *falsa analogia*, quia ex evolutione *individua singulorum* hominum concludunt evolutionem moralem *generis humani* ex statu bestiali; confundunt igitur „ontogeniam“ moralem cum „phylogonia“ morali, non videntes et facta historiae ipsis repugnare, et homines singulos moraliter nunc evolvi, quia *iam habent indolem moralem*, quae praesertim magisterio aliorum hominum iam *moralium* explicatur atque perficitur, qua indole morali qui destituitur, sicut bruta, potest externa quidem coactione et assuefactione ad modum brutorum coerceri, non tamen interna imbui moralitate.

---

1) Cfr. Wundt, vol. I, p. 310: „Die wesentlichste Eigenschaft der Dinge ist die Entwickelung“.

2) Cfr. Platonem de republ., p. 269 sq., Ovidium, Metamorph. I, 98 sq., Hesiodum (circa 900 a. Chr.), Opera et dies, v. 109 sq. Weiss, Apologie, 1894^{3}, I, p. 497; II^{2}, 98, 157, 189 sq. Virgilius, Ecloga, IV; Lüken, Traditionen des Menschengeschlechtes, 1869^{2}, p. 336 sq.

3) Cfr. Konversationslexikon, Herder 1905, V, p. 248 sq.: Kriminalstatistik; sic ab anno 1882—1901 numerus criminum adolescentium crevit 30 %, adultorum virorum 28 %. Krose, Einfluss der Konfession auf die Sittlichkeit, 1900; Der Selbstmord im 19. Jahrhundert, 1906; Rost, Der Selbstmord als sozialistische Erscheinung, 1905 (cfr. vol. II, p. 377). Ex annis 1831—1840 usque ad annos 1891—1900 numerus suicidiorum crevit in *Europa* 400 %, populationis vero solum 60 % (quotannis 10000 fere suicidia ultimo decennio in imperio Germanico; in tota Europa vero 60—70000 quotannis); in regionibus *vere* catholicis solum $^{1}/_{3}$, si comparantur cum regionibus non catholicis. Aliquid simile dicendum est de dissolutione matrimonii: in Gallia ab anno 1881—1900 109752, in Borussia ab anno 1881—1896 64400, in America septentrionali ab anno 1870—1890 320000 (anno 1903 60000) plerumque ex adulterio commisso. Cfr. Stimmen aus M. Laach, 1903, I; Herder, Konversationslexikon, Art. Ehe.

Non desunt quidem, qui etiam brutis cum Darwin [1]) aliquam moralitatem tribuant (e. g. fidelitatem in cane, amorem parentum in prolem, instinctus sociales in multis brutis), ut inde moralitatem humanam per evolutionem explicent [2]). Sed iterum falsa analogia adhibetur; nam etsi illi motus appetitus et operationes instinctus in brutis similes sunt aliquibus actionibus humanis, haec tamen similitudo non est nisi externa, siquidem illi actus morales in hominibus oriuntur ex cognitione et volitione *spirituali*, in brutis ex instinctu, i. e. ex cognitione et appetitione mere *sensitiva*, cum qua quaedam associatio ex experientia individuali coniuncta esse potest. Bruta operantur ex necessitate intrinseca, quae si desinit, desinit etiam operatio, e. g. amor inter parentes et prolem brutorum; homines autem si moraliter agunt, ex propria determinatione operantur, quare saepe deficiunt a recto, non autem bruta, et in ipsis solis imputatio et responsabilitas moralis, meritum et demeritum habetur, non autem in brutis. Neque verum est, quod multi cum Büchner [3]) materialista, falsis ideis imbuti, affirmant, gentes feroces vix quoad mores differre a brutis neque habere ideas morales; nam constat, eas quoque, licet in multis errent ex falsa traditione et educatione, ideas fundamentales morales boni et mali, responsabilitatis et imputabilitatis, obligationis et liceitatis, meriti et demeriti habere multasque alias, quae ad vitam tum individuam tum socialem (proprietas, iustitia, obedientia etc.) spectant [4]); constat autem, bruta tales ideas non habere.

Caput II: De discrimine obiectivo inter bonum et malum morale.

Historia quaestionis: Vix fuerunt, qui discrimen morale de *facto* exsistens inter actus humanos negarent, siquidem et leges publicae et persuasio hominum hoc testantur. Sed iam antiquitus inveniuntur, qui discrimen *essentiale intrinsecum* negaverint, bonitatem vel malitiam actuum humanorum derivantes ex legibus vel moribus humanis vi vel consuetudine, persuasione vel fraude hominibus impositis. Sic censebat iam *Archelaus* saec. V a. Chr., *Aristippus* Cyrenensis, discipulus Socratis, *Theodorus* Cyrenensis (dictus Atheista), necnon sophistae *Protagoras* et *Gorgias* saec. IV a. Chr., deinde Sceptici *Corneades* et *Pyrrho* saec. III, *Sextus Empiricus* saec. II p. Chr. [5]).

---

1) Cfr. Gander, Darwin und seine Schule, 1907, p. 129 sq.

2) Cfr. Paulsen, l. c. p. 321 sq.

3) Kraft und Stoff, 1898^{19}, p. 361: „Mitleid, Rechtschaffenheit, Dankbarkeit, Vorsorge, Familienliebe, Schamhaftigkeit, Wohlwollen, Gewissen und Gewissensbisse sind dem Ostafrikaner unbekannte Dinge; er hat keine Moral . . ., kennt keine Trauer um den Tod von Anverwandten, keine Anhänglichkeit zwischen Eltern und Kind; im Gegenteil herrscht wie bei den wilden Tieren eine natürliche Feindschaft zwischen Vater und Sohn.“ Similiter loquitur de aliis gentibus ferocibus, attamen prorsus immerito.

4) Cfr. Cathrein, Moralphilosophie, 1904^{4}, I, p. 569—677.

5) Sufficiat, quod Cicero (de republ. III, 12) de Carneade dicit: „Carneadis summa disputationis haec fuit, iura sibi homines pro utilitate sanxisse, scilicet varia pro moribus et apud eosdem pro temporibus saepe mutata, ius autem naturale (i. e. legem moralem in genere) nullum esse.“

Hanc sententiam medio aevo ab omnibus reprobatam, postea paulisper immutatam proponebant *Montaigne* († 1592), *Hobbes* († 1679), *Rousseau* († 1778), *Mandeville* († 1733), *St. Lambert* (1803); porro Positivistae *Comte, Littré, Taine,* necnon Evolutionistae cum *Spencer,* deinde Darwinistae, Materialistae *Feuerbach, Moleschott, Vogt, Büchner, Guyau, Devolvé,* Socialistae *Marx, Engels, Dowi, Enrico Ferri* etc., qui negant leges morales necessarias et immutabiles, sed eas ex adaptione vitae humanae ad ordinem naturae veriabilem vel statum culturae praesentem generis humani continue mutabilem deducunt. Quibus in genere consentiunt *Laas, Adikes, Th. Ziegler, Jodl, Paulsen*[1]), *Belot, Worms, Durkheim, W. James*[2]) necnon iuris vel scientiae oeconomicae periti, ut *R. v. Jhering, Schmoller, Jul. Wolf, Sombart* aliique plurimi.

Alii longius progressi, non modo negant discrimen intrinsecum inter bonum et malum, sed omnem omnino moralitatem reicere videntur, docentes, hominem nullis subesse vel subesse debere legibus; eum posse et debere facere quidquid voluerit, nulli resistere tendentiae naturali; quidquid in mundo sit, eum in suam debere adhibere utilitatem, ne hominibus quidem exceptis; omnia ei licere, modo sufficientem habeat prudentiam et potentiam; „Supra-homo" ultra omnem moralitatem constituitur („Jenseits von Gut und Bös"). Sic censent praesertim *Max Stirner* (Kaspar Schmidt, † 1856), *Nietzsche* († 1900),[3]) *R. Steiner, P. Mongré, Woltmann* aliique huius nihilismi moralis fautores atque admiratores.

---

[1]) Audi Paulsen pro ceteris: „Es kann eigentlich *keine allgemein gültige* Moral in concreto geben; die verschiedenen Ausprägungen des allgemeinen Typus des Menschen erfordern jede ihre besondere Moral. Wie ein Engländer ein anderer ist als ein Chinese oder Neger, und auch ein anderer sein will und soll, so gilt für jeden unter ihnen auch eine andere Moral. . . . Lässt man eine verschiedene Moral für Engländer und Neger zu, dann gibt es wohl auch eine verschiedene Moral für Männer und Frauen, für Künstler und Kaufleute, ja schliesslich also eine besondere für jeden einzelnen Menschen? In der Tat, die Folgerung wird gelten. Aber ich sehe nicht ein, wie sie vermieden werden kann, wenn wir einmal zugegeben haben, dass Verschiedenheit des Lebensinhaltes . . . wesentliche Bedingung der Vollkommenheit der Menschen sei." „Vielleicht ist Polygamie eine notwendige Stufe in der Entwickelung der Familie, wie die Blutrache in der Entwickelung des Rechtes oder die Sklaverei in der Entwickelung der Gesellschaft." System der Ethik, 1900[5], p. 19, 21.

[2]) Cfr. Études, 1907, p. 106 sq.; Roure, Bulletin de morale; porro p. 766 sq.: Le sentiment religieux et la vie.

[3]) Cfr. vol. I, p. 250 sq. En aliquod eius effatum, cui similia multa apud eum invenies: „Was ist gut? Alles, was das Gefühl der Macht, den Willen zur Macht, die Macht selbst im Menschen erhöht. Was ist schlecht? Alles, was aus Schwäche stammt. Was ist Glück? Das Gefühl davon, dass die Macht wächst, dass der Widerstand überwunden ist. Nicht Zufriedenheit, sondern mehr Macht, nicht Friede überhaupt, sondern Krieg; nicht Tugend, sondern Tüchtigkeit („moralinfreie Tugend"). Die Schwachen und Missratenen sollen zu Grunde gehen: erster Satz *unserer* Menschenliebe, und man soll ihnen noch dazu helfen. Was ist schädlicher als irgend ein Laster? Das Mitleiden der Tat mit allen Missratenen und Schwachen." „Die ganze Moral ist eine beherzte lange Fälschung." „Der Anarchist und der Christ sind gleicher Herkunft." Cfr. Cathrein, l. c. p. 143; Ueberweg-Heinze, l. c. p. 339 sq.; Gander, Darwin u. s. Schule, 1907, p. 167 sq. Crederes insanientem audire loquentem; nec mirum, istum inimicum omnis moralitatis, praesertim christianae, in domo insanorum incurabilium obiisse.

Ab his prorsus differunt, qui et ipsi discrimen intrinsecum et essentiale inter actus bonos et malos negant, sed illud ex Dei libera voluntate repetunt. Hoc primum *Occam* († 1347) statuisse videtur, ut nominalista (cfr. vol. I, p. 419), non satis distinguens inter theologiam et philosophiam moralem, inter bonum praeceptum et bonum ex natura sua. Huic *Gerson* († 1429) consentire videtur, necnon *Melanchthon* et plerique post eum auctores protestantium. Inprimis *Cartesius* († 1650) bonum et malum a Dei voluntate dependere docuit, sicut etiam essentias rerum (cfr. vol. I, p. 421 sq.); similiter *Pufendorf* († 1694) iuris consultus, quem multi sequebantur iuris prudentes. Quam sententiam nonnulli recentes philosophi, e. g. Wundt, Ahrens, Spencer, Ziller, Dorner, Stange etc. immerito theologis et philosophis scholasticis tribuunt, qui ducibus Augustino et Thoma[1]), sententiam oppositam docent statuentes discrimen intrinsecum et essentiale inter actus humanos quoad moralitatem ante omnem legem sive divinam sive humanam[2]). Tantum abest, ut S. Thomas ordinem moralem dependentem faciat a voluntate etiam divina, ut hanc sententiam blasphemam habeat, siquidem Dei negaret sapientiam[3]).

Thesis II: Est discrimen inter actus moraliter bonos et malos illudque non solum extrinsecum, derivatum ex voluntate humana vel divina, sed est discrimen intrinsecum et essentiale.

St. qu. 1° Bonitas actus humani cum s. Thoma quadruplex distingui potest[4]): transcendentalis, in quantum actus humanus est ens aliquod; deinde ontologica sive physica, in quantum est actus aliquis in categoria actionis constitutus; tertio psychologica, in quantum est actus voluntatis, per naturam suam distinctus ab aliis actibus immanentibus, e. g. intellectus; quarto moralis, in quantum est actus liber, qui non ex necessitate ulla procedit, sed ex propria determinatione, cui mentis deliberatio praecessit, non quidem quaecunque deliberatio, sed ea quae circa finem naturamque operantis versatur. Patet, in thesi sermonem non esse, nisi de hac ultima bonitate actus humani; quodsi haec bonitas desit, actus dicitur moraliter malus, licet physice vel etiam psychologice sit valde perfectus, e. g. crimen magna mentis sagacitate et voluntatis firmitate patratum.

2° Bonum hoc morale ratione obiecti triplex distinguitur: *utile, iucundum, honestum.* Utile non propter se, sed propter aliud bonum sive honestum sive iucundum appetitur, ac proinde moralitatem suam non ex se, sed ex eis tanquam a fine suo habet. Iucundum est, quod delectationem affert et habetur in bono possesso; habet igitur moralitatem suam ex bono sive physice sive modo intentionali possesso, e. g. ex cibis comestis, ex actu virtutis posito. Honestum est

---

[1]) C. gent. III, c. 129. [2]) Cfr. Suarez, de bonitate et malitia actuum humanorum disp. 7, sect. 1. [3]) De veritate, qu. 23, a. 6; S. Theol. I, qu. 21, a. 1 ad 2.
[4]) Cfr. S. Theol. I, II, qu. 18, a. 4.

bonum, quod naturam operantis per se perficit secundum finem eius verum, et hoc est bonum morale sensu proprio, ex quo omnis honestas derivatur.

3⁰ Affirmamus discrimen essentiale morale in actibus humanis esse intrinsecum, i. e. eos non solum quoad gradus differre, sed toto genere, ita tamen ut actus per privationem ordinationis debitae constituatur malus; opponitur igitur actui honesto privative, sicut aegritudo sanitati (cfr. Ontol., vol I, p. 451 sq.). Deinde affirmamus, rationem formalem huius bonitatis vel malitiae non aliunde, i. e. non ab extra actibus humanis advenire, quemadmodum medicina sana vocatur propter relationem ad sanitatem humanam, sed in ipsorum natura inesse, sicut homo in se ipso vel sanus est vel aegrotus. Est tamen advertendum, hanc intrinsecam bonitatem et malitiam proprie solum in actibus deliberatis voluntatis inesse et in obiectis, quae, natura et fine nostro consideratis, necessariam cum voluntate nostra relationem habent, ut supra diximus; in actibus autem imperatis eorumque obiectis tota bonitas vel malitia a voluntate libera derivatur.

4⁰ Quum discrimen illud inter actus bonos et malos per se essentiale sit atque intrinsecum, repugnat actum bonum fieri malum et vice versa, ita ut haec bonitas et malitia moralis sint proprietates actuum et obiectorum suorum necessariae, immutabiles, universales, quae proinde proprietates signa sunt bonitatis vel malitiae intrinsecae. — Sedulo tamen notandum est, posse aliquos actus per se solum extrinsecam moralitatem habere, in quantum per voluntatem humanam sive divinam legitime imperantur sive prohibentur, licet ex se neque boni sint neque mali, e. g. voluntas tributum certum solvendi, die veneris a carnis abstinendi. Tunc saltem *fundamentum* harum legum sive praeceptorum est bonum intrinsecum sc. obedientia erga praepositos legitimos.

I. *Est discrimen obiectivum inter actus moraliter bonos et malos.*

Prob. 1. *Ex experientia nostra tum interna tum externa:* Constat per conscientiam nostram, nos quaedam facere, quia bona a nobis habentur, e. g. laborare, abstinere ab illicitis, obedire parentibus, iuvare proximos. Neque solum bona illa ontologice, vel physice, vel psychologice bona habentur, quia sunt entitates quaedam physicae, vel actiones voluntatis nostrae quaecunque, sed quia ad ordinem altiorem, i. e. moralem referuntur nosque quoad naturam nostram finemque perficiunt. — Porro constat, nos quaedam omittere, quia mala habentur, non propter defectum aliquem physicum actuum vel obiectorum, sed propter defectum ordinis debiti, e. g. odisse parentes, furtum vel periurium facere; et si libere tale aliquid commisimus, nobis imputamus nosque dignos poena sentimus. — Similiter constat,

et alios homines sic iudicare idque circa eosdem actus et obiecta, alia moraliter bona, alia mala habentes. *Atqui* haec distinctio inter actus et obiecta bona vel mala supponit discrimen inter ipsa illudque obiectivum; nam a) optime scimus, nos non pro libito hoc discrimen statuere, sed nos teneri hoc modo iudicare et facere propter rerum ordinem obiectivum; secus nulla potius esset moralitas, sed effrenata omnium licentia; b) scimus, hoc discrimen non consistere in delectatione sive utilitate subiectiva actionis; secus luxuria et furtum essent bona; c) constat, alios homines nobiscum idem sentire, et iam a priori certi sumus, omnes e. g. furtum damnare, amorem proximi autem bonum habere, quod explicari non posset, nisi discrimen inter actus bonos et malos esset tantum subiectivum; nam in affectionibus subiectivis homines maxime differunt. *Ergo* est discrimen obiectivum inter actus moraliter bonos et malos[1]).

2. *Ex historia:* Historia gentium tum antiquarum, tum modernarum, cultarum et ferocium testatur, omnes gentes semper et ubique quaedam habuisse bona, quaedam mala; illa esse laude, haec poena digna, neque hoc discrimen idem esse, quod inter utile et iucundum eorumque oppositum habetur[2]). Recte Cicero: „Quae autem ratio non comitatem, benignitatem, non gratum animum et beneficii amorem diligit; quae superbos, quae maleficos, quae crudeles, quae ingratos non aspernatur, non odit?[3]) *Atqui* quod ubique et semper invenitur, non potest esse falsum vel fictum, sed, teste Cicerone, „lex naturae putanda est"[4]). (Cfr. vol. I, 222 sq. de sensu naturae communi.) *Ergo* est discrimen obiectivum inter actus moraliter bonos et malos.

3. *Ex testimonio conscientiae morali:* Conscientia moralis testatur ante actionem, quaedam facienda vel omittenda esse, etiamsi

---

[1]) Recte igitur Cicero (De finibus bon. et mal. V, 22): „Quis est tam dissimilis homini, qui non moveatur et offensione turpitudinis et comprobatione honestatis? Quis est, qui non oderit libidinosam, protervam adolescentiam? Quis contra in illa aetate pudorem, constantiam, etiamsi sua nihil intersit, non tamen diligat? Quis Pullum Numitarium, Fregellanum proditorem, quamquam reipublicae nostrae profuit, non odit? Quis urbis conservatorem Codrum, quis Erechtei filias non maxime laudat? Cui Tibuli nomen odio non est? Quis Aristidem non mortuum diligit? An obliviscimur, quantopere in audiendo, in legendoque moveamur, quum pie, quum amice, quum magno animo aliquid factum cognoscimus?"

[2]) Cfr. Cathrein, Moralphilosophie, 1904⁴, I, p. 569—677; W. Schneider Die Naturvölker, 2 vol., 1885/86; Allgemeinheit und Einheit des sittl. Bewusstseins, 1895; Anthropos, periodicum missionariorum cathol., ex anno 1906 publicatum, in nostra quaestione inprimis consultandum. — Porro Ratzel, Völkerkunde, 2 vol., 1894/95²; Peschel, Völkerkunde, 1885⁶; Wundt, Völkerpsychologie, 3 vol., 1900—1906; tres ultimi caute sunt consulendi.

[3]) De leg. I, 11. [4]) Tuscul. I. 13.

inde damnum vel gravissimum nobis oreretur, immo etsi mors nobis esset subeunda, e. g. miles defendens patriam. Post actionem vero eadem conscientia testatur, nos vel praemio dignos esse vel poena, prout aliquid boni vel mali gessimus, non propter aliquam utilitatem vel delectationem, sed propter rei ipsius honestatem vel inhonestatem [1]). *Atqui* nisi esset discrimen inter bonum et malum, vel si hoc discrimen in aliqua relatione tantum ad utilitatem vel delectationem consisteret, hoc testimonium conscientiae explicari non posset, praesertim quum eius vox nulla ratione opprimi possit (furiae veterum). *Ergo* est discrimen obiectivum inter actus morales.

II. *Discrimen hoc non oritur ex voluntate humana sive sociali, sive individuali.*

Prob. 1. *Ex natura legum et morum:* Leges et mores non possunt esse principium moralitatis, si iam eam supponunt. *Atqui* revera moralitatem iam supponunt; nam a) leges propterea constituuntur, ut aliquod, quod iam bonum habetur, fiat ad salutem civitatis, vel ut malum aliquod caveatur; similiter etiam mores introducuntur et observantur, ut aliquod *in se iam bonum* fiat. b) Legibus et moribus aut obediendum est, aut non; si primum, moralitas obedientiae iam eos praecedit, unde non sunt principium omnis moralitatis; sin alterum, leges et mores inutiles fierent. *Ergo* leges et mores supponunt iam bonum et malum, i. e. ordinem moralem.

2. *Ex proprietatibus legum et morum:* Distinguuntur leges honestae et inhonestae, mores boni et mali, e. g. leges veterum de infantibus exponendis, mores polygamiae, servitutis, suicidii. *Atqui* non esset norma huius discriminis statuendi, nisi discrimen inter bonum et malum praecederet. *Ergo* leges et mores supponunt iam ordinem moralem.

3. *Ex absurdis:* Quodsi per leges et mores ordo moralis tandem constitueretur, bonum esset, quidquid lex vel mores statuerent, malum, quidquid vetarent. *Atqui* tunc licita, imo moraliter bona et optima fieri possent, quae ab omnibus habentur crimina, e. g. furta, periuria, odium etc. *Ergo* leges et mores non efficiunt ordinem moralem, sed eum supponunt (cfr. supra p. 12 sq.)[2]).

Hoc optime, ut solet, *Cicero* explanat, simul rationem discriminis intrinseci inter bonum et malum indicans: „Si populorum iussis, si principum decretis, si sententiis iudicum iura constituerentur: ius esset latrocinari, ius

[1]) Cfr. Weiss, Apologie d. Christentums, 1894[3], I, 85 sq.; Werner, System d. Ethik, 1850, I, 449 sq., ubi multa veterum effata de vi conscientiae afferuntur.

[2]) Cfr. W. Schneider, Göttl. Weltordnung und religionslose Sittlichkeit, 1900, p. 322 sq.

adulterare, ius testamenta falsa supponere, si haec suffragiis aut scitis multitudinis probarentur. Quae si tanta est potestas stultorum sententiis atque iussis, ut eorum suffragiis rerum natura vertatur, cur non sanciunt, ut, quae mala perniciosaque sunt, habeantur pro bonis ac salutaribus? Aut cur, quum ius ex iniuria lex facere possit, bonum eadem facere non possit ex malo? Atqui nos legem bonam a mala nulla alia nisi *naturae norma* dividere possumus" (de leg. I, 16). — Neque aliud sentit *Aristoteles*, quasi pater scientiae moralis, distinguens ius duplex civile: naturale et legitimum. „Naturale, quod ubique gentium idem valet, non quia ita vel decretum sit vel non decretum" [1]). Et alibi: „Est enim quoddam, quod augurantur omnes, natura commune iustum et iniustum, etiamsi nulla societas invicem sit nullaque pactio, ut Sophoclis Antigone videtur dicere, iustum esse, interdictum sepelire Polynicem, quasi natura sit id iustum: „non etenim id nunc et heri; sed semper fuit, et nemo scit, unde eius ortus sit" [2]).

III. *Neque ex voluntate divina.*

Nota: Verum est, voluntatem divinam esse principium obligationis et sanctionis, quae moralitatem complent ac perficiunt; porro voluntas divina quaedam potest imperare vel prohibere, quae per se neque bona sunt neque mala. Non autem est principium ordinis moralis per se, discriminis inter bonum et malum in genere.

Prob. 1. *Ex natura voluntatis divinae:* Voluntas divina non facit, sed supponit naturam atque essentiam rerum (cfr. vol. I, p. 421 sq.). *Atqui* a) quaedam ex se et natura sua sunt bona vel mala, e. g. Deum colere vel Deum odisse, periurium, odium, mendacium etc. b) Aut iam constat, divino imperio esse obediendum, aut non; si primum, divina voluntas non est principium omnis moralitatis; sin alterum, nulla ratio adest obediendi, vel sine ratione obedientia praestanda esset. *Ergo* moralis bonitas vel malitia Dei voluntatem naturâ praecedit.

2. *Ex Dei sapientia et sanctitate:* Deus quaedam praescribens vel prohibens aut habuit rationem eamque se dignam, aut non habuit. Si primum, ratio praecepti divini Deo digna sc. eius sapientia et sanctitas praecedit Dei voluntatem estque eius norma ac proinde principium ordinis moralis; sin alterum, Dei voluntas esset irrationalis, neque summum bonum, Dei ipsius infinitam perfectionem, tanquam finem haberet, i. e. non esset sancta (cfr. vol. II, p. 606 et 611 sq.), quod impossibile est. *Ergo* voluntas Dei per se non est principium formale ordinis moralis.

3. *Ex defectu revelationis naturalis:* Si Dei voluntas esset principium ordinis moralis, deberet exsistere revelatio divina, ut sciremus, quae Deus imperavisset vel vetuisset, quemadmodum lex humana

[1]) Eth. Nic. V, 10 (Editio latina Berolini 1831), p. 561.

[2]) Ibid. p. 705 (Rhetor. I, 13); cfr. Sophocles, Antigone v. 448—458; Oedipus v. 836 sq.; cfr. K. Werner, Christl. Ethik, 1850, I, p. 335 sq.

promulgari debet, ut quid faciendum quidve omittendum sit subditis innotescat. *Atqui* constat contra Traditionalistas (cfr. vol. I, p. 264 sq.), eiusmodi revelationem non exsistere circa ea, quae naturaliter sunt bona vel mala, sicut exsistit revelatio supernaturalis docens, quae Deus *praeter* ordinem naturae velit sive nolit. Neque nobis est intuitio immediata voluntatis divinae, sicut aliqui cum Ontologistis censent (cfr. vol. I, p. 268 sq.), sed ratione nostra investigandum est, quid naturaliter bonum, quid malum sit. *Ergo* voluntas divina non est principium ordinis moralis in genere.

IV. *Discrimen inter bonum et malum morale est intrinsecum atque essentiale.*

Prob. 1. *Per exclusionem:* Constat, discrimen esse inter bonum et malum. Hoc autem discrimen aut accidentale est et extrinsecum, aut essentiale et intrinsecum. *Atqui* non primum; tunc enim aut voluntas humana socialis vel individua, aut voluntas saltem divina esset principium moralitatis, quod reprobavimus. *Ergo* est discrimen essentiale atque actibus nostris humanis intrinsecum.

2. *Ex natura actuum humanorum:* Actus humani, i. g. liberae voluntatis aut conveniunt naturae nostrae rationali, sive in se ipsa consideratur, ut constans ex corpore et anima rationali, sive eius relatio ad alios homines in familia et societate, vel ad Deum spectatur, aut non conveniunt. Si primum, vocantur boni et honesti, e. g. abstinentiae, iustitiae actus, et haec ratio ordinis moralis ipsis est intrinseca, non aliunde derivata; vocantur enim actus honesti, praecise quia conformes sunt principio suo, i. e. naturae humanae. Si vero non sunt conformes naturae nostrae, vocantur inhonesti, e. g. actus luxuriae, iniustitiae, impietatis; et haec inordinatio ipsis per se inest, non analogice; sicut sanitas et aegritudo per se et proprie inest hominibus, non medicinae vel veneno. *Ergo* est discrimen intrinsecum inter actus bonos et malos.

3. *Ex fine actuum humanorum:* Actus humani aut sunt ordinati ad finem verum naturae humanae, aut non. Si primum, vocantur honesti; nam bonum, quod actibus nostris appetitur, aut est utile aut iucundum aut honestum. Utile non appetitur nisi ut medium ratione finis, a quo totam suam moralitatem accipit; finis autem est bonum aliquod iucundum vel honestum. Bonum iucundum potest convenire naturae humanae, et tunc est honestum, e. g. delectatio pulchri et veri; si vero non decet naturam humanam, est bonum non verum ac proinde malum morale, e. g. luxuria, ebrietas. Quodsi actus humani non sunt ordinati ad finem verum hominis, patet, eos esse inhonestos, quia rationi ordinique recto repugnant. *Atqui* finis sive operis sive operantis, proximus vel ultimus actionis

est de natura ipsa actionis, sine quo esse non potest; obiectum enim actionis, quod est eius finis saltem immediatus, specificat actionem. *Ergo* est discrimen inter actus humanos idque ipsis intrinsecum et essentiale.

4. *Ex proprietatibus ordinis moralis:* Ordo moralis sive discrimen inter actus moraliter bonos vel malos, habetur necessarium, immutabile, universale. Omnibus enim persuasum est, furtum, ebrietatem, periurium, adulterium nunquam posse fieri licitum atque honestum, et virtutem per se nunquam posse fieri vitium, ne societas humana pereat et natura ipsa humana pervertatur in bestialem; neque unquam talis mutatio ordinis moralis ipsius facta est. Licet homines saepe, passionibus abrepti, eum violaverint, ipsi tamen per conscientiam suam convicti erant valoris huius ordinis suaeque obligationis necnon necessitatis poenitentiae vel poenae sive in hoc sive in altero mundo subeundae. *Atqui* haec necessitas, immutabilitas, universalitas ordinis moralis non potest inniti, nisi in aliquo fundamento necessario, immutabili, universali, quale fundamentum non est nisi ipsa rerum natura: proximum quidem fundamentum natura humana, quae ubique et omni tempore eadem fuit atque immutabilis est (cfr. vol. I, p. 369 sq.), ultimum autem natura divina, fons et finis omnis perfectionis, in se absolute necessaria, immutabilis, ubique praesens, omniumque rerum causa exemplaris fundamentalis.

5. *Ex absurdis:* Nisi discrimen inter bonum et malum morale esset actibus nostris intrinsecum et essentiale: a) nihil certi de moralitate actuum humanorum statui posset, ac proinde nulla esset scientia ethica, quae certas leges supponit, ut omnis scientia; b) neque scientia historica esse posset, siquidem supponit quaedam principia certa atque ab omnibus admissa, necnon immutabilia, secundum quae facta historica et moralitas hominum tum publica tum privata temporum praeteritorum diiudicari possint; c) nesciretur, quando et quomodo discrimen usque eo statutum inter actus humanos legesque morales immutatae essent, praesertim in sententia Evolutionistarum, quibus immutatio omnium rerum eaque intrinseca essentialis est atque continua; d) per consequens, quod hodie moraliter bonum est vel malum, posset cras, imo iam hodie in contrarium esse transmutatum, ita ut fugiat nostram cognitionem. Quin etiam id quod hodie bonum est morale vel malum, *debuit* aliquando esse contrarium vel aliquando erit contrarium, si evolutio rerum intrinseca et necessaria cum Darwin, Spencer, Wundt, Paulsen aliisque statuitur[1]). *Atqui* haec omnia absurda sunt in se; repugnant persuasioni hominum, destruunt societatem humanam et scepticismum universalem moralem inducunt. *Ergo*

[1]) Cfr. Willems, Die Erkenntnislehre des modernen Idealismus, 1906, p. 92, 121 sq.

ordo moralis est necessarius atque immutabilis, ac proinde in ipsa natura actuum humanorum fundatus.

Idem docet *Cicero* multis locis; en aliquod eius effatum: „Communis intelligentia notas nobis res efficit easque in animis nostris inchoavit, ut honesta in virtute ponantur, in vitiis turpia. Haec autem in opinione exsistimare, non in *natura posita*, dementis est. Nam nec arboris nec equi virtus, quae dicitur (in quo abutimur nomine), in opinione sita est, sed in natura. Quodsi ita est, honesta quoque et turpia *natura* diiudicanda sunt" (De leg. I, 16. Cfr. de finibus bonorum et malorum III, 11). — Cui assentitur *Aristoteles*; postquam explicavit, in multis rebus utendis vel fruendis virtutem in medio, i. e. in moderatione positam esse, prosequitur: „Verum non omnis actio nec omnis perturbatio mediocritatem recipit. Sunt enim quaedam quorum *nominibus* statim vitium est implicatum, ut malevolentia laetans alieno malo, impudentia, invidentia, et in actionibus adulterium, furtum, caedes. Haec enim omnia et quae sunt huius generis, sic appellantur, quod *ipsa mala* sint, non eorum immoderationes aut paucitates. Nunquam igitur fieri potest, ut in his recte fiat, sed semper peccatur" (Eth. Nic., II. 6).

Obi. 1. Bonum est, quod homines appetunt Atqui diversi homines pro diversa sua natura et dispositione diversa appetunt. Ergo nihil est in se bonum vel malum (ita Hobbes). Dist. maior.: Bonum *in genere* est, quod homines appetunt — conc.; est semper bonum honestum, subd.: si moraliter agunt — conc., secus — nego. Contra dist. minor.: homines appetunt bona diversa *in genere* — conc.; si *honeste* agunt, subd.: si in iisdem conditionibus versantur — nego; si in diversis conditionibus versantur, iterum dist.: quia nullae leges morales universales neque discrimen intrinsecum inter bonum et malum exsistit — nego; quia *applicatio* legum moralium alia est — conc. Certe, si sententia Hobbesii vera esset, bonum esset, quidquid homo appeteret, quod tamen conscientiae hominum repugnat.

2. Atqui si esset discrimen essentiale et intrinsecum inter bonum et malum legesque universales morales, non possent esse tot diversae opiniones in rebus moralibus; dist.: sunt diversae opiniones de quaestionibus moralibus ex primis principiis plus vel minus recte derivatae — trans. vel conc.; sunt diversae opiniones de ipsa exsistentia ordinis moralis, i. e. de discrimine intrinseco inter bonum et malum et de primis principiis et regulis immediate inde derivatis — subdist: apud nonnullos philosophos ex falso eorum systemate vel apud nonnullos homines perversos, nolentes passionibus frenum inicere — trans. vel conc.; apud homines sana mente praeditos neque passionibus abreptos — nego.

3. Atqui nullae sunt veritates morales immutabiles, universales, quia omnia in continua evolutione intrinseca versantur[1]). Nego antecedens; dist.: probationem: Natura ipsa humana intrinsecus evolvitur et mutatur — nego;

---

[1]) Sic Paulsen cum multis: „Die moderne historisch genetische Denkweise hat die absoluten Wahrheiten überhaupt aufgegeben. Die Wirklichkeit ist in beständigem Fluss, ihr folgt die Erkenntnis. . . . Wie alle Formen des Lebens und Daseins, so sind die Formen des Denkens selbst nicht absolute, sondern historische Kategorien. (Cfr. L. Stimmen 1903, p. 179 sq.); porro Spencer, Prinzipien der Ethik, II. Tl., 4, Anh. D; cfr. vol. I, p. 369 notae,

status culturae mutatur, subd.: et ab eo dependet *exsistentia* et *valor* ordinis moralis — nego; ab eo dependet diversa *applicatio* legum moralium — conc. Adversarii igitur confundunt primum mutationem status solum externi hominis cum mutatione ipsius naturae; deinde exsistentiam legum moralium cum earum applicatione.

4. Atqui moralitas saltem diverso statui hominum debet conformari, quemadmodum medicina diversa erit pro diversis hominibus[1]); dist: leges morales debent diverso modo applicari — trans. vel conc.; debent in se aliae esse pro diversis hominibus, e. g. Europaeis et Africanis — nego. Ita etiam leges medicinae, e. g. ad sanandum certum morbum in genere eaedem sunt, attamen statui aegroti (ratione constitutionis, aetatis, conditionis etc.) adaptantur. Quemadmodum functiones organicae apud omnes homines in genere eaedem sunt, ita etiam spirituales et morales. Numquid igitur alicubi vel aliquando ebrietas, furtum, odium fieri possunt virtutes, temperantia autem, iustitia, amor proximi vitia?

5. Atqui olim vel apud alias gentes habetur licitum, quod apud nos non licet[2]), e. g. olim polygamia, servitus, expositio infantium, crudelitas in hostes, torturae in accusatos; dist.: in his quaestionibus agitur de ordine morali in genere vel de eius primis principiis — nego; agitur de veritatibus derivatis, subd.: illegitime per errorem deductis — conc.; legitime derivatis — nego.

---

et supra p. 22[1]; Phil. Jhrb. 1907, p. 172 sq., ubi alii fautores huius sententiae enumerantur: Paul Rée, Nietzsche, Störing, H. Sidgwick, Leslie Stephan, L. Alexander, W. Stern, E. Laas, W. Wundt, L. Woltmann, quibus alii multi adnumerari possent.

[1]) Sic iterum Paulsen: „Wie für den Engländer und den Neger eine verschiedene Diätetik gilt, so auch eine verschiedene Moral, die ja nach unserer Auffassung nichts anders ist, als eine das ganze Leben umfassende Diätetik" (l. c. p. 19); sed mox quodammodo se ipsum refutat dicens: „Sofern gewisse Grundzüge des Wesens und der Lebensbedingungen bei allen Menschen gleich sind, insofern wird es auch gewisse, für alle gleiche Grundbedingungen gesunder Lebensentwickelung geben. So kann die medizinische Diätetik gewisse Grundregeln als allgemein gültige aussprechen. . . . In demselben Sinne kann auch die Moral allgemein gültige Sätze aufstellen: irgend welche Fürsorge für die Nachkommen, irgend welche Erziehung der Jugend ist Bedingung für die Erhaltung menschlichen Lebens; und hierfür ist wieder irgend eine Form dauernden Zusammenlebens der Geschlechter die Bedingung. Oder: irgend welche Ordnungen zur Verhinderung von Feindseligkeiten zwischen den Gliedern eines Stammes sind für seine Erhaltung notwendig, Übertretung dieser Ordnung hat die Tendenz, zerstörend zu wirken; darum sind Mord, Ehebruch, Diebstahl, falsches Zeugnis böse, Gerechtigkeit, Wohlwollen, Wahrhaftigkeit, die innern Willensbestimmtheiten, welche jene Handlungen verhindern, gut" (l. c. 20). Quibus bene dictis thesis nostra confirmatur, ordinem moralem in ipsa natura homines tum individua, tum sociali fundari, ac proinde discrimen intrinsecum inter bonum et malum morale exsistere. In hoc vero errat Paulsen, quod normam honestatis, ut infra dicetur, in salute publica collocat.

[2]) Cfr. Paulsen supra p. 22[1].

Liber secundus: De natura moralitatis.

Quum actus humanus ut realitas aliqua physica in se ipsa consideratus, *moraliter* neque bonus sit neque malus — sic enim non habet bonitatem nisi transcendentalem sive physicam (cfr. p. 23, st. qu.), evidens est, hanc moralitatem in ipso non haberi nisi per aliquam eius *relationem* eamque ei *intrinsecam*. Quaeritur igitur, per quam relationem actus humanus intrinsecus, i. e. *formaliter* constituatur moraliter bonus vel malus. Iam vero si res a priori consideratur, triplex sententia esse potest: a) moralitatem haberi ex relatione actus humani ad eius *obiectum*; b) vel ad eius *subiectum*; c) vel ad *utrumque* simul. Revera tres hae de moralitate actuum nostrorum sententiae decursu temporis statutae sunt: Prima ab eis, qui moralitatem in effectu, i. e. in utilitate quadam actuum collocabant (Güterlehre, Eudaemonismus); secunda ab iis, qui eam ex subiectiva aliqua indole nostra repetunt (Intuitionismus-Rationalismus, Tugend-Pflichtenlehre); tertia ab iis, qui naturam humanam obiective, i. e. tum in se ipsa, tum quoad obiecta (finem) sua consideratam tanquam normam moralitatis saltem proximam constituebant. Quarum sententiarum, quae vera sit, nunc inquiramus, primum refutantes normas non sufficientes, deinde nostram sententiam exponentes.

§ 1. De principiis moralitatis mere obiectivis.

Praenotio: Qui moralitatem actuum nostrorum ex eorum obiecto *solo* derivant, in diversas abeunt sententias: alii in delectatione (Hedonismus), alii in utilitate sive privata sive sociali (Utilitarismus), alii in bonis ipsis solis producendis (Progressismus), alii tandem in fine ultimo sive subiectivo (nostra felicitas) sive obiectivo (Dei gloria) collocant. Quas sententias singulas breviter expendamus atque, in quantum falsae sunt, reiciamus; nam aliquid veri omnibus inest; secus non possent ab ullo homine sana mente approbari.

Caput I: Omnis Hedonismus reprobatur.

1. *Expositio historica*[1]): Hedonismus in eo consistit, quod delectatio eaque praesertim sensualis tanquam obiectum ultimum normaque activitatis nostrae habetur. Distinguitur hedonismus *practicus* et *theoreticus*. Hedonismum practicum omnes sequuntur, qui, voce conscientiae contempta, passionibus sensualibus de facto inhiant, e. g. luxuriae, amori turpi, ebrietati, gulae etc. et erant semper et sunt — pro dolor — nimis multi —; theoreticum autem profitentur, qui modo scientifico hanc delectationem tanquam normam moralitatis constituunt. Primus *Aristippus* Cyrenensis (saec. IV a. Chr.)[2]) eiusque

[1]) Cfr. Stein, Patholog. Moralprinzipien, 1879, p. 47 sq.

[2]) Diogenes Laertius (saec. III, p. Chr.), II, 8 (de vita et doctrina, philosophorum illustrium).

filia *Arete* et nepos *Aristippus* iunior, necnon discipulus *Theodorus* „Atheista“, eiusque discipuli *Bio, Euhemeros, Hegesias, Anniceris* iunior hanc doctrinam proponebant docentes, delectationem eamque sensualem actualemque semper esse sequendam; delectationem ipsius animae spiritualem non esse spernendam eam quidem, sed minus habendam. Attamen prudentiam requiri et virtutem temperantiae, ne delectatio usu immoderato minuatur vel malum fiat, ut potius quam maxima et quam maxime diuturna haberi possit; virtus igitur et prudentia habentur solum media ad delectationem habendam atque augendam. Discrimen inter bonum et malum intrinsecum nullum esse (cfr. supra p. 28 sq.), sed legibus moribusque humanis constitui. — Quam sententiam, iam ab antiquis fere omnibus repudiatam, seculis elapsis repetebant, qui hominem cum brutis comparabant, ut Materialistae: *Helvetius* († 1771), *de la Mettrie* (1748), *Holbach* (System de la nature 1770), *Feuerbach*[1]) († 1872), non erubescentes affirmare, delectationem sensualem, imo sexualem esse summum hominis bonum atque maxime appetendam omniaque alia bona: divitias, honores, potestatem ad eam consequendam ordinari. Quodsi haec delectatio haberi iam non possit, vitam, utpote innutilem, esse abiciendam per suicidium.

II. *Refutatio*[2]): Vix opus videtur, hanc sententiam Hedonismi de summo bono et de norma moralitatis refutare; est enim a) moralitas animalis brutorum, non hominum; rationem et voluntatem spiritualem vel prorsus negant, vel subordinant sensibilitati et appetitui animali, totam pervertentes naturam humanam. b) Confundunt finem actionis cum aliquo eius effectu secundario; finis enim actionis ex naturae ordine est perfectio humana, eaque vel secundum totam eius naturam et rationalem et sensitivam, vel saltem secundum partem rationalem, cui sensitiva subordinanda est; delectatio autem non est effectus proprius actionis a natura intentus, sed potius signum eius et motivum aliquod ad effectum proprium certius producendum; sic effectus proprius a natura intentus in manducando et bibendo non est delectatio, quae inde oritur, sed est nutritio organismo necessaria; quodsi haec delectatio non adesset, posset fieri, ut animalia iisque similes homines sensuales neque comederent neque biberent. Propterea illos homines vituperamus et bestiis similes reputamus, qui ex *sola* delectatione sensuali edunt vel bibunt, neglecto fine proprio; idem dicendum est de delectatione sexuali. c) Aut omnis delectatio licita est atque honesta, aut non. Sin *ultimum*, conceditur aliam normam moralitatis supponi, qua etiam voluptas diiudicetur; si *primum*, tunc liceret omne medium ad delectationem comparandam; fornicatio et adulterium et luxuria non iam essent peccata, modo delectatio inde habeatur; tunc qui lautius epularetur vel biberet, vel melius longiusque dormiret quam alii, ipsis etiam honestior esset atque virtuosior; nemo labores et sacrificia pro aliis subiret omnisque vita christiana et doctrina esset abiicienda, quo nihil foedius nihilque homine magis indignum dici potest. Virtus enim et ratio vitiis obruerentur, et homo ratione praeditus bestiis peior evaderet.

[1]) Cfr. Cathrein, Moralphil., 1904[4], p. 117, 236; cfr. vol. I, p. 250 sq.

[2]) Cfr. Stein, Patholog. Moralprinzipien, 1879, p. 186 sq.

Caput II. Utilitarismus et privatus et socialis reprobatur.

Utilitarismus in eo consistit, quod moralitas actionis humanae tota ex eius effectu utili oriatur; si hic effectus solum individuo operanti utilitatem aliquam confert, habetur utilitarismus *privatus*, si effectus in societatis utilitatem redundat, dicitur utilitarismus *socialis*.

A. *Utilitarismus privatus.*

I. *Expositio historica*: a) *Utilitarismum privatum* homines ex naturae indole facile sequuntur, siquidem ex naturae tendentia fundamentali utilitatem propriam appetimus; haec tendentia naturalis vocatur *Egoismus*. Hunc igitur utilitarismum privatum tanquam supremam normam agendi statuebat *Democritus Abderites*[1]) († 350 a. Chr.), docens summum bonum esse tranquillitatem animi (εὐθυμία), quae prudentiâ et temperantiâ (αὐτάρκεια) comparanda sit; bonum igitur esse, quod conferat vel augeat hanc internam tranquillitatem, unde, „philosophus ridens" vocatur; quem sequebatur *Epicurus* († 270 a. Chr.), qui maximam vitae praesentis delectationem, spiritualem tamen potius quam sensualem, virtute et prudentia moderandam, summum bonum habebat. — Saeculis posterioribus hanc sententiam Epicuri resuscitabant *Gassendi* († 1655), *Hobbes* († 1679), *Collins* († 1729), *Condillac* († 1780), necnon certo modo *Spinoza*, *Thomasius*, *Genovesi* († 1763), *Gioia* († 1829), *Romagnosi* († 1835), aliique id exigentes, ut suam quisque salutem et corporis et animi primo procuraret, sperantes fore, ut tunc et saluti publicae provideretur, si quisque bene se haberet. Quod praesertim *Bentham* († 1832) probare conatur statuens tanquam regulam supremam agendi: „Age ita, ut quam maximam summam bonorum et quam minimam summam malorum efficias et tibi et aliis." Aliis enim benefacere, nobis ipsis quandam affert satisfactionem estque in nobis affectus naturalis sympathiae; aliis autem malefacere, in nobis ipsis excitat affectum naturae nostrae adversarium aliosque ad se ulciscendos excitat. Duae igitur potissimum habentur virtutes: prudentia et benevolentia; illa directe nostram spectat utilitatem, haec indirecte eo, quod aliorum utilitatem promovet. Hanc theoriam *Mackintosh* († 1851) ita psychologice amplificat, ut dicat, nos experientes gratum affectum, si quis nobis beneficia conferat, eundem affectum gratum per associationem habere, si alios homines aliis benefacientes videmus, vel si ipsi aliis benefacimus.

Praesertim *Nietzsche* († 1900) nostro tempore affirmavit, bonum esse, quidquid nobis vim, sanitatem, robur, potestatem alios subigendi conferat, quidquid supra-hominem producat; malum esse, quidquid huic oppositum sit, praesertim virtutes christianas humilitatis, abstinentiae, misericordiae, compassionis cum miseris et afflictis (cfr. supra vol. I, p. 250 sq.).

II. *Refutatio*[2]): Verum quidem est, actionem moralem esse etiam utilem, immo utilissimam solamque vere utilem, in quantum nobis vera bona confert nostrumque finem ultimum spectat. Attamen moralitas actionis non potest per eius utilitatem formaliter constitui; secus a) nullum esset discrimen

---

[1]) Diog. Laert. IX, 45. [2]) Cfr. Stein, l. c. p. 237 sq. W. Schneider, Göttl. Weltordnung und religionslose Sittlichkeit, 1900, p. 278 sq.

inter bonum honestum et bonum utile; illud propter se appetitur, hoc propter aliud bonum i. e. ad bonum honestum comparandum. b) Dein adversarii plerumque supponunt, hominem esse sibi ipsi finem, non esse vitam futuram, neque ullam sanctionem, neque voluntatis libertatem, quae omnia certe falsa sunt. c) Si propria salus, utilitas, vita, potentia, honor, voluptas est suprema norma vivendi, tunc vel non omnia licent, quae nobis haec bona procurant, sed tunc *alia* norma supponitur, ex qua recta honestaque cura bonorum cognoscitur et ruit sententia utilitarismi privati; vel omnia licent ad illa bona procuranda, etiam ea, quae ab omnibus habentur illicita, e. g. furtum, calumnia, neces, adulterium etc., quod nemo concedet. Neve dicas, tunc illa bona propria propter maius malum i. e. vindictam publicam haberi non posse; nam 1° crimina illa possent latere homines; 2° saepe nostra salus vel utilitas cum aliorum salute vel utilitate consociari non potest. Quid tunc? Certe vel alia norma ad litem diiudicandam adhibenda, vel lis continuanda esset; 3° si sola vindicta nos coercet, moralitas nostra esset revera servilis atque spernenda. d) Salus publica periclitaretur, neque esset, qui labores et sacrificia pro aliis subiret, imo hoc non liceret, siquidem salus privata suprema esset lex agendi. Quid igitur tunc milites pro patria pugnantes, medici, fratres sororesque religiosae, qui aegrotantes adiuvant seseque periculo contagionis saepe exponunt? Certe, non honeste agerent, quod tamen ab omnibus absurdum habetur. Ergo salus privata non est lex suprema moralitatis.

B. *Utilitarismus socialis.*

I. *Expositio historica:* Gentes veteres ante religionem christianam exortam civitatem tanti faciebant, ut eam quasi fontem omnis moralitatis et iustitiae haberent, cui omnia licerent, a quo omnia iura dependerent. Religio vero christiana altiorem hominibus finem fontemque moralitatis in Deo revelans, etiam moralitatem naturalem inde valde promovit. Primus deinde *Cumberland* († 1718) salutem publicam explicite tanquam summum bonum normamque supremam statuisse dicitur contra Hobbes, qui primo theoriam egoismi docens, deinde omnia bona et iura a legibus civitatis dependentia fecit. Cumberland igitur salutem publicam habuit tanquam finem supremum activitatis nostrae, hanc autem ex motivo benevolentiae mutuae oriri debere; Similiter *Pufendorf*, qui tamen voluntatem divinam ultimum duxit esse criterium boni et mali. Porro *Shaftesbury* († 1713), qui distinxit inclinationes in nobis: sympathicas (sociales), idiopathicas (egoisticas), innaturales; hae ultimae sunt per se malae atque eradicandae, priores inter se sociandae sunt, ut virtus habeatur; sensum moralem statuit, quo quid bonum, quid malum sit distinguatur. Operandum tamen esse non ex motivo utilitatis, sed virtutis, i. e. benevolentiae in alios.

Saeculo elapso praesertim Positivistae moralitatem salutis publicae proclamabant: A *Comte* († 1857): vivre pour autrui (inde Altruismus), supremam legem activitatis nostrae esse, felicitatem aliorum promovere seque totum servitio generis humani devovere; hanc esse veram solamque religionem. Eius doctrinam magis explicabant *Littré* et *Taine* docentes, tendentiam in salutem aliorum ortam ex conservatione speciei debere praevalere egoismo ex conservatione vitae propriae nato; confugiunt igitur ultimo ad principium

rationis: maioris dignitatis. Similiter *John Stuart Mill* († 1873) quam maximam felicitatem quam plurimorum hominum procurandam esse duxit, cui multi assentiunt, ut *Bain*, *Sidgwick* etc. Apud nos in Germania praesertim *Fechner*, *Lotze*, *Jhering*, *Laas*, *Gizycki*, *Baumann*, *Jodl*, *Paulsen*, *Adikes*, *Theod. Ziegler*, *L. Stein*, aliique multi diverso modo bonum publicum tanquam summum bonum normamque agendi statuunt[1]); similiter *Höffding*, professor Kopenhagensis.

Sententiam autem fere intermediam inter Utilitarismum privatum et socialem aliqui statuunt Evolutionistae, duce *Spencer*, qui docet, homines paulatim ex brutis per evolutionem esse ortos; primum eos non appetivisse nisi conservationem et perfectionem vitae propriae et eam quae inde oritur delectationem eamque sensualem atque actualem; deinde vero, quum in societate viverent, aliis certo modo ex metu vel utilitate sese accommodare debebant, unde obligationes externae sociales, politicae, religiosae exortae sunt. Porro utilitatem harum actionum percipientes simulque inclinationem quandam socialem sequentes, aliis benefaciendo delectationem ex aliorum felicitate percipiebant, quae inclinationes sociales per consuetudinem confirmatae atque in posteros per hereditatem et educationem transmissae, in leges morales, i. e. obligationes internas transibant, quandam producentes necessitatem subiectivam agendi. Hoc modo motus primitivi egoistici naturae nostrae magis magisque reprimuntur per inclinationes sociales, per altruismum, usquedum evolutio tanta futura sit, ut aliis benefaciendo maximam inde capiamus felicitatem atque delectationem propriam, qua harmonia inter egoismum et altruismum facta, absoluta aderit moralitas, quae hodie reluctante adhuc natura egoistica non est nisi relativa[2]). Similiter *Bebel*, *Kautzky* aliique duces Socialistarum[3]), promittentes statum futurum felicitatis perfectae hac in terra (Zukunftsstaat), in quo omnia erunt communia, nulla crimina, nullusque defectus[4]).

II. *Refutatio*[5]): Certum est, actiones honestas etiam utilitatem publicam promovere, sive directe aliis benefaciendo, sive indirecte per exemplum, per

---

[1]) Sic Paulsen (System d. Ethik, 1900⁵, p. 233): „Das Handeln und Verhalten eines Menschen ist sittlich gut, sofern es *subjektiv* in der Gewissheit der Pflichterfüllung geschieht, objektiv in der Richtung der *Wohlfahrt* oder der vollkommenen Lebensgestaltung wirkt. Es ist *sittlich verwerflich*, sofern ihm beides oder doch eins von beiden fehlt; fehlt es an der objektiven Richtigkeit, so wird es *schlecht* genannt, geschieht es im Bewusstsein der Pflichtwidrigkeit, mit bösem Gewissen, so wird es böse genannt, besonders wenn es als Kränkung anderer wirkt.“ Jodl (Geschichte der Ethik II, 466): „Das Sittliche ist die Summe der Forderungen, welche eine soziale Gemeinschaft im Interesse ihrer eigenen *Wohlfahrt* und Vervollkommnung an Charakter und Willen ihrer Angehörigen stellt, die Anpassung des Individuums an diese Forderungen und aus beiden erwachsend das selbsttätige Weiterbilden und Idealisieren dieser Forderungen durch begabte Individuen im Dienste der Gemeinschaft.“

[2]) Cfr. Cathrein, Die Sittenlehre des Darwinismus, 1885.

[3]) Cfr. Cathrein, Die katholische Moral 1907, p. 118.

[4]) Cfr. Bebel, Die Frau 1906³⁷, p. 350 sq.

[5]) Cfr. Stein l. c. p. 260 sq.; 278 sq. Mausbach, Weltgrund u. Menschheitsziel, 1904, p. 41 sq. W. Schneider. l. c. p. 131 sq. Cathrein, Moralphil. I, 242 sq.

propriam perfectionem. Attamen ex sola utilitate publica moralitas actionum neque *omnis* neque *ultime* derivari potest; nam 1. multae sunt actiones, quae nihil conferunt ad utilitatem publicam, ab omnibus tamen habentur honestae et morales, e. g. abstinere a quibusdam per se licitis: ab escis, potibus, ludis, vel facere quaedam in privatam utilitatem, e. g. orare, studere, legere, deambulare etc. In genere omnes actiones, quae sive propriam utilitatem, vel etiam perfectionem qua talem, vel Dei cultum spectarent, per se non essent honestae, quod tamen et conscientiae nostrae et hominum persuasioni repugnat.

2. Porro honestas actionis cum eius utilitate, i. e. causa cum eius effectu confunderetur; omnes enim discrimen statuunt essentiale inter actionis utilitatem et honestatem; omnis quidem actio honesta vere est utilis, licet et bonis, imo vitae ipsi honeste agendo renuntiare debeamus; sed non omnis actio utilis est etiam in se honesta, quamvis multa bona: divitias, honores, nobis conferat; imo etiamsi civitati multum prosit, e. g. occidendo tyrannum, exspoliando ditissimos parte bonorum, occidendo infantes, aegrotos, debiles rei publicae inutiles vel onerosos, *iniuste* inimicos laedendo.

3. Quodsi salus publica esset summum bonum normaque agendi, quidquid promoveret hanc salutem publicam, esset moraliter bonum, secus malum. Tunc igitur furta, latrocinia, periuria, mendacia, neces licerent, imo honestae atque obligatoriae essent ad hunc finem consequendum[1]). Neve dixeris cum Paulsen[2]), illa crimina iam in se concludere ex ipsa definitione immoralitatem ac proinde non licere; quaeritur enim praecise, cur illis criminibus immoralitas ex conceptu insit, utrum ex natura ipsa actionis, an ex eorum effectibus. Si ex effectibus, tunc certe licita essent, si effectus bonus publicus inde haberetur, e. g. ex mendacio, ex furto, ex nece inimi-

---

[1]) Sic Paulsen (System der Ethik, I, 220 sq.): „Hängt der objektive Wert einer Handlungsweise von ihrer Wirkung ab, so wird dasselbe zuletzt auch von der einzelnen Handlung gelten müssen. Und wir würden alsdann sagen müssen: jede Handlung, sie mag im übrigen sein, welche sie will, wenn sie nur im Sinne des letzten Zweckes wirkt, ist damit gerechtfertigt und als objektiv gut erwiesen. Sind wir damit nicht bei dem Satze angelangt, den man der Jesuitenmoral zuzuschreiben pflegt: Der Zweck heiligt die Mittel? In der Tat, ich sehe nicht, wie die teleologische Moral (sic vocat suum systema) jenen Satz verleugnen kann; mir scheint aber, sie hat auch keinen Grund dazu; recht verstanden, ist er unbedenklich und notwendig. Freilich, falsch verstanden, wird er unsinnig und verrucht. Versteht man ihn so: wenn nur der Zweck erlaubt oder gut ist, dann darf jedes Mittel zu seiner Erreichung angewendet werden, dann gibt es natürlich keine Schändlichkeit, die nicht durch ihn gerechtfertigt werden könnte (exemplum adducit furti et periurii). Versteht man dagegen den Satz so: nicht ein beliebiger erlaubter Zweck, sondern *der Zweck* heiligt die Mittel; es gibt aber nur *einen* Zweck, von dem alle Wertbestimmung ausgeht, nämlich das höchste Gut, *die Wohlfahrt oder die vollkommene Lebensgestaltung der Menschheit*, dann ist er nicht nur unbedenklich, sondern auch unvermeidlich. Eine Handlung, welche jenes Ziel befördert, ist nicht bloss erlaubt, sondern gut und notwendig“. Similiter Frauenstaedt, admirator Schopenhauer, apud Stein l. c. p. 281.

[2]) Ibid. p. 221.

corum; si ex natura actionis, tunc non iam salus publica est norma hone-
statis, sed natura actionis et rerum, quae sunt obiectum actionis. — Neve
cum eodem Paulsen obicias, licere medico e. g. membrum aegrotum ampu-
tare, non autem aliis; licere auctoritati publicae nocentem vita ipsa privare,
non autem cuilibet civi; unde ex fine actionem esse diiudicandam. Haec
exempla rem non evincunt; amputare enim membrum, et hominem inter-
ficere, sunt actiones in se nondum moraliter bonae vel malae, sed hoc fiunt
vel *ex intentione* vel ex *conditione certa operantis*, non ex fine operis ipsius
qua talis. Quaestio igitur est de actibus voluntatis *intrinsecis*, in quibus
propria moralitas invenitur. Si igitur voluntas intenderet bonum publicum,
ex sententia utilitarismi publici illa crimina licerent, imo necessario facienda
essent. Et si cum eodem Paulsen dicis, non sufficere intentionem, imo
neque persuasionem subiectivam boni effectus, sed debere constare de eius
certitudine obiectiva, praeter bonum publicum alia norma iudicandi requirere-
tur sive ex parte operantis, sive ex modo vel obiecto actionis, qua cognosca-
tur, et quid sit bonum publicum et quae actio certo ad illud conferat. Deinde
quum Paulsen affirmet, nos nunquam certo scire, quem effectum nostra actio
habitura sit, neque finem absolute ultimum unquam attingi posse, vita nostra
itineri esset comparanda, quod sine certo termino et directione suscipitur.

4. Ut bonum publicum tanquam summum bonum et norma moralitatis
constitui posset, deberet a) constare, quid sit bonum publicum idque verum,
non apparens. Numquid divitiae, potentia, industria, luxuria vitaque lauta,
scientiae artesque florentes, vel haec omnia simul? Sed constat ex historia,
e. g. Graecorum, Romanorum, Babyloniorum, necnon ex statu rerum prae-
senti, rebus publicis florentissimis moralitatem, imo etiam felicitatem mino-
rem adesse, quam aliis temporibus, quod idem in singulis hominibus apparet [1]).
Nonne Plato, princeps fere philosophorum, moribus praestans, optimae rei-
publicae imaginem repraesentans, et servitutem poscebat unius partis civium
et necem liberorum non sanorum vel superfluorum et communem usum tum
bonorum tum etiam mulierum? b) Deberet constare, quae actiones revera
promoveant salutem publicam. Hoc autem vel dignosceretur ex intrinseca
natura actionis eiusque relatione ad ordinem socialem — et tunc praeter bonum
publicum alia norma, i. e. natura actionis et ordinis socialis admittenda est;
vel cognosceretur ex aliqua extrinseca ordinatione actionis sive ex parte
operantis ipsius, sive ex moribus vel legibus publicis. Si *primum*, libertinis-
mus moralis proclamaretur; sin *alterum*, nullum esset discrimen intrinsecum
inter bonum et malum; quod olim bonum vel malum fuit, potest alio tem-
pore modo opposito se habere, omnesque mores legesque deberent esse norma
honestatis ac proinde ipsae a fortiori honestae eo ipso, quod exsisterent. c) Quis
posset esse iudex de bono publico et per consequens de moralitate actuum?
Numquid singuli homines? Sed ne homines quidem auctoritate publica prae-
diti sciunt, qui sint effectus singulorum actuum et status rei publicae prae-
sentis, nedum subditi aliis laboribus curisque cotidianis occupati. Numquid
magistratus? Sed quoties errant de bono publico vero! Numquid viri in-
genio praediti, ut multi recentes cum Paulsen [2]), Wundt, Jodl, Ostwald etc

[1]) Cfr. Paulsen, l. c. I, 295; Th. Ziegler, Sittl. Sein u. Werden, 1890, p. 136. Weiss, Apologie[3], I, p. 475 sq. [2]) Cfr. Die Kultur der Gegenwart, I, Abt. VI: Paulsen, Ethik, 1907, p. 294.

somniantur? Sed qui sunt illi viri praestantes? Numquid Spinoza, Rousseau, Kant, Marx, Bebel, Comte, Nietzsche, Paulsen, Wundt aliique? Quomodo cognoscuntur? Quae est eorum auctoritas? Numquid errare non possunt? Hoc certum est, homines a saeculis scire, quid sit bonum et malum, virosque praestantes ordinem moralem non constituere, sed ad summum eum manifestare et inculcare; cogita prophetas, Christum, apostolos (cfr. Matth. 5, 17 sq.). Quum igitur nullus homo diiudicare possit, utrum effectus actionis alicuius sint boni an mali pro societate [1]), aut nulla esset norma moralitatis, aut alia admittenda est. d) Bonum publicum appetendum esset, vel quia civibus subiectivam affert felicitatem et delectationem, vel quia bona producta in se ipsis sunt honesta. *Si primum*, tota sententia recidit in Eudaemonismum privatum, si quidem felicitas omnium non est nisi summa singularum, quae si nihil conferunt ad moralitatem, neque summa eam constituere potest; nam ex multis 0, ut bene notat Wundt in hac re [2]).

[1]) Quod ipse Paulsen fatetur (Syst. d. Ethik, p. 223 sq.): „Man kann sagen, der Satz: Die Wohlfahrt der Menschheit heiligt als Zweck jede Handlung ohne Ausnahme, die ihr als Mittel dient, ist in thesi ganz unbedenklich; aber er ist in praxi *nicht anwendbar*. Die Rechnung, ob eine bestimmte Handlung von dieser Art, z. B. die Tötung eines Volksverderbers, eines Aufrührers, eines Tyrannen durch einen Privatmann, für das Wohl der Menschheit oder auch nur für die dauernde Wohlfahrt dieses einen Volkes nur günstige oder doch überwiegend günstige Wirkungen haben werde, lässt sich niemals ausführen“ (z. B. wenn jemand Napoleon im Jahre 1808 zu Erfurt ermordet hätte). „So wenig es in der Physik möglich ist, die Wirkungen eines Stosses ohne Rest zu berechnen, weil jede Wirkung ins Unendliche verläuft, so wenig ist es in der Moralphilosophie möglich, den objektiven Wert einer einzelnen Handlung aus ihrer Beziehung zum höchsten menschlichen Zwecke abzuleiten. Die Rechnung verliert sich hier wie dort ins Unendliche. Was sich ausmachen lässt, das sind, wie in der Physik die Gesetze der allgemeinen Bewegungstendenzen, so in der Moral die Tendenzen der Handlungsweisen, Wohlfahrt zu mehren oder zu stören“. (224).

„So (wie die Wirkungen des Rechtsbruches bei einer Revolution) steht es auch mit dem Bruche der Sittengesetze. Es mag Fälle geben, wo derselbe notwendig ist, aber es lässt sich nicht objektiv dartun, dass ein solcher Fall hier vorliegt; es wird nie möglich sein zu beweisen, dass die Summe aller schlimmen Wirkungen, die er im eigenen und fremden Leben direkt und indirekt verursachen mag, durch die guten, die als nächste Wirkung erstrebt werden, überwogen wird. Wer das Gesetz bricht, handelt also immer auf eigene Gefahr. Sicher geht, wer innerhalb des Gesetzes sich hält. Freilich, es sind nicht die starken Naturen, die am meisten die Sicherheit schätzen. Die Männer, durch welche grosse Wendungen im geschichtlichen Leben herbeigeführt worden sind, haben meist auf die eine oder andere Weise die sichere Strasse der allgemeinen Moral und des geltenden Rechtes verlassen“ 224—225. — Melius tamen idem Paulsen, licet deficiens a sua ipsius sententia de principio moralitatis: „Die Moral sucht die in *der Natur der Handlungsweisen* liegenden Tendenzen, nicht aber die unermesslich variabeln Folgen ... sie fragt: Welche Wirkungen auf das Menschenleben würde Verleumdung zur Folge haben, wenn sie selbst allein den Erfolg bestimmte? ... Barmherzigkeit hat *ihrer Natur* nach die Tendenz, menschliches Elend zu mindern, und darum ist sie gut“ (p. 213.)

[2]) Cfr. System d. Philos. 1897[2], pag. 649 sq. Ethik, 1903[3], II, 113 sq. Logik 1893[2] II, 514 vocat sententiam altruismi iure: „Utopie der Utopien, die natür-

nullus valor efficitur additione sive multiplicatione; accedit, quod tunc unus-
quisque publicam salutem promovens suam ipsius felicitatem intenderet.
Sin *alterum*, tunc non iam habetur utilitarismus publicus, sed progressismus,
quem mox refutabimus. e) Bonum publicum vel omne appetendum esset,
vel non omne; si *primum*, haberetur rigorismus excessivus, qui et conscien-
tiae nostrae et experientiae repugnat. Numquid divites tenentur, id quod
ipsis superfluum est, rei publicae erogare? Sin *alterum*, requiritur praeter
bonum publicum regula, ex qua cognoscatur, quid fieri debeat, quid non,
deficit igitur in hac sententia discrimen inter actus morales liberos et im-
peratos. Imo saepe illi actus habentur meliores, qui non imperantur, sed
libere eliciuntur, e. g. heroismus militum in bello (Winkelried), sororum
misericordiae in aegrotis curandis.

5. Repugnat sententia Utilitarismi socialis conscientiae et persuasioni humanae, quae testatur necessitate quadam naturali homines primum in bonum proprium, sive perfectionem sive felicitatem propriam tendere; porro ordinem socialem iam supponere ordinem naturae individualis, ac proinde etiam bonum publicum supponit privatum. Neque necessario homines in societate vivunt, e. g. homines primi vel ab aliis separati (Robinson), qui in sententia adversariorum non possent esse morales[1]), deficiente summo bono et norma virtutis. Quin imo haec sententia destruit dignitatem personae humanae, eam prorsus subordinans bono publico, quasi medium ad finem.

6. Denique haec sententia supponit, finem hominis his in terris haberi bonisque finitis constitui. Plerique adversarii negant etiam animae substantialitatem vel immortalitatem vel libertatem, necnon exsistentiam Dei personalis ut finis ultimi hominis[2]).

Sententia Evolutionismi, quam *Spencer* statuit, refutatur omnibus argumentis, quibus Utilitarismus tum privatus, tum socialis impugnatur; comprehendit enim in se errores utriusque systematis; insuper alios in se continet vel supponit errores: originem hominis a bestiis per descendentiam, ortum

---

lich nicht in ernsthafte Erwägung gezogen werden kann". Sed non videt auctor ille celeberrimus, etiam sententiam suam de progressu humanitatis promovendo iisdem reici argumentis.

[1]) Cfr. Paulsen, l. c. 213.

[2]) Sic Paulsen l. c. p. 265: „. . . Ein vollkommenes Menschenleben ist Selbstzweck; aber zugleich ist es Glied und also auch Mittel eines grössern Ganzen, eines Volkslebens, eines Kulturkreises . . . Endlich aber können wir auch die Völker selbst wieder als Glieder einer höhern Einheit betrachten: Der *Menschheit*. Die Menschheit, die konkrete Darstellung der *Idee der Humanität* . . . mit christlicher Benennung, *das Reich Gottes auf Erden*, das ist das höchste Gut und das letzte Ziel, zu dem alle Völker und alle historischen Bildungen als Mittel sich verhalten . . . als organische Glieder, die zugleich Teile des Zweckes sind . . . Menschheitsleben bezeichnen wir als ein Glied eines *Gesamtlebens des Allwirklichen* . . . wir nennen das Allwirkliche, sofern wir es als höchstes Gut bezeichnen wollen, *Gott*. Und seine Entfaltung in einer Welt geistig-geschichtlichen Lebens, das doch in der Einheit seines geistigen Wesens beschlossen bleibt, nennen wir *Gottesreich*." Quibus verbis speciosis iis quidem, non subest sensus christianus, sed pantheisticus, siquidem Paulsen, sequens Spinozam, vitam generis humani ipsam habet Dei vitam. (Cfr. vol. I, p. 305 sq.)

legum moralium ex experientia tum externa, tum interna, hereditatem illarum legum, quas, teste experientia, unusquisque et ratione et educatione comparare debet, intrinsecam mutabilitatem ordinis moralis pro statu externo hominum. (Cfr. vol. I, p. 255).[1])

Caput III. Progressismus.

I. *Expositio historica.* Progressismus docet, summum bonum hominum non esse felicitatem sive privatam sive publicam, sed maiorem semper augmentationem bonorum illorum, quibus „cultura" humana constituitur e. g. scientia, industria, morum perfectio etc., ut genus humanum tandem ad perfectionem naturae humanae perveniat in familia, in civitate, in humanitate. Bonam igitur illam esse actionem, quae ex se conferat ad hanc culturam humanam augendam quaeque etiam ex hoc motivo fiat. Hanc sententiam, veteribus prorsus incognitam, inprimis iam *Hegel*, panlogista, necnon *Ahrens*, *Krause* aliique proponebant, nostris vero temporibus praesertim illi Evolutionistae defendunt, qui utilitarismum sive privatum sive publicum non admittunt tanquam summum bonum et normam moralitatis. Inprimis *E. v. Hartmann* († 1906) progressismum aliquem modo singulari cum pessimismo coniungit (cfr. vol. I, p. 300 sq.) Putat enim, voluntatem absolutam in se infelicem sibique non consciam se evolvisse et mundum produxisse, ad instar idearum illarum, quas modo inconscio in se contineat, ut a sua infelicitate innata se liberaret. Summum gradum huius evolutionis esse hominem, in quo voluntas absoluta sibi fieret conscia simulque intelligeret, se mundum producendo maiorem infelicitatem subiisse, siquidem bona, quae speraverat: bona terrena, coelestia, cultura humana (artes, scientiae) ei nunc apparent tanquam illusiones. Iam vero oportet has omnes illusiones experiri et hoc modo cooperari progressui humano, ut tandem homines intelligant, se felicitatem consequi non posse, et communi voluntate rerum interitum i. e. reditum in statum primitivum inconscium voluntatis absolutae (Nirwana) efficiant[2]).

Hodie praecipuus defensor progressismi *Wundt*, professor Lipsiensis, esse videtur (cfr. vol. I, p. 308 sq.). Ipse quoque supponit voluntatem aliquam absolutam, quae se in mundo necessario evolvit, ita ut mundi evolutio et perfectio sit voluntatis absolutae evolutio. Qui igitur huic voluntati se subordinat, moraliter agit. Haec autem voluntas absoluta sese nobis manifestat per voluntatem communem hominum, non quidem iam exsistentem, neque unquam plene producendam. Producitur autem per bona publica, in quibus cultura humana spiritualis consistit, sive directe: scientiae, artes, institutiones publicae, scholae, leges etc., sive indirecte: agricultura, commercium, industria[3]).

---

[1]) Cfr. Didio, Die moderne Moral, 1896, p. 21 sq. W. Schneider, Göttliche Weltordnung und religionslose Sittlichkeit, 1900, p. 131 sq.

[2]) „Das reale Dasein ist die Inkarnation der Gottheit, der Weltprozess die Passionsgeschichte des fleischgewordenen Gottes und zugleich der Weg zur Erlösung des im Fleische Gekreuzigten; die Sittlichkeit ist die Mitarbeit an der Abkürzung dieses Leidens- und Erlösungsweges" (Das sittliche Bewusstsein 1886², 688). Cfr. Didio l. c. p. 74 sq.

[3]) Cfr. Wundt, Ethik, 1903³, II, p. 122.

Haec igitur est idea exemplaris moralitatis, quam si quis prae oculis habet, moraliter agit. *Finis* igitur actionis moralis debet esse voluntatis humanae communitas ad bona spiritualia quam maxima producenda; *motiva* autem subiectiva tunc moralia sunt, si actionem huic fini societatis subordinant[1]). Quum finis absolute ultimus nunquam perfecte attingi possit, sensus humilitatis in nobis oritur, cui debet correspondere oblatio sui ipsius in servitium totius communitatis, non ad felicitatem sive singulorum, sive omnium producendam, sed ad bona obiectiva spiritualia efficienda. Obligationem putat ortam esse moribus, qui primo in statu infimo humanitatis ex coactione externa (äussere Imperative) aliorum hominum in societate (principum, deorum etc.), deinde per quandam „heterogeniam finium“ (cfr. vol. I, p. 310 sq.) ex inclinatione interna (innere Imperative), tandem ex „ideali“ morali observantur, quod per ideas religiosas in idea causae absolutae et finis absoluti fundatur; his tamen ideis religiosis quid a parte rei respondeat, nescimus. Reicit fidem christianam in Christum ut Deum et hominem, necnon libertatem voluntatis, immortalitatem et substantialitatem animae. (Cfr. System d. Philos., 1897², p. 664 sq. Straeter, Ein modernes Moralsystem, Phil. Jhrb. 1901, p. 140 sq.).

Similiter opinatur *Th. Achelis*, docens, non posse esse moralitatem nisi in societate[2]); primis temporibus ius et mores idem fuisse[3]); quamvis obligatio aliqua formalis sit admittenda ut fundamentum totius moralitatis, necnon eius manifestatio univeralis per affectus sympatheticos et obedientiae, eius tamen materia non est necessaria neque immutabilis, sed dependet totaliter a statu praesenti culturae cuiusvis temporis, et determinatur per vitam et actionem virorum praestantium, qui ingenio suo et virtute novam epocam ethicae initiantur[4]). Hominem sibi non esse finem, neque finem transcendentalem ei esse statuendum; sed se considerare debere tanquam medium ad perfectam humanitatem producendam, ad summa bona humana in familia, civitate, denique in toto genere humano efficienda, idque ex mo-

[1]) „Der letzte Zweck sittlicher Entwickelung ... besteht in der Herstellung einer allgemeinen Willensgemeinschaft der Menschheit, als der Grundlage für die möglichst grosse Entfaltung menschlicher Geisteskräfte zur Hervorbringung geistiger Güter.“ System d. Philos. 1897², p. 655 sq. „Sittlich ist der Wille dem Effekt nach, so lang sein Handeln dem Gesamtwillen konform ist, der Gesinnung nach, solange die Motive, die ihn bestimmen, mit den Zwecken des Gesamtwillens übereinstimmen. Motive, die sich auf Zwecke beziehen, die für den Gesamtwillen gleichgültig sind, bleiben sittlich indifferent.“ (Ethik 1892², p. 523).

[2]) Ethik (Sammlung Göschen 90), p. 93: „Wir können von Pflichten nur reden in einer *sozialen* Gemeinschaft. Deshalb gibt es auch ... nur im übertragenen Sinne Pflichten gegen die eigene Person“. [3]) l. c. 62.

[4]) Ibid. p. 128: Jede geschichtliche Epoche hat einen bestimmt ausgeprägten Typus, in welchem sich eine unendlich fein verzweigte Summe sozialer und ethischer Verpflichtungen charakteristisch niederschlägt, und der für die kritische Beurteilung der diesem Verbande angehörigen Individuen den betreffenden Maassstab abgibt“ sq. cfr. p. 107 sq.: „Alles geistige Leben lässt sich letzten Endes ableiten und zurückführen auf die schöpferische Kraft einzelner Geister; ohne diesen realen Rückhalt würden wir uns in ein blasses Nebelreich mystischer Abstraktion verlieren.“

tivis non religiosis, transcendentalibus, sed pure ethicis et rationalibus[1]). — Similem sententiam et alii plures sequuntur, ut *Windelband*, *Laas*, *Unold*, *A. Dorner*, *Paul Carus*, *E. Adler*, *Sarter*, *Stanton*, *Coit* etc.[2]), qui tamen non omnes vel Deum negant vel Evolutionismum supponunt, sed moralitatem in progressu humano qua tali collocant.

II. *Refutatio*[3]): Verum quidem est, omnem actum moralem etiam progressum generis humani promovere sive directe e. g. docendo alios, sive indirecte e. g. bona familiae suae bene administrando. Attamen in hac sola relatione moralitas tota actionis reponi non potest; secus enim 1. iterum actus moralis utilitas cum eius honestate intrinseca confunderetur; actus enim est in se ipso moraliter bonus, et quia est in se ipso bonus, propterea etiam utilitatem affert humanitati, non vice versa; secus enim discrimen *intrinsecum* inter bonum et malum morale destrueretur. 2. Haec opinio progressismi non comprehendit totam rationem moralitatis, siquidem actus versus Deum vel nos ipsos saltem directe neque boni neque mali, sed fatente Wundt, indifferentes essent, quod tamen et conscientiae et persuasioni hominum repugnat; neque explicat valorem absolutum, obligationem, necessitatem, sanctitatem ordinis moralis, reiecto ente absoluto i. e. Deo tanquam ultimo fine nostro, bona enim illa culturae humanae semper sunt finita, variabilia pro tempore et loco saepeque in se minime honesta et sancta[4]). 3. In quo est progressus humanus? In scientiis artibusque? Sed ipsae possunt haberi, quin tamen progressus moralis adsit. In virtutibus? Certe; sed illae virtutes per se non semper promovent progressum culturae e. g. patientia in morbis perferendis, pietas parentum in filios vel filiorum in parentes, qui, morbis vel aetate debilitati, non iam apti sunt ad culturam promovendam. — Deinde aut omnis cultura vera est atque promovenda, aut non. Si *primum*, non posset esse crimen ullum, quod per culturam non excusetur[5]), e. g. servitus veterum, polygamia, expositio infantum etc.; sin *alterum*, alia norma statuenda est, qua verus pro-

[1]) „Selbst ein vollkommenes Menschenleben ... kann nicht Selbstzweck sein, sondern es ist immer nur Mittel zur Verwirklichung objektiver Zwecke und Ziele, die jenseits des bloss subjektiven Empfindens und Strebens liegen. Dagegen dürfen wir ... die rastlose und allseitige Erfüllung der grossartigen Kulturaufgaben, zu welcher der Mensch je nach Maassgabe seiner Fähigkeiten und Kräfte berufen ist, das konkret höchste Gut nennen, das sich für die immanente Entwickelung des Menschengeschlechtes denken lässt. Hier findet das letzte abschliessende Werturteil mit der Bezeichnung des äussersten Zielpunktes unseres Strebens sich zusammen.“ p. 146.

[2]) Cfr. Cathrein, l. c. 268 sq. [3]) Cfr. Mausbach, Weltgrund und Menschheitsziel, 1904, p. 48 sq. W. Schneider, l. c. p. 249 sq. Cathrein, l. c. p. 263 sq.

[4]) Cfr. Straeter, Ein modernes Moralsystem (Phil. Jhrb. 1902, 286 sq.)

[5]) Sic anno 1904 tribunal Lubecense uxor recenter maritata adiit, dissolutionem matrimonii poscens, quia eius vir ante matrimonium, ipsa nesciente, tum cum aliqua innupta tum cum nupta rem habuisset; sed tribunal eam repulit, quia „conscientia nostrae aetatis hoc in iuvene non reputaret esse defectum moralem“. Tribunal supremum hoc iudicium quidem cassavit, non propter fornicationem cum innupta, sed propter adulterium cum nupta. — Memineris, quid aliqui colonisatores nostri *Africani* (Peters et socii) nuper de cultura et moralitate senserint.

gressus cognoscatur. — Porro quis leges statuit culturae promovendae? Numquid voluntas aliqua absoluta, universalis? Atqui eiusmodi voluntas pantheistica non est admittenda; est potius abstractio aliqua mentis nostrae ex vita communi sociali. Quodsi esset talis voluntas, omnis libertas nostra periret, neque possent esse leges immutabiles morales, siquidem haec voluntas in sententia adversariorum continuam eamque necessariam subit evolutionem i. e. mutationem (cfr. vol. I, p. 312, 369 sq.). Numquid igitur societas ipsa leges culturae promovendae constituit? an viri aliqui ingenio et virtute praestantes? Sed tunc quaeritur, quo iure id faciant, an sine errore, cur alii eis obedire debeant. Nisi igitur licentiam moralem statueris prorsus effrenatam, normam supremam adhibere debes, ex qua et status culturae et leges actionesque eam promovendi diiudicari possint.

4. Accedit, quod nesciunt distinguere inter bonum imperatum et bonum liberum. Nam aut omnia, quae progressum humanitatis promovent, sunt facienda, aut non; si *primum*, esset rigorismus intolerabilis, qui omni repugnat experientiae; nam etiam optimus quisque plus adhuc facere posset; sin *alterum*, requiritur alia norma, qua bona obligatoria a liberis distinguantur. 5. Neque sufficiens adesset motivum bene agendi, praesertim si onera sunt subeunda; nam unicum motivum morale esset progressus humanus, non singulorum hominum, sed generis humani qua talis. Atqui hoc motivum a) non potest inesse omnibus actionibus e. g. iis, quae prorsus bonum privatum spectant, ut operarius lucrum quotidianum faciens ad se misere sustentandum, quare plerique homines in actionibus suis carerent recto motivo bonoque finali; ad summum homines literati, et hi ne vix quidem, talem finem taleque motivum concipere possent. b) Non esset satis efficax, praesertim si tentationes urgent. Et certe, quid operarius dicet, si ipsum monueris, ut operando progressum generis humani prae oculis habeat? Quid si ei promiseris, fore ut aliquando, non vitam aeternam habeat ut christiani volunt, — neque enim Deum esse personalem neque animam immortalem — sed ut eius opera perdurent in memoria hominum perpetua? Profecto, operarius te irridebit. Accedit, quod, ipsis adversariis fatentibus, finis ultimus, siquidem infinitus, nunquam attingi potest, ac proinde vita nostra esset iter, cuius nunquam esset terminus, aedificium, quod nunquam perficeretur[1]). c) Immo haec sententia destruit hominis dignitatem et finem personalem; cum enim medium facit ad finem, qui in se minus est quam ipsi homines; bona enim humana sunt propter homines, non vice versa; homines igitur singuli considerantur tanquam stercora, quibus terra ad semina spargenda fertilis reddatur. d) Denique plurimi fautores harum sententiarum et Deum negant personalem et animae substantiam immortalem, statuuntque Evolutionismum tum in se ipso tum cum vera moralitate repugnantem (cfr. vol. I, 369, II, p. 179 sq., 547 sq.)[2]), quia pugna de exsistentia tum corporali tum spirituali necessario destrueret virtutes compassionis, humanitatis, misericordiae, ita ut potentissimus quisque et astutissimus etiam honestissimus dici deberet.

1) Cfr. Wundt, System der Philos., 1897², p. 660; Gutberlet, Ethik und Religion, 1892, 226 sq.

2) Cfr. Didio, l. c. p. 57 sq. E. v. Hartmann, Preuss. Jhrb. 1889, H. 1 et 2. W. Schneider, l. c. p. 155 sq., 294 sq.

Caput IV: Finis ultimus.

I. *Expositio:* Quum actio nostra dependeat a fine tanquam a principio naturam actus specificante, aliquibus visum est, actionis moralitatem intrinsecus *adaequate* constitui per eius relationem ad finem ultimum huncque esse normam agendi. Iam vero finis ultimus duplex distinguitur: *subiectivus* et *obiectivus* (cfr. vol. II. p. 452 sq); ille consistit in felicitate nostra, hic in Dei gloria manifestanda. Vix fuerunt, qui felicitatem nostram tanquam criterium ultimum moralitatis constituerint; sunt tamen qui finem ultimum obiectivum i. e. Dei gloriam normam ultimam esse censeant. Sic *Salmaticenses, Sylvester Maurus, Viva, Wirzeburgenses, Stattler* († 1797, Ethica christ. universalis 1793[2]) et nostro tempore *Castelein* S. J., *Simar, Mausbach* aliique et philosophi et theologi praestantes[1]).

II. *Quid sentiendum?* A. Vix opus est ostendere, finem nostrum *subiective* ultimum, i. e. felicitatem nostram non esse ultimam normam moralitatis; nam a) tunc honestas actus cum eius utilitate confunderetur; ab omnibus tamen differentia essentialis inter utrumque admittitur. Neve dicas, secundum s. Thomam eundem actum vocari et honestum et utilem[2]); vocatur enim secundum s. doctorem honestus „sui gratia", „propter quandam excellentiam", utilis autem propter relationem ad aliud. Quodsi igitur honestas actus moralis in eius relatione ad finem ultimum esset, revera coincideret non solum realiter („idem subiecto" ut ait S. Thomas), sed etiam formaliter cum eius utilitate. b) Felicitas habetur tanquam praemium actus moralis; supponit igitur iam honestatem ipsius actus merito dignam, non efficit; secus effectus cum causa sua confunderetur. c) Neque ex sola felicitate deduci posset, qui actus eam mererentur et cur, e. g. actus abstinentiae a cibis et potu, vel etiam usus rerum moderatus. Quum enim felicitas a Deo sit concedenda, ad meritum actus cognoscendum vel requireretur revelatio divina, quae certe non adest, si quidem agitur de ordine morali naturali; vel ad naturam actus esset recurrendum; iam vero tunc norma honestatis esset iam natura actus, non eius effectus i. e. felicitas, quae inde habetur.

B. Numquid igitur ultimus finis *obiectivus*, i. e. Dei gloria est norma honestatis? Certe, quicunque actus humanus est ad Dei gloriam, eo ipso est moraliter bonus; attamen alia norma *logice* praecedere videtur, ut sciamus, a) quibus actibus et quomodo honor Dei habeatur, siquidem nexus actus, alicuius moralis cum honore Dei nobis innotesceret vel per Dei revelationem, sive internam sive externam, quam Ontologistae volebant (vol. I, p. 268 sq.) — sed haec in ordine naturali non supponitur — vel per considerationem naturae actus; sed tunc praeter finem ultimum alia norma praecedens admitteretur. Cur enim Deum furto, mendacio etc. non possum honorare? vel quia Deus non vult, sed ut hoc mihi innotescat, requiritur revelatio; vel quia actus *in se* sunt illiciti, abstractione facta a Dei gloria, et tunc haec non est norma *logice* prima. b) Actus specificantur quidem per obiecta, sed per obiecta *formalia*,

1) Cfr. Frins, De actibus humanis, II, 90 sq. (1904); Mausbach, Der Begriff des sittl. Guten nach dem hl. Thomas v. Aquin, 1898; Cathrein et Mausbach de hac quaestione disputantes vide, Philos. Jhrb., 1896, 1899, 1900, 1901.

2) S. Theol. II, II, qu. 145, a. 3; in 2 sent. dist. 21, qu. 1, a. 3.

sc. in quantum illa obiecta iam habent ordinem aliquem ad principium naturamque actuum; sic idem pomum est obiectum quidem multarum potentiarum, in quantum videri, tangi, odorari, sapi, appeti, intelligi, cupi potest; attamen in se ipso non est nisi obiectum materiale, ad quod certa *ratio formalis* accedere debet, ut possit a singulis potentiis pro diversa earum natura attingi. Haec ratio formalis constituitur proprietatibus quibusdam, quibus res ad potentias nostras ex natura sua refertur, e. g. sensibilia propria pro sensibus, gustus bonus pro appetitu, natura pomi, eius utilitas pro intellectu et voluntate. Sic etiam obiectum actus moralis et obiectum omnium praecipuum, quod constituit finem ultimum, specificat actum moralem, i. e. quandam ei confert moralitatem, sed obiectum *formale* sc. finis ultimus non in se solo consideratus, sed *ut per homines consequendus sive efficiendus*. Nam idem finis ultimus, gloria Dei, ab omnibus creaturis est obtinendus, attamen modo diverso *pro rerum natura*[1]). Sic etiam bruta gloriam Dei efficiunt, natura et instinctu duce; multaque faciunt, quae si homo faceret, certe gravissime peccaret, e. g. libidinem, iram sequens, alios diripiens vel etiam vita privans. c) Deinde omnes actus morales in eo conveniunt, ut Dei gloriam promoveant; quod autem modo specifice diverso, e. g. actus eleemosynae, amoris Dei, fidei, hoc faciunt, habent ex natura actus et principii specifice inter se diversi. Neque igitur ad moralitatem actus constituendam sufficit relatio ad ultimum finem, sed debet accedere relatio ad ipsam naturam operantis, ut *adaequata* ratio bonitatis habeatur. Recipit igitur actus moralis a relatione ad finem ultimum aliquam moralitatem, eamque utique fundamentalem sive transcendentalem, quae tamen per *naturam* operantis in certa specie constituenda est, quemadmodum conceptus entis transcendentalis omnibus conceptibus subest et per notas genericas et specificas determinari debet; de hac re infra plura dicentur.

§ 2. De principiis moralitatis mere subiectivis.

Qui moralitatem ex principiis mere subiectivis explicant, vel facultatem certam moralitatis, sensum aliquem moralem statuunt, vel intellectui vel voluntati nostrae vim tribuunt normas tum subiectivas tum obiectivas morales producendi. Iam singulas perpendamus opiniones[2]):

Caput I: Sensus moralis reicitur.

I. *Expositio:* Iam *Shaftesbury* (cfr. supra p. 35) sensum aliquem moralem supponit, quo inclinationes naturales egoisticae et sympathicae inter se socientur et virtus constituatur, videns, homines etiam rudes in rebus moralibus facile perspicere, quid bonum sit, quid malum. Hanc sententiam deinde suam fecit *Hutcheson* († 1747), hunc sensum appellans conscientiam moralem, utpote facultatem spiritualem, omnium supremam atque directricem, quae nulla praevia inquisitione enuntiet, quid faciendum, quid omittendum sit. Similiter

[1]) Cfr. S. Theol. I, II, qu. 1. art. 8.

[2]) Cfr. Stein, l. c. p. 331 sq. Falkenberg, Gesch. d. neuern Philosophie, 1905[5], p. 170 sq. Cathrein, Moralphilosophie[4], I, p. 202 et 273 sq.

Hume[1]) († 1776), quamvis utilitatem eamque semper maiorem tanquam finem nostrum haberet, sensum tamen internum supponit (internal taste), quo duce de hac utilitate iudicare possimus. — Idem fere sentit *Robinet* († 1820) sensum sextum moralitatis statuens, a ratione distinctum. Neque multum differt opinio, quam *Reid* († 1796; cfr. supra vol. I, 236 sq.) eiusque schola contra Hume scepticum propugnavit, docentes, in nobis inesse sensum aliquem communem, spiritualem, immediate ea percipientem, quae nobis ad vitam spiritualem et moralem necessaria sunt, hanc autem recti ordinis perceptionem coniunctam esse cum affectibus quibusdam animi approbantibus vel reprobantibus. — Haec etiam *Iacobi* docuit, qui oppugnans Kantii criticismum, in nobis rationem supponit, facultatem ab intellectu realiter distinctam, quae immediate sine ulla inquisitione et demonstratione principia veri et boni percipiat (cfr. vol. I, p. 236 sq.). In operibus tamen ultimis sententiam suam mutavit, ne libertinismus moralis irrueret[2]).

II. *Refutatio:* 1. Verum est, in rebus moralibus homines in genere maxime consentire et facile cognoscere, quid bonum malumve sit; sed ex hoc immerito deducitur, sensum aliquem moralem esse statuendum praeter intellectum; sufficit enim intellectus noster tum ad bonum morale in genere facile cognoscendum, tum ad regulas morum factis vitae applicanda. Et quum nobis quovis die moraliter sit operandum, facilitas quaedam atque consuetudo inde nascitur. 2. Etsi eiusmodi facultas specialis moralis concederetur, ea tamen non sufficeret; esset enim norma mere subiectiva, quae de *obiectiva* moralitate actuum ex se sola nihil ediceret; supponit igitur normam obiectivam, i. e. ordinem obiectivum in se moralem, quem nobis notum facit. Hoc enim iudicium morale aut motivis fundaretur, aut non; si *primum*, haec motiva iudicandi constituerent normam veram, non sensus moralis ipse; sin *alterum*, iudicia moralia, omnium maxime necessaria ac praecipua, essent caeca, ac proinde irrationalia, quod et naturae nostrae rationali repugnat et experientiae internae, quae testatur, nos semper ex rationibus quibusdam obiectivis operari. 3 Talis sensus moralis statuitur, ut facilitas, certitudo consensus in rebus moralis explicetur. Atqui constat, etiam in rebus moralibus homines saepe dissentire et ancipites haerere, e. g. de liceitate mendacii, suicidii etc., praesertim si applicationes paulisper difficiliores faciendae sunt, quemadmodum etiam in aliis quaestionibus. Ergo sensus moralis non explicat ipsam experientiam subiectivam moralem.

Caput II: Kantii ratio autonoma reicitur.

I. *Expositio: Kant*[3]) (cfr. vol. I, p. 290 sq.) supponit ordinem moralem existere eiusque fundamenta naturamque obligationis moralis investigare conatur. a) Fundamentum ethicae Kant collocat in facto aliquo primitivo ab omnibus ex testimonio conscientiae et experientiae admittendo sc. in *obligatione morali* eaque prorsus absoluta atque universali, quam maximis laudibus effert[4]). Unde haec obligatio oritur? Non ex bonis materialibus, quae pos-

[1]) Enquiry concerning the principles of morale, 1751. [2]) Cfr. Stein, l. c. p. 344 sq. [3]) Cfr. Falkenberg, Gesch. d. neuern Philos., 1905, p. 335 sq.

[4]) Kritik der praktischen Vernunft, 1818, p. 150: „Pflicht du erhabener grosser Name, der du nichts Beliebtes, was Einschmeichelung bei sich führt

sunt esse obiectum desiderii nostri; haec enim bona sunt contingentia, varia pro variis hominibus, et tum ad bonum tum ad malum faciendum adhiberi possunt; ex obiecto igitur voluntatis moralitas actus deduci nequit. Quare haec obligatio omnino absoluta, eadem pro omnibus hominibus, quae nunquam cum malo coniuncta esse potest, debet oriri ex ipsa natura nostra rationali qua tali, quae immutabilis est atque eadem in omnibus entibus ratione praeditis; est igitur lex primitiva et fundamentalis naturae nostrae spiritualis nobisque non aliunde imponitur, sed per ipsam rationem nostram „practicam" atque „autonomam", quam etiam voluntatem vocat. Iudicium igitur hoc rationis practicae vocari potest syntheticum a priori: *syntheticum*, quia est factum nobis internum, quod probari nequit; *a priori*, quia antecedit omnem moralitatem eiusque est fundamentum. Potest igitur comparari cum iudiciis syntheticis a priori rationis purae. b) Sed haec lex per se est formalis tantum, nondum aperiens, quid sit faciendum vel omittendum; requiritur igitur materia, ad quam applicetur, et modus, quo applicetur. Iam vero materia sunt bona, quae sunt obiectum appetitus nostri naturalis. Possumus autem bonum aliquod absolute et hypothetice appetere; absolute, si sub omni conditione est appetendum; hypothetice, si sub aliqua conditione appetitur, e. g. si vis sanitatem, debes medicinam adhibere. Iam vero illa, quae obligatio moralis nobis imponit, absolute sunt facienda, quidquid mali physici inde in nos redundat, quantopere inclinationes naturales reluctant.

Haec igitur obligatio vocatur „imperativus categoricus": imperativus, quia aliquid nobis vel potius sensualitati reluctanti imperatur; categoricus, quia imperium illud omnino absolutum est et sub omni conditione exsequendum, dummodo moraliter agere volueris. In omni igitur actione morali elementum inest tum materiale, i. e. bonum aliquod appetendum vel malum fugiendum, tum formale, i. e. obligatio orta ex imperio rationis autonomae. c) Iam vero in actione non solum finis, i. e. bonum aliquid sive malum spectandum est, sed etiam motivum, ex quo agimus; hoc Kant vocat „maximam" (Maxime) agendi, ut distinguat ab ipsa lege operandi, quae semper eadem est, tanquam principium obiectivum, „maximae" autem sive motiva et principia subiectiva diversa esse possunt. Sed tunc solum habetur vera moralitas in agendo, quando ipsa lex non solum est principium obiectivum agendi, sed etiam subiectivum, i. e. motivum proprium, si igitur lex propter se ipsam observatur, quia est profecta a natura nostra rationali. Quotiescunque igitur alia adest „maxima" agendi, e. g. delectatio aliqua, licet moderata, sive utilitas, immo etsi misericordia moti vel ex amore Dei aliquid facimus, adest solummodo *legalitas*, non proprie moralitas in actione nostra. Signum igitur potissimum

in dir fassest, sondern Unterwerfung verlangst, doch auch nichts drohest, was natürliche Abscheu im Gemüte erregte und schreckte, um den Willen zu bewegen, sondern bloss ein Gesetz aufstellest, welches von selbst im Gemüte Eingang findet und doch sich selber wider Willen Verehrung (wenngleich nicht immer Befolgung) erwirkt, vor dem alle Neigungen verstummen, wenn sie gleich im Geheimen ihm entgegenwirken, welches ist der Deiner würdige Ursprung, und wo findet man die Wurzel deiner edlen Abkunft, welche alle Verwandtschaft mit Neigungen stolz ausschlägt, und von welcher Wurzel abzustammen die unerlässliche Bedingung desjenigen Wertes ist, den sich Menschen allein geben können?"

actionis moralis est, ut sit contra inclinationem naturalem; hanc enim fundari in natura ipsa sensitiva, ex se spiritui oppositam. Tunc igitur actio est moralis, si non solummodo fit secundum legem ut principium obiectivum, sed etiam propter legis auctoritatem et dignitatem solam; secus enim habetur actio vel indifferens, si fit ex lege heteronoma, vel mala, si fit ex inclinatione naturae contra legem [1]. d) Summum igitur praeceptum ethicae Kantianae est: „Ita age, ut „maxima" voluntatis tuae lex universalis agendi constitui possit" [2]. Ex qua norma putat, etiam ea determinari posse, quae facienda vel omittenda sunt. Fac enim licere, depositum non reddere, suicidium facere, mentiri; quid inde sequeretur, si omnibus hoc liceret et omnes hoc facerent? Nulla iam societas salva esse posset. Non tamen ex hoc motivo salutis publicae agendum est; esset enim Eudaemonismus; sed ex dignitate humanae naturae sibi ipsi legem constituentis et naturae spiritualis in genere. Sicut igitur quivis se ut finem sibi proprium considerare debet, ita neque alios homines ut media ad finem adhibere licet.

e) Iam vero ut lex moralis intelligi possit, quaedam veritates supponendae sunt non tanquam theoretice certae et probandae, sed ut „postulata" rationis, sine quibus ordo moralis esse nequeat; hae veritates sunt: *libertas voluntatis*, sine qua actus moralis nullus esset; haec autem libertas non est empirica; sic enim voluntas nostra semper subicitur causalitati naturali psychologicae, sed transcendentalis, quae dependet a subiecto transcendentali, legibus empiricis spatii, temporis, causalitatis non obnoxio. Deinde supponitur animae *immortalitas*; nam in terra opus perfectionis humanae moralis non perficitur neque ullus eius terminus excogitari potest, unde oportet altera vita sit interminata, in qua homo in aeternum possit progredi. Denique *Dei exsistentia*; nam licet virtus non exerceatur propter meritum, attamen eo digna est, praesertim quum omnibus desiderium felicitatis sit innatum. Sed virtuti praemium conferre idque aequale non potest nisi Deus infinite perfectus, qui solus scientia sua et sapientia infinita omnes actus morales eorumque valorem internum cognoscere meritumque eis aequivalens determinare, et potentia sua infinita praemium actu conferre harmoniamque universalem constituere possit. f) Quum igitur Deus effectum illum legis moralis producat sc. felicitatem ei coniungat, lex moralis potest sub hac ratione etiam considerari ut lex divina, et hoc modo *ethica fit religio* [3]), non quasi ethica in religione

[1]) „Der Begriff der Pflicht fordert also an der Handlung, *objektiv:* Übereinstimmung mit dem Gesetz, an der Maxime derselben aber, *subjektiv:* Achtung fürs Gesetz, als die alleinige Bestimmungsart des Willens durch dasselbe. Und darauf beruht der Unterschied zwischen dem Bewusstsein, *pflichtmässig* und *aus Pflicht*, d. i. aus Achtung fürs Gesetz, gehandelt zu haben, davon das erste (die Legalität) auch möglich ist, wenn Neigungen blos die Bestimmungsgründe des Willens gewesen wären, das zweite aber (die Moralität), der moralische Wert lediglich darin gesetzt werden muss, dass die Handlung aus Pflicht, d. i. blos um des Gesetzes Willen geschehe." Krit. d. prakt. Vernunft, 1818, p. 140 sq. [2]) „Handle so, dass die Maxime deines Willens jederzeit zugleich als Prinzip einer allgemeinen Gesetzgebung gelten könne", Krit. d. prakt. Vernunft; cfr. Grundlegung z. Metaphys. d. Sitten, 1791, p. 52. [3]) Cfr. Religion innerhalb d. Grenzen d. blossen Vernunft, 1793, p. 180 sq.: „Religion ist (subjektiv betrachtet) die Erkenntnis all unserer Pflichten als göttlicher Gebote."

fundanda sit, eiusque leges tanquam a Deo statutae observandae sint; esset enim heteronomia et mera legalitas; sed vice versa religio fundatur in ethica. Neque alia religionis officia et exercitia admittenda sunt praeter actus morales, quibus vita bona constituatur: sic orare, praesertim genibus flexis, esset vana religio; spiritus orationis in eo est, ut ita agamus, quasi actiones nostrae in Dei servitium fierent; ecclesiam adire ad gratias implorandas, ad sacramenta percipienda, esse Fetischismum, et qui hoc docent, sunt hypocritae et deceptores populi (Pfaffen)[1]. Neque revelationes sunt admittendae, siquidem ad summum mererentur fidem historiam, quae nunquam errorem excludit. Vera moralitas est vera religio, quae in eo potissimum est, ut iura nostrae personae illaesa custodiamus, ne debita contrahamus, neve aliis beneficia non necessaria conferamus; rebus nostris bene providere debemus, ne aliis oneri simus.

II. *Refutatio:* Concedendum, est Kantium in multis recte nobiscum sentire: a) in eo quod moralitas actionis principaliter dependet ab intentione et voluntate agentis, non ab effectu producto, ut utilitaristae censent; b) motiva actionis moralis non ex rerum utilitate vel delectatione esse deducenda, sed ex dignitate ordinis moralis ipsius; c) legem moralem esse omnino absolutam, necessariam, immutabilem, eandem pro omnibus, qui naturam rationalem habent; d) moralitatem actionis non posse comparari cum quocunque alio bono omnibusque bonis esse praeferendam; e) continuo esse luctandum cum inclinationibus naturae nostrae corruptae; f) porro libertatem voluntatis, animae immortalitatem, Dei exsistentiam esse admittendam.

Attamen in multis Kantii systema morale omnino reprobamus: a) Non explicat *originem obligationis*, quae est factum fundamentale in tota eius doctrina; oritur enim secundum ipsum ex ratione practica, quam etiam voluntatem vocat. Iam vero haec ratio practica vel habetur nostra ratio individua, vel universalis i. e. humana, vel divina. *Si primum*, non apparet, unde absolutus valor, necessitas, immutabilitas, universalitas huius obligationis esse possit, si quidem ratio nostra individua neque ratione exsistentiae neque ratione naturae hisce gaudet perfectionibus, ac proinde neque obligationi ex ea nascenti eas conferre potest, fatente ipso Kantio; immo illam legem, eius exsistentiam, naturam, proprietates non cognoscit, nisi ex experientia tum interna propria tum externa aliorum hominum. Non est igitur cognitio a priori; *sin alterum*, deberet statui ratio aliqua generis humani communis, cuius participationes vel manifestationes essent naturae individuae rationales, quod tamen absurdum est et induceret speciem aliquam ontologismi vel pantheismi; confunditur natura rationalis humana *abstracte* et *concrete* considerata; neque tunc hominum dissensus praesertim de obligatione morali explicari posset. *Si tertium*, imperativus Kantii categoricus formaliter oreretur aut ex Dei intellectu aut ex eius voluntate. Atqui intellectus divinus non est principium obligationis, sed indifferenter et bona et mala cognoscit; voluntas autem divina non arbitrarie statuit bonum vel malum, sed eius differentiam intrinsecam iam supponit (cfr. supra pag. 27) Accedit, quod in hac sententia revelatio divina etiam ad ordinem naturalem

[1]) l. c. 208 sq., 238 sq. Cfr. Phil. Jhrb. 1894, pag. 295: Zu Kant's Schrift: „Religion innerhalb etc."

moralem cognoscendum necessaria est; tandem Kant Dei exsistentiam non supponit probatam, immo negat eam posse probari. b) Neque explicat absolutum valorem, sanctitatem, necessitatem, immutabilitatem obligationis ordinisque moralis. Nam natura humana rationalis individua, utpote finita atque contingenter exsistens, multis inclinationibus perversis obnoxia, certe non habet illum valorem absolutum, omnia alia bona transcendentem, neque hanc sanctitatem, necessitatem atque immutabilitatem. Nisi igitur hanc legem moralem confundis cum Deo ipso, non apparet, unde tanta eius dignitas atque vis obligandi; si vero cum Deo ipso confundis, ut G. Fichte, sententiam Kantianam eo ipso ad absurdum deducens, aut Deum privas substantialitate sua eumque cum natura rationali humana identificas, aut legem moralem immediate ex Dei intellectu et voluntate repetis; sed tunc ea valent, quae supra sub a) diximus. c) Neque applicationem legis moralis ad obiecta eius explicat. Lex enim moralis Kantiana prorsus formalis est, atque a priori, ut possit esse universalis atque necessaria; non significat nisi: debes vel non debes („Du sollst"). Atqui nobis potissimum inquirendum est, *quid* debeamus facere, *quid* omittere, quod lex illa minime revelat, quemadmodum conceptus entis, licet subsit omni conceptui, nihil tamen determinati exprimit: non substantiam, non animal, non hominem etc. Ergo illa lex moralis nil nobis prodest[1]). — Neve dicas, hoc principium, per se formale, simul materiale fieri, quando ut lex generalis agendi statuatur: Age ita, ut tua maxima voluntatis lex universalis fieri possit. Si enim quaeritur ex Kantio: cur depositum reddendum, cur suicidium, furtum, mendacium fugiendum, respondet, quia secus ordo moralis et societas humana destrueretur. Sed tunc vel idem per idem probatur, sc. exsistentia et necessitas ordinis moralis ex eius exsistentia et necessitate ipsa, vel eudaemonismus socialis statuitur: illa esse facienda vel omittenda propter salutem publicam, vel perfectionismum statuit appellans ad dignitatem et personalitatem naturae humanae, quae[2]) tamen sententia, ipso Kant fatente, ab eius doctrina abhorret.

d) Kant igitur multa in re morali omnino distincta confundit: α) *Normam subiectivam*, extrinsecam, quae est ratio nostra sive conscientia, cum *norma obiectiva* intrinseca moralitatis, quae est ipse ordo obiectivus et naturae nostrae et rerum omnium exsistentium, iuxta quam ratio dictamen conscientiae formare debet. β) Confundit *normam* moralitatis, ex qua innotescit, quid bonum sit vel malum, cum *principio obligationis*, quo manifestatur, quid necessario faciendum vel omittendum sit, non, quid simpliciter liceat, quid non; multa enim bona sunt vel licent, quae nobis non imponuntur. γ) Confundit *normam* moralitatis vel etiam principium obligationis cum *motivis* operandi; neque enim admittit tanquam motivum morale nisi „respectum legis ipsius", praeter quod motivum alia multa admittenda sunt sive plus sive

[1]) Ipse fatetur: „Wie reine Vernunft praktisch sein könne, das zu erklären, dazu ist alle menschlische Vernunft gänzlich unvermögend, und alle Mühe und Arbeit, hiervon eine Erklärung zu suchen, ist verloren" (Metaphysik d. Sitten pag. 92).

[2]) Cfr. Didio, Die moderne Moral und ihre Grundprinzipien kritisch beleuchtet, 1896 p. 70 sq.

minus digna, attamen in se licita et moralia. Et certe, quot homines essent morales, si morale non esset agere nisi ex respectu solo legis moralis. Vereor ne Kant ipse tunc immoralis haberetur gaudens honore, quo professor afficiebatur, recipiens emolumenta satis pinguia sive ex libris sive ex praelectionibus suis. Profecto, si quis ex amore proximi vel Dei pauperes sublevat, ex opinione hominum maius quid facit atque perfectius, quam si ex solo respectu legis a se ipso constitutae hoc idem faciat. δ) Denique rigorismum inducit, omnem reprobans inclinationem in bonum; nam hoc repugnat naturae nostrae, non solum in malum proclivae, sed naturaliter etiam virtutem diligenti; immo quo magis inclinamur ad bonum, eo certius perfectiusque bonum efficitur, et est praecise effectus virtutis, ut facile reddat atque promptum boni exercitium. Unde et amici et admiratores Kantium inde reprehendunt[1]. ε) Privat igitur Kant legem moralem vi sua, primum eam collocans non in Dei natura et voluntate suprema, sed in hominis ipsius ratione autonoma sibique legifera, ac proinde facile infringitur propria lex nostra; deinde vetat, ne ex actione morali ulla delectatio, quamvis honesta, ulla utilitas etiam naturaliter cum actione coniuncta exspectetur; praesertim non felicitas aeterna speranda vel poenae aeternae, quas implicite negat, timendae sunt; quibus motivis remotis, plurima pars hominum bonum morale, praesertim si continui labores suscipiendi malaque multa perpetienda sunt, non faceret, neque ab illicitis satis arceretur. ζ) Accedit, quod ordo moralis nisi in Deo fundatur, caret fundamento suo; religio enim et moralitas, teste historia, ab invicem separari non possunt. Neque sufficit, ut tres illae veritates fundamentales: voluntatis libertas, animae immortalitas, Dei exsistentia ut „postulata" admittantur, sed de ipsis debet constare, prius quam ad ordinem moralem fundandum adhibeantur. Denique Kantio vitio dandum est, quod modo prorsus rationalistico fidem religiosam et pietatem christianam: orationem, sacramenta, mysteria quasi irrideat vanasque habeat atque superstitiosas observantias; fides enim et moralitas christiana magis contulit ad barbariem nationum depellendam et mundum salvandum, quam philosophia Kantiana unquam praestitit praestabitque in aeternum.

Caput III: Ideae morales non a solo subiecto cognoscente sunt.

A. *Non sunt a solo intellectu derivandae.*

1. *Expositio:* Kant legem formalem ex ratione nostra autonoma derivavit eamque applicavit ad materiam, quam per inclinationes naturales, i. e. per appetitum sensitivum suppeditari putat, quemadmodum formae sensibilitatis,

[1] Noti sunt versus, quibus Schiller hanc sententiam reprobat: Gewissensskrupel: Gern dien' ich dem Freund, doch tu' ich es leider mit Neigung, Und so wurmt es mich oft, dass ich nicht tugendhaft bin. Da ist kein anderer Rat, du musst suchen, sie zu verachten, Und mit Abscheu dann tun, was die Pflicht dir gebeut. Cfr. Paulsen, System d. Ethik, 1900⁵, I, p. 329 sq.; idem recte: Systemat. Philosophie (Kultur d. Gegenwart) 1907, p. 303: „Daher muss für die Ethik die Parole sein, nicht: Zurück zu Kant, sondern: Endlich los von Kant." (Cfr. Wundt, System d. Philos. 1897², p. 660.)

categoriae intellectus, ideae mentis ad materiam informem per sensus exhibitam applicarentur. Eius autem discipuli, quemadmodum materiam cognitionis in genere ex solo subiecto repetebant, ita materiam quoque legis moralis ex eius subiecto solo deducebant. — Ita *G. Fichte* Ego absolutum statuit, quod sibi ipsi impedimentum et terminum, i. e. non-Ego sive mundum, opponeret. Hoc impedimentum prorsus irrationale per voluntatem, appetitu inferiore reluctante, nobis tandem progressu *infinito* esse removendum, ut ad plenam libertatem et conscientiam absolutam revertamur. Hanc legem moralem cum Deo ipso confundit. — *Schelling* vero docet, identitatem absolutam naturae et spiritus, necessitatis et libertatis principium rerum ultimum esse, ac proinde tendentiam rerum ad individualitatem et multiplicitatem (Grundwille) esse ipsum malum removendum, ut illa absoluta identitas restituatur. — Denique *Hegel*, statuens evolutionem spiritus absoluti, docet ordinem moralem esse ipsum spiritum obiectivum, qui in humanitate se manifestet et explicet tribus gradibus: *ordine* iuridico, quo ordo externus hominum contineatur; *moralitate interna*, quae consistat in obligatione interna, nobis per conscientiam sese manifestante; *activitate morali* externa, qua ordines priores coniungantur in familia et civitate. Mores sunt signum spiritus publici, eisque prorsus obediendum est; civitas vero est summa apparentia spiritus obiectivi, per historiam explicati, praesens Deus; malum consistit in differentiatione ipsius absoluti, qua finitum fit et individuale, et per reditum absoluti ad se ipsum est destruendum (cfr. vol. I, p. 293–297).

Vix opus est refutare haec systemata moralia, quia supponunt pantheismum, i. e. identitatem realem omnium rerum necessariamque evolutionem entis absoluti in mundo per se spirituali. Iam vero in omni systemate pantheistico: a) libertas voluntatis destruitur, quae est fundamentum omnis moralitatis; ens enim absolutum, quidquid est vel fit, illud necessario est vel fit. b) Destruuntur leges morales; nam lex moralis illud determinat, quod *debeat* fieri, attamen etiam, licet per culpam, omitti possit; ens autem absolutum *necessario* omnia est vel fit; neque potest a se ipso deficere, i. e. culpa et malum esse non possent. c) Ens absolutum aut subit evolutionem intrinsecam, aut non; si *primum*, leges morales non eaedem permanerent, et rueret distinctio intrinseca inter bonum et malum; quidquid fieret eo ipso bonum esset ac legitimum; sin *alterum*, nihil posset fieri, siquidem ens absolutum, quidquid est, necessario est; neque igitur ulla evolutio mundi, neque historia humana, neque ordo moralis esse posset. d) Destrueretur dignitas personae humanae, quae prorsus per civitatem absorberetur, per „Deum praesentem", et civitati omnia licerent in cives ex toto dependentes ab ipsa — quae tamen omnia et conscientiae nostrae et persuasioni hominum et historiae repugnant. e) Denique malum ipsum necessarium haberetur, siquidem esset stadium necessarium evolutionis entis absoluti, quare conceptus responsabilitatis et culpae in omni systemate pantheistico destruitur.

2. Idem fere dicendum est de doctrina morali, quam proposuit *Schleiermacher* († 1834), professor theologiae protestanticae Berolini, qui a multis praestantissimus ex tempore Lutheri habetur theologus protestantium[1]. Docet enim — Spinozam et Schelling sequens — Deum esse unitatem mundi, hunc-

[1] Cfr. Überweg-Heinze, IV⁹, p. 77 sq.

que totam Dei activitatem et potentiam adaequare; mundus igitur necessarius est atque aeternus. Religio in eo consistit, ut nos absolute dependentes sentiamus ab universo: *subiectiva*, ut nos unum sentiamus cum ente infinito; *obiectiva*, ut Deus sese nobis interne manifestet; statuitur igitur sensus quidem internus, in quo fundatur omnis religio (Gefühlsreligion); scientia autem sola ratione nititur, unde nulla est inter utramque relatio dependentiae. Hominis finis est, ut se et naturam rationi subdat, ita ut *bonum absolutum*, nunquam plene obtinendum, sit identitas naturae et rationis; *virtus* est vis, qua bonum illud producitur; *obligatio* vero viam ad hunc finem ostendit. Omni igitur momento tota vis adhibenda est ad finem illum consequendum. Negat libertatis voluntatem, siquidem actiones nostrae ex natura nostra, quae realiter idem est cum ente absoluto, determinantur, unde Deo peccata sunt imputanda; negat immortalitatem, saltem ex ratione naturali; immo putat, eam verae pietati, quae coram Deo sese prorsus annihilet, obstare; videtur tamen palingenesim nonnunquam statuere. Negat Dei personalitatem, ne qua proprietatum (intellectus et voluntatis) distinctio realis in eo sit. Negat miracula et facta revelationis e. g. peccatum originale, divinitatem Christi, duce Kant, allegorice explicare conatur; omnes religiones pro suo tempore et loco veras habet et quasi totidem status transitorios ad religionis perfectionem. Ius omne derivat ex societate.

Quid de hac doctrina est sentiendum? Facile concedi potest, Schleiermacher multis suis scriptis de re ethica[1]) hanc scientiam non parum promovisse et ethicam formalisticam Kantii mitigasse, moralitatem actionum non ex sola voluntate, sed etiam ex fine ultimo deducens. Attamen hunc finem ultimum non recte constituit in identitate naturae et rationis modo pantheistico efficienda et nunquam obtinenda, praesertim negando voluntatis libertatem, animae immortalitatem, Dei personalitatem. Non potest originem et naturam mali explicare neque peccati, praesertim quum statuat, conscientiam sensitivam, in qua peccatum originale collocat, esse statum necessarium transitorium ad conscientiam de Deo habendam. Denique fundamenta ipsa religionis christianae negat.

3. *Herbart* (cfr. vol. I, p. 297 sq.) modo singulari originem et naturam moralitatis explicat. Neque enim putat, primo obligationem moralem investigandam esse, sed eius obiectum; hoc autem pertinere ad aestheticam, siquidem excitet in nobis affectum complacentiae vel displicentiae. Obiectum materiale esse quasdam voluntatum plurium relationes, sine quibus nulla moralitas esse possit; obiectum formale esse quaedam iudicia practica sive ideas, quae applicandae sint ad illas voluntatis relationes. Has ideas sponte oriri ex ratione practica et quinque potissimum esse: *ideam libertatis internae*, quae habetur ex conformitate inter conscientiam et voluntatem; *ideam perfectionis*, qua actus voluntatis fortior magis placet quam infirmior; *ideam benevolentiae*, qua aliis bene volumus; *ideam iustitiae*, qua pax cum aliis placet, discordia displicet; *ideam aequitatis*, qua suum cuique tribuitur meritum sive demeritum.

[1]) Grundlinien einer Kritik der bisherigen Sittenlehre, 1803; Entwurf eines Systems der Sittenlehre 1835; Grundriss d. philos. Ethik, 1841 (duo ultima opera sunt posthuma).

Sed haec theoria moralis admitti nequit[1]); nam a) supponit ordinem moralem pertinere ad aestheticum eiusque obiectum non esse nisi relationes inter plures voluntates. Atqui actionum moralitas intrinsecus differt a rerum pulchritudine, et obiectum earum materiale non solum sunt relationes plurium actuum voluntatis; secus *unus* actus voluntatis e. g. actus abstinentiae non posset esse moralis; neque iam prima species moralitatis pro aliis fundamentalis, sc. harmonia inter actum voluntatis et *intellectus* (conscientiae), esse posset. b) Hae ideae morales ex una parte non comprehendunt totam moralitatem, praesertim moralitatem propriae personae; ex alia parte etiam tales comprehendit voluntatis relationes, quae per se tum morales tum immorales esse possunt e. g. actus concupiscentiae *fortior* quam abstinentiae vel misericordiae. c) Accedit, quod illae ideae non ex principio communi eoque obiectivo derivantur, sed magis arbitrarie ex principio subiectivo complacentiae vel displicentiae, ita ut illud bonum definiatur, quod appetatur, non vice versa. d) Denique non apparet, unde habeatur obligatio ad moralitatem eaque tanta, ut omnem aliam necessitatem superet; nemo enim putat, se ad id teneri, quod solum pulchrum habetur.

4. *Stange*[2]) nititur, theoriam Kantianam de actuum moralitate cum Herbartio consociare, ita ut cum Kantio obligatio, cum Herbartio materia moralitatis statuatur; supponit igitur obligationem aliquam a priori exsistentem ut factum primitivum conscientiae moralis. Haec autem obligatio, per se absoluta et immutabilis, non est nisi principium formale, prorsus vacuum, quod ad certam materiam applicari debeat. Haec igitur materia sunt plurium voluntatum relationes sive circa idem obiectum sive inter se dependentes. Quae autem voluntatum relationes sint materia apta obligationis, dependet a statu culturae publicae cuiusvis temporis. Obligatio autem oritur ex iudicio quodam synthetico a priori rationis, quae dictat, nos ut membra organismi socialis voluntati communitatis nostram subordinare debere, licet appetitus sensitivus naturae corruptae reluctetur.

Similem sententiam, duce Ritschl, statuunt alii theologi protestantes, ut Herrmann, Kaftan, Lipsius etc.[3]), insuper sensum aliquem statuentes mysticum, quo a Deo immediate doceamur.

Sed haec theoria deficit: a) quia ut obiectum materiale obligationis supponit *plures* voluntates ac proinde aliquam societatem humanam; non igitur haberetur obligatio moralis individua ad se ipsum vel ad Deum, fatente Stange, quod tamen et conscientiae et hominum persuasioni repugnat; sumus enim entia moralia non solum ut in societate viventes, sed etiam ut individua; immo haec moralitas personalis omnem aliam praecedit. b) Repetit obligationem ex ratione quadam communi generis humani, quae non est nisi abstractio et universalisatio rationis nostrae individuae; patet, hoc modo

[1]) Cfr. Willmann, Herbart's pädag. Schriften, 1880, II, 304; Gutberlet, Ethik u. Religion 1892, p. 94 sq. Phil. Jhrb. 1907, p. 144 sq. Glossner, Der Herbartianismus und die Lehrbücher für Lehrer-Bildungsanstalten (Jhrb. für Philosophie u. spekul. Theologie 1894, p. 171 sq.)

[2]) Einleitung in d. Ethik, Grundlinien d. Ethik 1901/1902.

[3]) Cfr. Mausbach, Die kathol. Moral (Görresgesellschaft), 1901, p. 77; Überweg-Heinze l. c. IV[9], p. 229 sq.

sanctitatem et valorem absolutum huius obligationis explicari non posse. c) Conscientia nostra testatur, nos illa iudicia moralia de actionibus quibusdam ponendis vel omittendis non modo prorsus synthetico a priori i. e. sine ulla ratione formare, sed ex relatione actuum ad naturam nostram tum individuam tum socialem *clare* cognita; secus non nobis ipsis responsabilitatem tribueremus; obligationem autem illam absolutam haberi ex voluntate absoluta Dei, supremi domini, testis, iudicis actionum nostrarum. d) Si tota materia moralis repetitur ex statu praesentis culturae publicae, non iam esset discrimen intrinsecum inter bonum et malum; quidquid moris publici esset, etiam morale, immo obligatorium esset, neque discrimen adesset inter ea quae licent et quae praescripta, quae bona moraliter libera et necessaria sunt. e) Accedit, quod Stange libertatem voluntatis negat nosque tum ex rationibus nobis intrinsecis, tum ex circumstantiis plus minus fortuitis ad unum determinari affirmat[1]); sed tunc ruit omnis moralitas et Deus tandem auctor esset et boni et mali moralis in nobis.

Alii multi auctores enumerari possunt, qui in aliis iterum principiis mere subiectivis moralitatem collocant; sic *W. Schuppe*[2]) in conscientia nostra non tam individuali, quam sociali perficienda, non considerans, conscientiam dependere ab obiectis actibusque rationis indeque suum valorem habere. Sic *A. Doering*[3]) moralitatem collocat in aestimatione recta sui ipsius et tendentia inde orta, hanc aestimationem proprii valoris etiam in aliis hominibus producendi; sed quaeritur praecise, in quo *recta* sui ipsius aestimatio valorque personalis consistat, quibusque actibus efficiatur; supponuntur igitur normae aliae obiectivae.

B. *Neque norma moralitatis ex sola voluntate derivanda est.*

1. Iam apud Indos Gothama *Buddha*[4]) (saec. V a. Chr.), i. e. illuminatus, ex gente Sakya natus (inde Sakyamuni = sapiens ex gente Sakya), honestatem actionum in compassione collocavit, qua mala vitae tum nostra, tum aliorum auferenda essent. Docet enim, voluntatem individualem, affectionem ad bona terrena, immo etiam ad corpus nostrum, ad perceptiones, desideria, memoriam et conscientiam individualem malum esse proprium et unicum; haec autem mala orta esse ex desiderio vitae, quare finem vitae nostrae in eo esse, ut hoc desiderium vitae et conscientia mundi in nobis penitus exstirpetur, quo facto vere sapientem redire ad nihilum (Nirwana).

[1]) „Für die Handlung des Willens ist immer diejenige Vorstellung massgebend, welche im Bewusstsein am stärksten sich geltend macht." . . . „Es hängt letzten Endes vom Zufall ab, ob in uns der begehrende oder der gehorchende Wille die Oberhand hat." . . . „Die Wahl der Motive steht nicht in unserer Hand, sondern Gott ist es, der sie auswählt. Von ihm allein hängt es ab, ob in uns der sittliche Wille so sehr erstarkt, dass er stärker wird als der natürliche Wille" (l. c. II, p. 285, 287, 288).

[2]) Grundzüge der Ethik und Rechtsphilosophie, 1881.

[3]) Philos. Güterlehre, 1888; Handbuch der menschl. natürlichen Sittenlehre. 1899.

[4]) Cfr. Hardy, Indische Religionsgeschichte, 1898 (Sammlung Göschen, Band 83).

Media autem ad hunc finem esse: relinquere mundum vitamque ducere monasticam atque asceticam, meditationi consecratam. Inde multa monasteria fundavit tum virorum tum mulierum, quae eleemosynis collectis sustentabantur.

Qua in re Buddhae doctrina parum differt a *Brahmanorum* placitis[1]), qui, utpote Pantheistae, docebant, Brahma esse idem cum singulis hominum animabus: „atman" (tat tvam asi) et malum in eo esse, quod singuli individuationem propriam a Brahma distinctam per voluntatem suam desiderarent. Finem igitur hominis vere sapientis hunc esse, ut plene redeat in Brahma, amittens propriam atque individuam exsistentiam; hunc autem reditum effici per ascesim (crudelem corporis castigationem et macerationem), per meditationem (impediendo respirationem et sensationem), per ecstases (autohypnosis). Reiectis igitur omnibus bonis terrae, immo etiam vestibus (gymnosophi), familiaque relicta, ut monachi et mendicantes ubique errabant. — Differt autem doctrina Buddhae a Brahmanis, quia illa neque de Deo neque de immortalitate vitae sermonem faciebat, licet eius asseclae postea palingenesin animarum cum Brahmanis docerent, necnon ipsum Buddha usque hodie tanquam Deum supremum habeant. — Atque haec tum Brahmanorum tum Buddhae doctrina moralis in eo laudanda est, quod inclinationi naturae in bona sensibilia eorumque amori et desiderio fortiter resistebant, et naturam spiritualem hominis eiusque libertatem voluntatis strenue defendentes necnon opera misericordiae promoventes. Sed in multis, ut pagani, errabant: a) quia finem hominis potius in eius destructione quam perfectione collocabant: Brahmani in absorptione per ens absolutum Brahma, Buddhistae in exstinctione conscientiae et exsistentiae ipsius; illi igitur docent potius Eudaemonismum privatum negativum (absentiam malorum in Brahma), hi Eudaemonismum negativum socialem (liberationem a malis mundi per plenam exstinctionem in Nirwana); deficit igitur motivum fortissimum ad bona opera impellens necnon sanctio in vita futura. b) Exaggerant animae spiritualitatem et libertatem, quasi sit spiritus purus, immo ipse divinus, et propria vi se ab omnibus malis liberare possit. c) Res mundi non habentur nisi mala quod certe et conscientiae nostrae et experientiae repugnat; est pessimismus omnino reprobandus, qui si vitam humanam vere regeret, culturam humanam et progressum scientiarum artiumque impediret; immo opera vitae quotidianae despecta haberentur, neque vita honesta nisi solis sapientibus Brahmae et Buddhae sectatoribus monachis tribueretur. d) Porro media adhibita erant vel inhumana (yoga, i. e. crudeles macerationes) vel illusoria (ecstases per autosuggestionem).

Praesertim vero compassio Buddhistarum ut praecipuum motivum actionis erga proximum non potest admitti, siquidem compassio sine *iustitia* vel *prudentia* esset potius malum, e. g. in parentibus, si filios peccantes non castigant; in magistratibus, si crimina non vindicant et eis parcunt, qui melius compassionem excitare sciunt. Quae enim in eo est stultitia, quod Buddhae laudi tribuunt, eum se ipsum tigridi esurienti

[1]) Cfr. Dahlmann, Der Idealismus der indischen Religionsphilosophie, 1901, p. 109 sq.

vel sitienti ex compassione devorandum tradidisse, hominem bestiae?[1]) e) Brahmani sunt pantheistae, Buddha vero ipse potius erat Atheista vel Nihilista, quia Dei cultum omnem repudiavit et finem hominis futurum non admisit; eius autem asseclae usque hodie et animarum transmigrationem docent et praeter Buddham multos deos in templis suis colunt. f) Nesciunt explicare, unde sit exsistentia individualis, quae ipsis est primum factum voluntatis et peccatum radicale: non Brahmani, quia Brahma, utpote bonus, non potest malum per se producere; non Buddhistae, quia ex nihilo nihil fit, unde vel Deum vel animam ab aeterno exsistentem supponere debent.

2. *Rousseau* († 1778) conscientiam putat affectibus constare, quibus vita nostra moralis regenda sit. Censet enim, homines, sicut primitus, ita et nunc perfectos nasci, culturae autem progressu hominis naturam depravari; ideo educationis esse, infantes tueri contra influxum omnem culturae et corporis et animi extraneum, eosque sibi relinquere, ut motu proprio tandem perveniant ad cognitionem Dei auctoris mundi intelligentis et animae nostrae spiritualis et immortalis, in qua cognitione totam consistere religionem. Hominis igitur finem esse redire ad innocentiam status naturae, qui non sit bellum omnium contra omnes, ut Hobbes vult, sed status pacificus, sicut bruta per instinctum reguntur. Ducem autem nobis esse conscientiam, quae per affectus ad modum instinctus semper recte nos doceat, non rationem, quae potius errores et falsam culturam producat. — Civitatem ortam esse per contractum socialem civium (Contrat social, 1762), penes quos omnis esset potestas legifera, cui, utpote fonti omnis iuris, in omnibus sit obediendum. — Patet, hanc theoriam moralem, suo tempore magna admiratione — etiam a Kant — affectam, finem hominis verum negligere, hominis naturam ad malum inclinatam non recte diiudicare ac proinde falsum systema educationis docere (Emil, 1762), veramque moralitatem atque obligationem ignorare hominesque partim sortis suae dominos constituere, partim societati prorsus subordinare, ita ut hic iam principia falsa revolutionis gallicae: aequalitatis, libertatis, fraternitatis, lateant. Neque mirum, hominem per totam vitam vitiis deditum — cum pluribus feminis in concubinatu vivebat et infantes suos quinque, nullo signo recognitionis orphanotrophio educandos, tradebat — talem philosophiam moralem docuerit, quae perverso illo tempore multis probabatur.

3. *Adam Smith* († 1790) statuit principium sympathiae, docens ea facienda esse, quae in aliis nobis placent, ea omittenda, quae in aliis nobis displicent, modo sine partium studio actiones aliorum consideremus et diiudicemus. — Sed non videt hic auctor, etiam alios homines eodem modo sese habere debere respectu nostri, unde moraliter agere non possumus, priusquam normam in aliis apprehendimus, alii vero morales esse non possent, nisi eandem regulam morum prius ex nostra actione didicissent; adest igitur circulus vitiosus. Neve dicas, alios non a nobis normam illam discere deberè

[1]) Ex his patet, quam stulti illi sunt recentiores auctores, qui reiecta ethica christiana, quae universum mundum reformavit, doctrinam Buddhae apud nos resuscitare velint, libris necnon periodicis (Der Buddhist ex anno 1905) de ethica Buddhae publicatis. Cfr. Pastor bonus, 1907, p. 193 sq. *Englert*, Christus u. Buddha, 1898 (Leo-Gesellschaft).

sed ab aliis hominibus; nam tunc saltem nescitur, unde primi homines primum moraliter agentes leges morales acceperint. Accedit, quod Smith et post ipsum multi („Liberalismus“) in rebus oeconomicis liberam „concurrentiam“ statuerit, quae per se repugnat sympathiae, neque aliud est nisi ius potentioris, et est causa potissima socialismi inde exorti[1]).

4. *Schopenhauer* († 1860; cfr. vol. I, p. 299 sq.) novum Buddhismum inducens, *compassionem* cum miseriis hominum unicum fontem habet moralitatis[2]). Sibi enim persuadebat, homines his in terris perpetuis cruciari miseriis, ita ut praestet, potius non esse quam esse (Pessimismus). Moraliter igitur ille operatur, qui alios a malis liberare studet idque ex sola compassione, non ex motivo egoistico; rationem autem fundamentalem huius compassionis esse identitatem nostram cum aliis hominibus in voluntate quadam absoluta.

Sed homo ille acutus non videt: a) suppositionem suam ex toto esse falsam, sc. pessimismum; non enim solae miseriae in mundo sunt, sed etiam gaudia tum sensibilia tum spiritualia, estque vita futura, in qua plena felicitas haberi potest; deficit igitur fundamentum totius systematis moralis. b) Compassio non semper bona est, dependet nimis a dispositione naturali cordis et phantasiae, et saepe obest iustitiae, e. g. quoad crimina punienda, vel verae saluti, e. g. in educatione; unde requiritur alia norma, qua compassio bona et licita ab illicita et falsa distinguatur. c) Porro, qui rationem ultimam compassionis habet nostram cum aliis identitatem sive realem sive reputatam, recidit in eudaemonismum privatum vel socialem, sicut et Buddhistae necnon E. v. Hartmann, pessimista[3]). d) Compassio nonnisi partem moralitatis eamque satis parvam designat; negliguntur igitur plurimae aliae virtutes et erga se ipsum et erga Deum, immo et erga homines (iustitia). e) Accedit, quod Schopenhauer voluntatis libertatem negat, imo etiam realitatem obiectivam rerum sensibilium, ac proinde alios homines exsistere negare deberet, quare totum ruit systema eius morale.

5. Alio modo *H. Schwarz*[4]) leges morales ex voluntate a priori deducit. Distinguit duplicem voluntatem: *inferiorem*, qui habet tanquam obiecta tum res nos bene vel male afficientes (Zustandswerte), tum personam nostram (Personenwerte), tum bona aliena (Fremdwerte) hominum vel societatis; *superiorem*, cuius actus sunt electio vel analytica vel synthetica. Analytica electio fit inter bona plura cognita, et semper magis placens eligitur; synthetica fit, nullo iudicio mentis praevio, ex sola voluntatis determinatione, qua bona personae rebus, bona societatis individualibus praeferuntur. Haec electio non determinatur per motiva rationis, sed per normam ipsam, quae est foetus ipsius voluntatis. Haec est vera autonomia, non quidem rationis, ut Kantiana, sed ipsius voluntatis; immo est potius Dei voluntas eiusque lex in voluntate nostra residens. Haec etiam est vera religio, sc. ex norma ipsius voluntatis se ipsum ut personam rebus (Selbstbejahung), aliorum

[1]) Cfr. Stein l. c. p. 254 sq.

[2]) Die Welt als Wille u. Vorstellung, 1844[2]; Die beiden Grundprobleme der Ethik, 1841.

[3]) Cfr. quae bene de hac re exponit Gutberlet, Ethik und Naturrecht, 1901[3], p. 64 sq. Cfr. vol. I, p. 300 sq.

[4]) Das sittliche Leben, 1901.

vero bona nostris (Selbstverneinung) praeferre; haec est vera fides moralis, Dei legem in voluntate nostra quasi experiri. Quum igitur bonum commune superet nostrum, civitas bene ordinata est quasi incorporatio moralitatis sibique ipsi est finis, non singuli homines sibi; non igitur Individualismus, sed *Impersonalismus* summus est gradus moralitatis subiectivae.

In hoc „apriorismo voluntaristico" quamquam multa bene sunt dicta — Deum saltem auctor admittit — attamen nimium a vera norma moralitatis recedere videtur: a) Statuit, res non in se ipsis habere bonitatem obiectivam valoremque moralem, sed accipere tandem per nostram aestimationem sive voluntatis inferioris sive superioris, quod tamen conscientiae contradicit, testanti res esse bonas *in se* ac proinde a nobis appeti, non esse bonas, *quia* a nobis appetuntur. b) Idem dicendum est de voluntate electiva synthetica; bonum aliquod non fit morale, quia tale constituitur per voluntatem nostram synthetice i. e. a priori decernentem; optime scimus, cur dignitatem personae praeferamus rebus inanimatis e. g. cibis, potibus, divitiis, quia iudicamus, personam humanam *in se ipsa* et *ante* nostram aestimationem digniorem esse illis rebus. Similiter optime scimus, bonum commune nostro individuo esse praeferendum, ex eadem ratione. Non igitur requiritur eiusmodi decretum syntheticum omne iudicium praecedens, in se caecum et arbitrarium tanquam norma iudicii moralis, sed sufficit ipsa natura rerum et nostra satis cognita. Immo conscientia nostra testatur, tale iudicium pracedere omnem actum moralem et sine ipso nullam veram i. e. humanam moralitatem esse posse, quae inprimis debet esse rationalis. c) Haec norma aprioristica voluntatis non sufficeret ad id cognoscendum, quod licitum est et quod debitum; neque enim semper bonum sociale personali est praeferendum; secus omni momento communitati me devovere deberem et personam et bona mea, quod est absurdum; neque explicatur valor absolutus moralitatis, si quidem eius fons esset voluntas nostra finita, eadem voluntas, quae simul est fons quoque appetitus inferioris, quo rebus bonitas tota tribueretur. d) Hominis dignitas ut persona nimis subordinatur civitati, quae non est sibi finis, sed cuius finis est salus subditorum. Neque religio adeo vel a moralitate seiungenda vel ab ea prorsus absorbenda est; nam si Deus est, quem auctor admittit, certe ipsi ut auctori, benefactori, finique nostro prae omnibus reverentia, obedientia, dilectio servitusque praestanda sunt. Denique auctor, affirmans voluntatem ab intrinseco determinari per normam ex ipsius natura sponte ortam, destruit veram libertatem voluntatis et fundamentum honestatis omnis, neque apparet, quomodo peccari possit, si norma ipsa voluntatem determinat.

6. Similiter *Chr. v. Ehrenfels*,[1]) sequens Brentano et Meinong, subsumit ethicam sub „theoria sua valoris", et cum Herbart illud bonum habet, quod appetimus; moraliter autem bonum vocat, quod salutem publicam promoveat. Initio homines id bonum habebant, quo delectabantur, deinde, experientia facta, regulas quasdam (Maximen) agendi inde statuebant et moribus legibusque firmabant; inde ius et mos primum idem erant, sed postea legibus distinguebantur et in hominibus, mediantibus affectibus (Lust-Unlust),

---

[1]) Allgemeine Werttheorie; Grundzüge einer Ethik 1897/98; cfr. Phil. Jhrb. 1899, p. 441 sq.

conscientiam paulatim excitabant simul cum affectibus poenitentiae, culpae, responsabilitatis, quos tamen affectus auctor, praeter satisfactionem, cum determinismo voluntatis stare posse arbitratur. — Hoc quidem systema morale peccat iam pervertendo conceptum boni eumque ex solo subiecto deducens; porro morale confundit cum utili, destruit discrimen intrinsecum inter bonum et malum morale, statuens et Evolutionismum moralem et Eudaemonismum socialem; deinde facta conscientiae, poenitentiae, culpae non recte interpretatur, neque valorem absolutum moralitatis, neque differentiam inter licitum et praescriptum explicat, nil de Deo, de vita futura, de sanctione aeterna legis moralis loquitur, et destruit fundamentum moralitatis, negans liberam voluntatem.

7. Etiam *Max Wentscher*[1]) cum Kant voluntatem nostram statuit *adaequatum* principium moralitatis, quam illa per usum libertatis ex se producat. Reicit igitur omnem normam moralitatis obiectivam finesque, ex quibus moralitas diiudicetur vel derivetur, ut moralitas nostra „autonoma" esse possit. Statuit tanquam principium moralitatis summum: Naturam tuam quam maxime actibus tuis exprimas atque perficias, necnon firma principia voluntatis liberrimae formes.[2]) — Profecto, hic auctor laudandus est, quia reicit omnem Eudaemonismum, et Deum personalem voluntatemque liberam defendit. Attamen deficit a vero: a) quia repudiat normam obiectivam moralitatis; naturam enim nostram, quam perfici vult, aut habet tanquam normam obiectivam, et tunc ruit eius ethica pure voluntaristica, aut eam non habet tanquam normam, et tunc nescimus, quomodo sit perficienda, nisi recurrat ad ideas vel principia moralia intellectui vel voluntati innata vel caeco modo et arbitrarie formata. Porro natura humana vel abstracte i. e. ut omnibus eodem modo communis, vel concrete i. e. ut in singulis individualis intelligenda est; si *primum*, non apparet, quomodo leges generales morum singulis applicandae sint, neque quid imperatum, quid licitum vel simplicitur bonum liberum sit; sin *alterum*, etiam inclinationes plus minus subiectivae et perversae singulorum hominum essent corroborandae, quod destrueret omnem moralitatem obiectivam. b) Moralitatem non fundat ultime in Deo ac proinde eius valorem infinitum et obligationem absolutam explicare nequit, siquidem voluntas nostra neque infinita est neque absoluta. c) Denique non videtur statuere nisi libertatem *moralem* i. e. ad faciendum bonum morale, confundens eam cum physica sive psychologica, quae est tum ad bonum, tum ad malum; alioquin homo morigeratus non posset iam deficere a bono per peccatum, vel homo perversus non posset unquam fieri bonus per conversionem, quod utrumque experientiae repugnat.[3])

---

[1]) Ethik: I. Krit. Grundlegung 1902, II. System der Ethik 1905.

[2]) „1. Axiom: Strebe nach höchster Ausprägung wahrhaft eigenen Wesens und fester Grundsätze eines vollendet eigenen freien Willens! 2. Axiom: Mache von dieser Fähigkeit freier Betätigung eigenen Wesens den kraftvollsten und umfassendsten Gebrauch!"

[3]) Cfr. Philos. Jhrb. 1902, p. 273 sq.: Gutberlet, „Eine Ethik des freien Willens."

§ 3. De principiis moralitatis simul subiectivis et obiectivis.

Principia simul subiectiva et obiectiva in eo conveniunt, quod moralitatem actuum non ex solo subiecto, sive eius natura sive eius actione derivant, sed simul obiectorum activitatis habetur respectus finesque considerantur, ad quos principium operans destinatur. — Sic iam *Confucio* († 479 a. Chr.[1]), sapienti Sinensium, tribuitur, eum naturam humanam constituisse normam, cum qua omnes actus convenire deberent, ut essent morales; praesertim autem naturam socialem spectabat, non loquens neque de Deo neque de vita futura, unde eius systema affine est Eudaemonismo sociali.

Caput I: Sententiae veterum.

1. Primus, qui quaestionibus ethicis modo scientifico operam dedit, fuit *Socrates* († 399), cuius axioma erat: Nosce te ipsum! Inprimis falsam doctrinam Sophistarum impugnabat, nihil in se esse bonum sive malum, sed fieri per mores et leges humanas. Ex cognitione humanae naturae eiusque dignitate deduxit, passiones et libidines esse refraenandas hominisque finem i. e. felicitatem non acquiri bonis sensibilibus, immo quo magis quis se illis abstinet, eo perfectior erit atque beatior. Felicitatem veram consistere in assimilatione ad Deum, hanc autem fieri per virtutem sapientiae, quae esset cognitio veri perfecti in Deo; quam qui possideret, eum non posse peccare, omne enim peccatum esse ex ignorantia. Virtutem igitur non esse nisi unam atque disci posse.

Mirum est, quod Socrates, utpote religione revelata nondum edoctus, inbutus tamen veterum, praesertim Pythagoraeorum, doctrina, finem verum hominis tum subiectivum tum obiectivum in cognitione Dei et assimilatione ad Deum tam sapienter constituerit, discrimen intrinsecum inter bonum et malum docuerit et virtutem abstinentiae et sapientiae tanti fecerit, ut pater scientiae ethicae vocari mereretur. — Deficit tamen eius doctrina, quia de vita futura et sanctione anceps fuerit, quia virtutem unam statuerit i. e. solam sapientiam, quum tamen pro diversitate obiectorum et facultatum in homine plures admittendae sint. Denique virtutem putat posse addisci et quasi necessitate logica nobis imponi, nimium tribuens intellectui humano[2]).

2. Socratem secutus est *Plato* († 348)[3]), qui eandem fere sententiam statuit de hominis fine; obiectivum enim constituit in *idea boni*, quam cum Deo confundit, subiectivum collocat in *assimilatione cum Deo* („ὁμοίωσις θεοῦ κατὰ τὸ δυνατόν“)[4]); hanc autem effici per virtutem, quae in harmonia inter potentias nostras producenda consistit, ac proinde quatuor potissimum distinguuntur: *sapientia*, quae est in anima rationali ad verum cognoscendum; *fortitudo*, quae est in anima irascibili ad difficultates superandas; *temperantia* in anima concupiscibili ad passiones sedandas; *iustitia* afficit omnes partes animae

---

[1]) Cfr. Cathrein, Moralphilos. 1904[4], I, p. 594.
[2]) Cfr. Stöckl, Gesch. d. Phil. 1888[3], I, p. 68 sq.
[3]) Cfr. praesertim eius De republica (10 libri), De legibus, 12 libri.
[4]) Theaetetus, p. 176.

easque inter se ordinat. Sapientiam omnium virtutum habet supremam, sine qua nulla alia esse possit et cum qua omnis virtus adsit; peccatum enim haberi ex ignorantia, et virtutem disci posse. Vita igitur honesta in eo consistit, ut quis magis magisque bonis sensibilibus abstineat et ad cognitionem Dei perveniat semper perfectiorem, usque dum ad Deum contuendum evehatur, non quidem in hac, sed in altera vita felici, ex qua homo olim per peccatum excidit. Deum inprimis esse colendum et impietatem in Deum crimen omnium maximum esse, neque sine auxilio divino nos virtutem conservare et ad finem nostrum pervenire posse.

Civitatem Plato, licet ius naturale et moralitatem non ex ea dirivet cum Sophistis, putat tamen summum esse humanitatis et moralitatis gradum, ac proinde cives in omnibus subdi magistratibus; civitatem sibi esse finem, non singulos cives. In opere „de re publica“ (10 libris) exemplar optimae civitatis delineat, quam tamen ipse impossibilem habet, docens, tres status in eo esse debere ad modum trium animarum in homine: *statum productivum* (Nährstand): agricolae, artifices, mercatores; *statum militum* (Wehrstand); *statum magistratuum* (Herrscherstand); in illis temperantia et fortitudo, in his sapientia inesse debet. In statu militari omnia debere esse communia: bona, mensam, habitationem, mulieres. Per magistratum decernendum esse, qualis vir et qualis femina coeant et quanto tempore; infantes superfluos vel corpore sive mente infirmos esse interficiendos; omnem pecuniam abolendam. Infantes ex nativitate parentibus auferendi et in communi educandi sunt; ex fortioribus milites, ex doctioribus magistratus eligendi sunt. — Hanc suam „optimam“ rem publicam Plato temperavit in libris 12 „de legibus“, in quibus imaginem praesentis civitatis exhibet, neque bonorum neque mulierum communismum retinet.

Profecto admirandum est ingenium Platonis necnon honestas eius vitae, quia statuit finem hominis omnino verum et quia virtutem, qua finem obtineamus, ex natura et potentiis humanis diiudicat, licet tres animas statuerit. Sed in hoc potissimum deficit, quod actiones vitae communis, e. g. opificia, mercaturam parvi faciat atque sapiente indignas, quod servitutem laudet et individua humana civitati prorsus et in omnibus subordinet (excepta religione, quam a Deo delphico regi vult), ita ut dignitate personali cives quasi privet, immo civitati potestatem conferat, infantes occidendi et ius proprietatis militibus auferendi. Patet, Platonem in his non philosophiae vocem audiisse, sed opiniones populares eo tempore apud graecos grassantes secutum esse[1]).

3. *Aristoteles*[2]) († 322), vestigia sequens Socratis et Platonis, ut fundamentum ethicae scientificae poneret, primum finem vitae humanae investigavit; hanc autem esse felicitatem humanam, omnes fateri. Iam vero felicitatem humanam non constitui divitiis et delectationibus, ut vulgus censeat, sed actione ea, quae maxime homini rationali conveniat et quae diis similes nos quodammodo reddat. Haec actio est cognitio perfecta veritatis, ex qua

---

[1]) Rolfes (Phil. Jhrb., 1899, p. 1 sq.) eum defendit contra illos, qui eum, sicut Socratem et Aristotelem, immerito paederastiae accusant.
[2]) Cfr. Schindele, Die Aristot. Ethik, Phil. Jhrb., 1902 et 1903; Filkuka, Die metaphysischen Grundlagen der Ethik bei Aristoteles, 1895.

maxima nobis oritur delectatio haec tamen non constituit ipsam felicitatem, sed eam sequitur, sicut gustus cibos. Ut autem vera felicitas his in terris haberi possit, aliquid bonorum vitae et amicitia accedere debent. En aliqua eius verba: „Hominis quidem opus ac munus vitam quandam eamque functionem animi et actionem cum ratione conjunctam, boni autem viri bene et praeclare hoc munere fungi, ponere debemus. At sua quidque virtute bene perficitur. Quod si ita se habet, hominis bonum erit functio muneris animi virtute directa; ac si plures virtutes sint, virtute optima et perfectissima, et praeterea in vita perfecta (τελείῳ). Ut enim una hirundo ver non efficit, nec dies unus, sic neque dies unus neque exiguum tempus efficit felicem et beatum.“ I, 6. „Si igitur mens cum homine comparata divinum quiddam est, vita quoque menti consentanea divina sit necesse est, si cum humana conferatur. Neque vero nos oportet humana sapere ac sentire, ut quidam monent, cum simus homines, neque mortalia, cum mortales, sed nos ipsos, quoad eius fieri potest, a mortalitate vindicare atque omnia facere, ut ei nostri parti, quae in nobis est optima, convenienter vivamus. Nam etsi mole parva est, potestate tamen et honoris gradu longe omnibus antecellit.“ X, 7. „Dei muneris functio ea quae beatudine antecellit, in contemplatione consistere reperietur; ergo et humanarum functionum ut quaeque huic simillima est, ita ad beatam vitam constituendam plurimum valet. . . . Diis enim immortalibus omnis vita beata est, hominibus autem, quatenus simulacrum aliquod talis functionis habent. Reliquorum vero animalium beate vivit nullum, quoniam nulla est eius contemplationis communitas.“ Eth. Nic. (editio lat. Berol. 1831) X, 8. Cfr. Eudem. Eth. VII, 15, ubi finis hominis statuitur: „θεωρία τοῦ θεοῦ“ i. e. intuitio Dei.

„Si dii immortales curam habent aliquam rerum humanarum, quemadmodum verisimile est, illud quoque probabile fuerit, eos re omnium optima sibique maxime cognata delectari (haec autem mens fuerit) iisque qui hanc maximi deligunt et plurimi faciunt, praemia persolvere gratiamque referre, ut eorum quae ipsis cara sunt, curam habentibus rectosque atque honestas actiones obeuntibus atque exercentibus. Haec autem in sapiente inesse maxime, non est obscurum; est igitur Deo carissimus. Eundem autem etiam beatissimum esse verisimile est. Itaque sapiens etiam hoc modo beatissimus erit.“ X, 9. „Neque virtutem perspectam et cognitam habere satis est, sed eam habere atque uti conandum.“ X, 10.

Non autem sufficit, ut semel iterumque bene operemur, sed ut dispositi simus, semper bene agere. Hoc *virtus* nobis praestat. Virtus autem non discitur, sicut Plato cum Socrate censebat, sed iteratis actibus acquiritur, et consistit in quodam habitu acquisito prompte, facile et perfecte aliquid faciendi; est autem habitus, qui *libera voluntate* acquiritur (ἕξις προαιρετική)[1], quo disponimur, ut medium non rei, sed rationis, i. e. nostrae naturae individuae conveniens, teneatur; nam cibus, qui Miloni non sufficit, aliis forte abundat — est exemplum Aristotelis; haec igitur mediatas determinatur per rationem et iudicium hominis honesti, quia hic secundum normam honestatis vivere censetur[2]. Immerito quidam Aristoteli videntur tribuere, normam

[1]) Eth. Nic. II, 6.

[2]) „In omnibus, quae sunt huiusmodi (frui voluptate), id esse videtur, quod viro bono et virtute praedito videtur. Quodsi hoc recte dicitur, ut

honestatis in hac medietate inesse, quum expresse affirmet, non in omnibus medietatem esse, sed quaedam esse ex se et semper moraliter mala, e. g. malevolentiam, impudentiam, adulterium, furtum etc.[1]).

Virtutes autem distinguit *ethicas* et *dianoeticas*: Illae pertinent ad appetitum et versantur vel in passionibus refrenandis vel in actionibus promovendis: fortitudo, temperantia, liberalitas, magnificentia, magnanimitas, philotimia, patientia, veracitas, amicitia, eutrapelia, humanitas[2]); praesertim vero iustitia tum distributiva, tum commutativa, tum vindicativa[3]). Dianoeticae sunt in intellectu sive practico: ars et prudentia, sive speculativo: intelligentia, scientia, sapientia[4]). Maxima harum virtutum est sapientia, quam qui amplectitur, summam consequitur felicitatem (θεωρία).

Sed homines a natura ad societatem civilem ordinantur, quae est quasi apex et summa perfectionis humanae, in qua sola cives perfectam virtutem consequi possint. Civitatis igitur est, bonitatem moralem civium, praesertim iuventutis, religione et educatione promovere et felicitatem temporalem procurare, ita ut virtus boni civis quodammodo alias virtutes includat. Non tamen licet civitati, ius proprietatis vel familiae, quae praecedit civitatem, auferre, neque communismus neque mulierum communitas est probanda. Melior forma rei publicae est mixta ex tribus fundamentalibus sc. ex monarchia, aristocratia, timocratia.

Maxima profecto laus Aristoteli tribuenda est, quod primus praecepta moralia ex principiis supremis derivans scientiam moralem constituerit; praesertim vero ea quae de fine hominis subiectivo, de moralitate actuum ex natura nostra rationali, de virtute, inprimis de iustitia, fundamento rei publicae, disseruit, nunquam oblivioni tradentur. — Fatendum tamen est, eum in nonnullis quaestionibus iisque satis gravibus non recte sensisse. Sic finem hominis *obiectivum* eumque futurum in vita beata non investigavit, quippe qui de vita futura non tam certus fuerit, quam Plato et Socrates. Neque obligationem eiusque fontem satis explicavit. Normam quidem moralitatis voluit esse naturam humanam, saltem quoad partem superiorem, attamen nimium iudicio „viri boni“ tribuere videtur. Veram porro felicitatem talem constituit, qualem paucissimi hominum consequi possint: sapientiam cum dignitate otii. Accedit, quod operationes vitae communis: opificia, artes, mercaturam tanquam viles despexerit, neque dignas homine sapiente. Neque mirum, quod servitutem rationibus philosopho vix dignis defenderit et mulierum sexum viliorem virili habuerit. Vitium paederastiae non satis reprobavit[5]),

videtur, et si uniuscuiusque rei mensura virtus et vir bonus est, qua talis est, erunt et eae profecto voluptates, quae huic videntur voluptates, et ea iucunda, quibus hic delectatur. Neque vero mirum cuiquam esse debebit, si quae huic sunt aspera et molesta, ea alicui esse iucunda videantur; multae enim oriuntur hominum pestes et corruptelae. . . . Sive igitur una sive plures sunt perfecti ac beati viri muneris functiones, eae quae has perficiunt voluptates, proprie possunt dici hominis voluptates, reliquae autem secundo loco, et longo post intervallo, quemadmodum et muneris functiones.“ X, 5.

[1]) Eth. Nic. II, 6. [2]) Ibid. lib. III et IV. [3]) Ibid. l. V.; cfr. S. Thom. I. II, qu. 60, a. 5. [4]) Ibid. l. VI. [5]) Cfr. tamen Rolfes, eum in hac re defendentem, Phil. Jhrb. 1899. p. 271 sq.

et civitati nimium potestatis in cives (e. g. leges de matrimonio ineundo et utendo) contulit, in his omnibus cum Platone cedens opinionibus popularibus sui temporis. Immo approbat morem Lacedaemoniorum, liberos infirmos ex nativitate interficiendi, et laudat Philolaum Thebensem, quod numerum prolis certum definire conatus sit, ut superflua proles per abortum impediatur, ne populatio nimis excrescat: „Malthusianismus“ veterum)[1].

4. *Stoici* doctrinam Platonis et Aristotelis consociare studebant. Quum ipsis persuasum esset, mundum esse Dei naturam ipsam et animam humanam divinae originis, illum recte vivere docebant, qui *secundum naturam viveret* (ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν); eo ipso etiam voluntatem divinam eum sequi, quia lex naturae universae esset ipsa voluntas divina. Qui autem naturam sequuntur, *virtutem* habent, in qua sola beata vita est collocanda, quin aliis bonis indigeamus. Unde ab omnibus bonis et delectationibus est abstinendum; omnesque affectus animi (timor et tristitia, cupiditas et delectatio) sunt coercendi, si quidem ex ignorantia et appetitu inferiori oriuntur; vere sapiens liber est ab omnibus affectibus gaudetque plena quiete (ἀπάθεια), diis ipsis assimulatus. Virtutes autem destinguuntur *primariae:* prudentia, fortitudo, temperantia, iustitia, et *derivatae:* magnanimitas, patientia, sollertia, abstinentia etc. Qui unam virtutem habet, omnes habet, neque eam iam amittere neque peccare potest; similiter, qui unam virtutem non habet, nullam habet, et quidquid facit, peccat; est igitur differentia essentialis inter sapientem stoicum et inter stultos mundi[2]). Ii soli moraliter agunt, qui non solum externe faciunt, quae virtutis sunt (καθῆκον), sed etiam ex amore solo virtutis operantur (κατόρθωμα), non ex utilitate sive delectatione quadam; virtus enim sola est bonum, quia sub omni conditione bona est semperque nos felices reddit, nunquam ea quisquam abuti potest, sicut ceteris bonis, neque nisi in bonis inest hominibus, dum alia bona et a bonis et a malis possidentur. — Plerique tamen stoici negant libertatem voluntatis et vitam futuram, ad summum admittentes reincarnationem animarum usque ad interitum universi mundi per conflagrationem. — Praecipui fautores stoicismi fuerunt *Zeno* ex Citio, urbe Cyprensi, *Cleanthes, Chrysippus*, omnes saec. III a. Chr., deinde *Panaetius, Seneca* († 65 p. Chr.), *Epictetus*[3]), († fere 100 p. Chr.), *M. Aurelius* imperator († 180 p. Chr.[4]); tempore recentiore vero *J. Lipsius* († 1606), *Scioppius, Gataker, Heinsius* etc.[5]). Ad quos etiam *Cicero* († 43 a. Chr.), eclecticus in philosophia, accedit, qui, retinens omnino et libertatem voluntatis et immortalitatem animae, necnon respuens Pantheismum stoicorum, ipsis tamen consentit, in sola virtute felicitatem nostram esse collocandam, finem nostrum esse vitam beatam sempiternam cum Deo, normam vero agendi esse naturam nostram rationalem. „Decorum id est, quod consentaneum est hominis excellentiae in eo, quo natura eius a reliquis animantibus differt“[6]).

[1]) De republica VII, 16 (1335 b 21). [2]) Weiss, Apologie, II[2], p. 398 sq. [3]) Hilty, Glück 1902, I, p. 21 sq. [4]) Cfr. K. Werner, Geschichte der Moralphilos., p. 15. [5]) Cfr. Ueberweg-Heinze, III[6], p. 18.

[6]) De offic. I, 27; cfr. de legibus, I, 16; de finibus bonorum et malorum, V, 9 sq.; Walter, Philosophia moralis Ciceronis, p. 6 et 115 sq. A. Degert, Les idées morales de Cicéron, 1907 (Collection: Philosophes et penseurs, Paris).

Philosophia moralis Stoicorum per se magni facienda est, tum quia naturam humanam ipsam simulque legem divinam normam honestatis statuit, et hominis finem non in bonis fruendis, sed in virtute colenda ponit. Attamen multa sunt, quae in hac doctrina morali deficiunt, ac primum quidem quoad suppositum omnis moralitatis, quia ut pantheistae naturam humanam cum divina confundunt et libertatem voluntatis negant; deinde quoad finem humanum, quia negant in genere animae immortalitatem. Tertio exaggerant vim virtutis, quae certe ad vitam beatam in hac terra non sufficit; vitam autem futuram stoici plerumque negabant. Neque *sola* virtus potest esse sufficiens motivum ad ordinem moralem *sub omni conditione* servandum, nisi quaedam bona finita accedant vel sanctio aeterna stabiliatur. Quarto aliquid innaturale, imo impossibile statuunt, docentes, sapientem ab omnibus affectibus liberum esse debere, hoc modo et se et alios decipientes vel superbientes; imo perfectam quietem mentis appetentes in *Eudaemonismum* recidunt privatum. Quinto errant in eo, quod unam solam virtutem statuant, quam nemo amittat; multae enim pro diversitate obiectorum et potentiarum nostrarum habentur virtutes formaliter distinctae, neque repugnat, quemquam virtutem amittere sive peccare. Inde est, quod multi stoici, superbia elati, in libertinismum moralem incidebant, docentes vere sapientem non peccare, etiamsi paederastiam et fornicationem faceret, carnem humanam comederet, vel opera Oedipi et Jocastae perageret. Neque abhorrebant a communitate mulierum et a morte sibi inferenda, si mala vitae premerent. Denique familiam, nationem patriamque parum aestimabant, se mundi cives esse praedicantes[1]).

5. *Neoplatonici*, potius Platonem et Philonem Judaeum (1 saec. christ.) sequentes, finem vitae humanae in intuitione entis absoluti constituebant, ex quo mentem humanam descendisse per emanationem opinabantur. Per propriam culpam animam, materiae inhiantem, in corpus inclusam esse, quare per abstinentiam amorem rerum sensibilium esse eradicandum, ut iam nunc per reditum ad nos ipsos (νοῦν) verum conspiciamus et tandem post mortem ad Dei intuitionem reverti possimus. *Virtutem* igitur esse, ad Dei unionem anhelare, medium autem ad hoc esse, vivere secundum naturam rationalem. Distinguunt virtutes *civiles*: prudentiam, fortitudinem, temperantiam, iustitiam; deinde *purificantes* a peccatis per fugam rerum sensibilium; tertio *deificantes*, quibus ad Deum redimus et ab eo quasi absorbemur per mysticam eius intuitionem[2]). — Defendebant et libertatem voluntatis et immortalitatem animae, licet modo aliquo pantheistico. Praecipui auctores fuerunt tempore christiano: *Ammonius Saccas* († 250), *Plotinus* († 270), *Porphyrius* († 304), *Jamblichus* († 330), *Proclus* († 485). Quid sentiendum?

Neminem fugit, quanta dignitas huic insit doctrinae morali et quantopere in multis accedat ad doctrinam christianam, a qua certe non pauca mutuata est. Non tamen diffitendum est, in nonnullis eam deficere a vero. Ac primum quidem finem *naturalem* hominis altiorem statuit, quia intuitio Dei nobis nullo modo naturalis est. Deinde non recte sentit de corpore nostro et de bonis terrenis, ea habens tanquam mala in se; non igitur satis

[1]) Stein, l. c. p. 271 sq. Dyroff, Die Ethik der alten Stoa, 1897. Chollet, La morale stoïcienne en face de la morale chrétienne, 1899.

[2]) Cfr. S. Thom. I, II, qu. 61, a. 5.

distinguebant inter usum honestum et inhonestum bonorum sensibilium, et per consequens industriam humanam culturamque terrestrem plus aequo despiciebant ad modum Brahmanorum et Buddhistarum Indorum, quorum doctrinam videntur cognovisse. Tertio vim mentis nostrae exaggerabant, quasi propria vi ad intuitionem Dei possemus pervenire et in hac intuitione sola felicitas esset collocanda. Unde non mirum, quod aliqui Neoplatonici, superbia elati, opinati sunt, nos per mysticam illam ascesim posse dominos fieri mundi, immo thaumaturgos et prophetas. — Accedit, quod fundamentum totius doctrinae est reprobandum; supponunt enim, animam nostram emanasse ex anima mundi, hanc autem ex mente divina, ita ut vix periculum pantheismi evitari, neque vera substantialitas, libertas et personalis immortalitas animae nostrae retineri possit. Denique multi, duce Plotino, cum Platone animae non satis purificatae reincarnationem et metempsychosin statuunt (cfr. vol. II, pschol., p. 451 sq.).

Caput II: Sententiae Patrum et Scholasticorum.

Patres ecclesiae et scholastici tum Platonem et Neoplatonicos, tum Aristotelem sequebantur in iis, in quibus cum doctrina christiana consentiebant; plerumque autem, non satis distinguentes inter philosophiam et theologiam moralem, utramque simul tractabant[1]). Sufficit igitur, praecipuos auctores christianos: s. Augustinum et s. Thomam Aquinatem explicare, quia omnes in quaestionibus ethicis hos sequuntur sive cum illis fere consentiunt.

1. *S. Augustinus*[2]) igitur (353—430) finem vitae nostrae constituit *in perfecta cognitione,* i. e. intuitione et dilectione Dei, quae per cognitionem rerum et praesertim sui ipsius acquirendae sunt: „Deum et animam scire cupio. Nihilne plus? Nihil omnino . . . Deus semper idem, noverim me, noverim Te“ (Solil. I, 7; II, 1). „Inquietum est cor nostrum, donec requiescat in Deo“ (Conf. I, 1). Deus enim solus, non ut bonum utile, sed ut bonum nobis delectabile, felicitatem nostram perpetuam simulque perfectionem nostram efficere potest; utraque enim simul habetur ex Dei et naturae ordine. Constat autem, hanc felicitatem et perfectionem nullis bonis finitis, neque hac in terra haberi posse, sed in altera vita immortali. Hominis igitur est, hac in terra ita vivere, ut intuitionem et dilectionem Dei in altera vita mereatur. Quomodo autem haec vita sit instituenda, hoc nos docet *lex divina.* Illud igitur moraliter bonum est, quod fit secundum legem divinam, et virtus humana in eo consistit, ut hanc legem divinam prompte et fideliter sequamur; non propter se virtus colenda est, ut stoici superbientes docebant, sed ut medium ad felicitatem in Deo consequendam. Neque excludit omnes affectus in homine inordinatos, qui nobis sunt naturales et praebent materiam virtuti, attamen per virtutem moderandi et ad finem ultimum ordinandi sunt. — Lex divina autem fundamentalis est *praeceptum amoris:* primum Dei, deinde proximi; in hac lege omnes aliae virtutes quodammodo includuntur, ex ea derivantur ut eius species vel manifestationes, praesertim cardinales: prudentia, temperantia,

[1]) Cfr. Rietter, Die Moral des hl. Thomas v. Aquin, p. 112 sq.
[2]) Cfr. K. Werner, Gesch. d. Moralphilos., p. 38 sq. (§ 17).

fortitudo, iustitia (De moribus Eccl. I, 15). — Malum igitur est privatio boni, non aliqua entitas corporea, ut Manichaei somniabantur; non igitur est corruptio naturae nostrae substantialis, sed privatio ordinis debiti. Distinguitur malum *culpae,* quod est proprie malum, malum per se, et est privatio bonitatis moralis, i. e. ordinationis debitae in finem ultimum; et malum *poenae,* quod est privatio felicitatis hominis peccantis sive in hac sive etiam in altera vita; malum igitur non habet causam efficientem, sed potius deficientem (cfr. ontol. I, p. 453 sq.); a Deo permittitur, quia bonum maius inde deducere potest: sive bonum poenitentiae, sive misericordiae, sive iustitiae divinae (De vera relig. 44; de civit. Dei XI, 13, 22).

Causa vero boni et mali moralis est voluntas hominis libera. Duplex autem libertas distinguitur: *libertas electionis* (psychologica), quae excludit necessitatem tum externam tum internam volendi, et omnino contra Manichaeos admittenda est tum propter testimonium conscientiae nostrae, tum propter facta illa omnibus nota: exsistentia legis, meritum, demeritum, responsabilitas, poena, praemium (De lib. arb. III, 3; c. Felic. Manich. II, 8). Alia libertas *est moralis,* et consistit in vi illa naturali et supernaturali ad *omne* malum vincendum et bonum faciendum. Haec ultima sine Dei gratia haberi non potest, prior autem essentialis est omnibus hominibus. Neque haec libertas destruitur per Dei praevisionem, quia haec iam supponit voluntatis nostrae liberam determinationem (De lib. arbitr. 3, 4). — Immerito igitur aliqui[1]) s. Augustino imputant, eum libertatem voluntatis negasse, non attendentes, *qualem* libertatem negaverit contra Pelagianos, sc. illam potestatem *naturalem* hominis, qua *omnia* peccata vitare, et sine ulla gratia supernaturali ad finem *supernaturalem* pervenire possimus. Negavit igitur naturae nostrae per peccatum originale corruptae potestatem (libertatem) *moralem, omnia* peccata per *totam* vitam vitandi, porro potestatem naturalem vi propria statum et finem supernaturalem conquirendi[2]). Denique non virtutes infidelium „splendida vitia“ vocat, ut alii immerito ei vitio dant[3]), sed „vitia potius quam virtutes“ appellat (Civ. Dei XIX, 25), considerato *fine* et *motivo* illorum operum[4]).

Haec quidem s. Augustini doctrina moralis recte statuit *finem* activitatis nostrae ultimum tum subiectivum, qui est felicitas nostra perfecta, tum obiectivum, qui in Dei perfecta cognitione et dilectione, i. e. in Deo fruendo consistit, quae felicitas non in hac, sed in altera vita immortali obtinenda est. Etiam *motiva* summa agendi nobis proponit sc. legem amoris Dei et proximi, quo omnes nostrae obligationes continentur. Attamen non satis distinguit inter normam et motiva moralitatis naturalis et supernaturalis.

[1]) Cfr. Ueberweg-Heinze, Grundriss d. Gesch. d. Philos., 1898[8], II, p. 131.
[2]) Cfr. totum eius librum: De gratia et lib. arbitrio, gratiam Dei et liberum arbitrium simul componentem et defendentem; cfr. psychol. II, p. 271.
[3]) Cfr. Paulsen, System d. Ethik[5], I, 69; Weiss, Apologie, 1894[3], I, 572 sq. Denifle, Luther u. Luthertum, 1904, I, p. 383 sq. S. Theol., II, II[ae], qu. 23, a. 7, qu. 10, a. 4. — Hoc quidem Lutherani, Jansenistae aliique affirmabant; cfr. Einig, De gratia divina, 1896, p. 93 sq.
[4]) Cfr. Stattler, Ethica christ., 1793[2], p. 357 sq., p. 718 sq. Ernst, Die Werke u. Tugenden der Ungläubigen nach St. Augustin, 1871.

non statuens normam agendi nobis intrinsecam, i. e. naturam nostram, qua etiam bonum non necessarium cognoscamus. Accedit, quod forte rationem *formalem* singularum virtutem non satis exprimit, si omnes ex amore Dei deducit tanquam ex fonte communi. — Sed hisce non obstantibus s. Augustinus etiam in quaestionibus moralibus, sicut in aliis, quasi doctor universae Ecclesiae christianae factus est.

2. *S. Thomas Aquinas*[1] (1225—1274), vestigiis insistens Aristotelis et Augustini, quum omnes partes philosophiae, tum inprimis philosophiam moralem ita scientifice explicavit, ut vix ullus et antea et postea eum aequaverit. Opus eius principale, Summa theologiae, totum ordinatur ad vitam christianam fundandam, ordinandam atque perficiendam. *Fundatur* enim per primam partem Summae in doctrina de Deo uno, trino, creatore, in quantum est principium et finis totius naturae, praesertim vero naturae rationalis humanae. *Ordinatur* per secundam partem Summae (I, IIae et II, IIae), quae est „de motu rationalis creaturae in Deum" ut ipse S. Thomas explicat (S. Theol. I, qu. 2, prologus), ac proinde vitae humanae moralitatem expresse, clare et copiose explanat. *Perficitur* per tertiam partem Summae, quae est „de Christo, qui secundum quod est homo, via est nobis tendendi in Deum" (ibid.); itaque vitam christianam supernaturalem potius investigat, supponens tamen honestatem naturalem, quippe quum gratia non destruat, sed perficiat naturam. Hanc autem doctrinam Doctor angelicus in nonnullis magis explicat atque confirmat in toto libro tertio „Summae contra Gentiles". — Iam eius doctrinam moralem breviter exponamus.

Ac primum quidem Aquinas, vestigia sequens Stagiritae, finem hominis, ad quem omnes eius actus ordinandi sunt, stabilit, eumque reponit in felicitate comparanda. Haec autem distinguitur obiectiva et subiectiva sive formalis; obiectiva est bonum, quod nos beatos reddit, subiectiva vel formalis est possessio huius boni. Iam vero felicitas obiectiva non consistit in ullo bono finito et creato, sive divitiis, sive honoribus, sive fama et gloria, sive potestate, sive voluptate, sive alio bono corporis vel animi, sed in solo bono increato, infinito, quod est Deus. Felicitas autem subiectiva consistit in illa *activitate*, qua summum illud bonum acquirimus et possidemus; haec autem activitas non est sensitiva, sed intellectualis, et proprie ac formaliter consistit in „visione, i. e. perfecta cognitione divinae essentiae". Accedit autem ad hanc visionem actus amoris et delectationis voluntatis tanquam *necessarium complementum* beatitudinis. Delectatio enim habetur ex bono iam possesso, unde supponit bonum infinitum per visionem iam acquisitum (I, II qu. 3, a. 4; qu. 4, a. 2). Ad beatitudinem igitur perfectam in altera vita non requiritur ullum aliud bonum, neque corpus nostrum, neque amicitia; requiruntur tamen ad beatitudinem imperfectam in terra nostra, ut docet Aristoteles (I, II qu. 1—5 incl.).

[1] Cfr. Rietter, Die Moral des hl. Thomas von Aquin, 1858, p. 134 sq. Feldner, Das innerste Wesen der Sittlichkeit nach Thomas von Aquin (Jhrb. für Philosophie u. spekulative Theologie, 1904, p. 308 sq.). K. Werner, Gesch. d. Moralphilos., p. 41 (§ 18). C. Schneider, Die Grundprinzipien d. hl. Thomas von Aquin und der moderne Sozialismus (Jhrb. f. Philos. u. spekulative Theol., 1894, Heft 3: „Das Moralprinzip").

Constituto fine hominis, qui est *causa finalis* vitae moralis, s. Doctor *causam eius efficientem* explicat, sc. actus voluntarios. Ac primum quidem voluntatis libertatem tanquam fundamentum totius moralitatis probat[1], et deinde singulos actus exponit, in quibus moralitas invenitur: fruitio, intentio, electio, consilium, consensus, usus, actus imperati (ibid. qu. 6—17 incl.). — Porro inquirit in *causam formalem* actus moralis, eius honestatem derivans primario ex obiecto actionis, secundario ex eius fine et circumstantiis. Actus imperati totam suam moralitatem habent ex actibus elicitis voluntatis. Effectus, qui actum moralem tanquam eius proprietates sequuntur, sunt eius bonitas vel malitia (culpa) et inde derivatur eius meritum vel demeritum (Ibid. qu. 18—21). Postquam S. Thomas totam moralitatem ex suis principiis *intrinsecis* (i. e. ex causa finali, efficiente, formali) exposuit, inquirit in ea, quae actus morales vel antecedunt vel etiam sequuntur: Passiones et virtutes; et hic tractatus omnium est summa diligentiâ copiâque maxima explicatus atque explanatus, ita ut vix quidquam melius solidiusque in tota philosophia morali inveniatur. *Passiones* igitur sunt motus appetitus potius sensitivi cum aliqua immutatione organica, per se neque boni neque mali, sed per rationem et voluntatem coercendi atque ordinandi sunt, unde non repugnat, passiones in sapiente inesse, modo recte ordinentur; lis igitur inter stoicos et peripateticos de moralitate passionum a s. Thoma potius de verbo, quam de re habetur (ibid. qu. 59, a. 2; cfr. vol. II, psychol. p. 353). Passiones autem distinguuntur secundum appetitum *concupiscibilem* et *irascibilem* (cfr. ibid. psychol. p. 350 sq.); ad illum pertinent: amor et odium, desiderium et fuga, delectatio et tristitia; ad hunc: spes et desperatio, timor et audacia, ira (Ibid. qu. 22—48).

Deinde auctor noster sermonem instituit (qu. 49—70) primum de *habitibus* in genere, deinde de *virtutibus* in specie, quas in genere cum Aristotele definit: habitus operativos bonos ad finem ultimum ordinatos (qu. 55, a. 3), addit tamen (a. 4), eas a Deo in nobis effici, unde loquitur potius de virtutibus infusis supernaturalibus. Porro virtutes distinguit, duce Aristotele, *intellectuales* et *morales;* illae sunt sapientia, scientia, intellectus, sed solum improprie vocantur virtutes, quia non *usum bonum* facultatis appetendi conferunt, sed facultatem cognoscendi bonum; morales autem virtutes directe voluntatem afficiunt et ad bonum faciendum eam inclinant. Virtutes morales distinguuntur *cardinales* et *derivatae*. Cardinales sunt: prudentia, temperantia, fortitudo, iustitia, quarum potissima est prudentia, siquidem sine ea nulla potest esse virtus. Virtus enim moralis, ut iam Stagirita docet, est in medio inter excessum et defectum, quae medietas non est rei, sed rationis; prudentiae vero est, hanc medietatem secundum rationem efficere[2]) idque per synteresim, quae est „habitus principiorum operabilium" (I, qu. 79, a. 12),

[1] Certe immerito aliqui eum Determinismi accusant, e contra Scotum Indeterminismi; Ueberweg-Heinze, l. c. II, 296; sed ibid. (II, 288) Thomas recte dicitur libertatem electionis docuisse. Scotum vero non plenum indeterminismum docuisse, sed voluntatem tum ex obiecto et dispositione subiectiva, tum ex desiderio beatitudinis nobis indito inclinari sive ad bonum, sive ad malum, luculenter ostendit *Minges* O. F. M.: Ist Duns Scotus Indeterminist? 1905; cfr. Philos. Jhrb., 1906, p. 500 sq.

[2] Cfr. Weiss, Apologie, 1894³, I, p. 581 sq.: „Der Orden vom rechten Maass."

et conscientiam moralem, quae consistit in actu mentis, quo principia synteresis, i. e. leges morales ad actiones nostras applicantur (ibid. a. 13). Cum Aristotele distinguit undecim virtutes morales (cfr. supra p. 65), quas apte derivat ex diversitate obiectorum et potentiarum nostrarum (qu. 60, a. 5)[1]. Quum peccata et vitia bono morali et virtuti opponantur per modum privationis a perfectione debita, s. Thomas qu. 71—89 et naturam et causas et effectus peccatorum et vitiorum eâdem diligentiâ exponit. Denique principia extrinseca moralitatis investigat, quae potissimum sunt leges tum divinae, tum humanae, naturales et revelatae, quarum naturam, exsistentiam, relationem mutuam prolixe explanat (qu. 90—114). — In II, II^ae^ vero, postquam qu. 1—44 virtutes potius supernaturales fidei, spei, charitatis explicavit, qu. 44—189 virtutes cardinales, praesertim iustitiam, et alias virtutes morales inde derivatas, quas in I, II^ae^ solum in genere tractaverat, tam copiose, diligenter necnon scientifice exponit, ut haec pars Summae fons sit inexhauribilis omnium quaestionum moralium. Exponendo autem in III parte Christi incarnationem et passionem eiusque sacramenta in Ecclesia sua instituta tanquam fontes gratiarum, tum summum *exemplar* virtutum in Christo exhibet, tum *media salutis* proponit efficacissima; denique vitam futuram post resurrectionem et iudicium ultimum delineans, *motiva quam maxime firma* ad vitam honestam constituit.

Patet ex dictis, s. Thomam philosophiam moralem a Platone et Aristotele traditam necnon theologiam moralem christianam, praesertim ab Augustino expositam, miro modo inter se conciliasse indeque totam scientiam moralem quasi absolvisse. Neque per se ei vitio dandum est, ut nonnulli faciunt, quod philosophiam et theologiam moralem non satis distinxerit; nam illo tempore scientia et fides foedus intimum inierant, siquidem fides rationem, gratia naturam non destruit, sed supponit, et moralitas in homine *christiano de facto* aut supernaturalis est, quae iam includit naturalem, aut nulla omnino est. Ubique tamen etiam apud s. Thomam principia naturalia et supernaturalia moralitatis distinguuntur neque inter se confunduntur (cfr. I, II, qu. 63 tota et 65 a. 2), ut nonnulli ei immerito exprobrant, unde non mirum est, eius doctrinam moralem ubique fuisse receptam.

3. Neque ullius momenti est, quod *Scotistae* beatitudinem nostram formalem potius in actu amoris, quam intuitionis collocabant (cfr. psych. II, p. 462). Immerito quidam *Scotum* dicunt docuisse, bonum et malum intrinsecus dependere et determinari a voluntate divina, quum nonnisi *exsistentiam* rerum ordinisque naturae a Dei voluntate dependentem faciat et actuum moralitatem, sicut etiam s. Thomas, ex obiecto, fine et circumstantiis repetat. Axioma Dionysii „Areopagitae" commune ei est cum omnibus scholasticis: Bonum ex integra causa, malum ex quocunque defectu. Potest concedi, Scotum magis insistere in distinctione virtutis et ordinis naturalis et supernaturalis, quamvis etiam s. Thomas saepe hanc statuat distinctionem et virtutes naturales infidelium veras appellet virtutes, licet imperfectas, si comparantur cum virtutibus supernaturalibus, quae fide et charitate informantur et beatitudinem merentur supernaturalem (I, II, qu. 65, a. 2). Deinde Scotus praecepta quidem secundae tabulae decalogi, quippe quae de bonis finitis versentur, non tam absoluta habet atque sine exceptione quam primae tabulae, quae de Deo sunt, quare saltem Deus de illis dispensari possit e. g. de proprietate, matrimonio etc. Sed in hoc non apparet tanta differentia doctrinae, siquidem etiam Scotus intrinsecum discrimen inter bonum et malum *ante* decretum divinae voluntatis admittit, statuitque legem naturalem[1]), unde potius quaestio est, quae *materia* pertineat ad praecepta absoluta, quae non.

[1]) Immerito ei opprobrium fit, quod plura principia distinctionis virtutum confuderit, adoptando etiam divisionem Neoplatonicorum, siquidem eam conformem reddit suae (I, II, qu. 61, a. 5); cfr. Ueberweg-Heinze II, 288 l. c.

4. Praeter hanc moralem „scholasticam" alia docebatur, quae dicitur „*mystica*", quae tamen illi minime opponitur, sed eam potius supponit. Sensu latiore si accipitur, designat tum scientiam mediorum ad vitam asceticam (e. g. orationem, meditationem, lectionem sacram, mortificationem, ieiunium, opera caritatis), tum scientiam altiorem naturali, qua anima, dono speciali gratiae supernaturalis illuminata, quasi ad immediatam Dei visionem et fruitionem iam hac in vita elevetur, sicut Moysi in monte Sinai (Exodus, 19, 19 sq.), et Paulo apostolo „usque ad tertium coelum rapto" (II Cor. 12, 1 sq.) multisque sanctis contigit (ecstases, visiones, scientia secretorum, prophetiae, Christi stigmata, donum linguarum, curationum etc.). Strictiore sensu haec mystica scientia moralis solum ultimam significat. Atque haec scientia mystica iam a *Dionysio* „Areopagita" saec. 5 explicata est in eius „Theologia mystica" post vel contra Neoplatonicos, qui *viribus naturalibus* hanc mysticam cum Deo unionem et virtutem miraculorum acquiri posse autumabant. Quem secutus est *Scotus Eriugena* saec. 9, non satis periculum pantheismi Neoplatonicorum evitans. Postea, duce Dionysio, sana scientia mystica propagabatur praesertim per *s. Bernardum, Bonaventuram, Hugonem* et *Richardum a S. Victore, S. Hildegardim* et *Gertrudem* saec. 12 et 13, per *Tauler, Ruysbroek, Suso* saec. 14, per *Gerson, Thomam a Kempis, Dionysium Carthusianum* saec. 15, per *Johannem a s. Cruce, Ludovicum Granatensem, Theresiam, Franc. Salesium, Bellarminum, Scaramelli, Scupuli*, per *Carmelitenses: Joh. a Jesu Maria, Phil. a Trinitate, Antonium et Josephum a Spiritu S., Dom. Schram O. S. B.* aliosque multos posteris saeculis[2]).

Ab hac autem christiana mystica sana multum differt illa, quam veteres Brahmani et Buddhistae docebant, qui *viribus naturae* se ad immediatam unionem cum Deo pervenire posse sperabant, adhibentes immanes castigationes, necnon autosuggestionem, catalepsim, hypnotismum. — Similiter sentiebant aliquae sectae christianae, ut Hesichasti; neque quidam mystici medii aevi (Eccardus) ab hac falsa doctrina satis recedebant. Praesertim vero

[1]) Vide plura de hac quaestione Phil. Jhrb. 1906, p. 338: Minges, Bedeutung von Objekt, Umständen und Zweck für die Sittlichkeit eines Aktes nach Duns Scotus.

[2]) Cfr. Kirchenlexikon², Artik. Mystik. Jhrb. für Philos. u. spekul. Theologie, 1907, p. 436: Über die Arten der Kontemplation, von P. Jos. a Spiritu S. Ord. Carmelit. Görres, Christl. Mystik, 4 vol., 1836/42. Ribet, La mystique divine, Paris 1895; L'Ascétique chrétienne. Poulin, Des grâces d'oraison, Paris 1901; Saudreau, Les degrès de la vie spirituelle, 2 vol. (übersetzt von Disteldorf, 1901); L'Etat mystique, sa nature, ses phases. Pacheu, Introduction à la psychologie des mystiques 1901; Positivisme au mysticisme 1906; Vallgornera, Mystica theologia s. Thomae, 2 vol. 1891 (nova editio).

Molinos hispanus hunc mysticismum restauravit docens, ab omni actu proprio abstinendum esse (quietismus), ut toti a Deo imbuamur, neque bonum esse nisi quod ex charitate Dei fiat, quam sententiam, tunc a multis in Hispania et Gallia receptam, ecclesia reprobavit (Innoc. XI, 1687), auctore Bossuet contra Fénélon. (Cfr. K. Werner, System der christl. Ethik, 1850, I, 353 sq. Simar, l. c. p. 158. Stattler, l. c. p. 718 sq. Einig, l. c. p. 160.)

5. Atque doctrina moralis scholastica recepta fuit in omnibus scholis christianis, magisque usque ad nostrum tempus explicabatur quoad singulas quaestiones a philosophis et theologis praeclaris, ut *Sylv. Maurus, Mastrius, Salmanticenses, Vasquez, Suarez, Lessius, Laymann, Becanus, Tanner, de Lugo, Viva, S. Alphonsus, Kleutgen, Walsh, Lehmkuhl, Cathrein, Meyer, Gury-Ballerini, K. Werner, Frins, Marc, Pruner, Simar, Göpfert, Noldin, Aertnys,* aliique multi [1]). — Neque alia quoad substantiam erat philosophia moralis in scholis protestantium, qui usque ad philosophiam Wolfianam et Kantianam in genere Aristotelem sequentes (cfr. supra p. 7), finem hominis in Deo cognoscendo et amando statuebant et vel naturam humanam vel voluntatem divinam tanquam normam moralitatis habebant simulque et naturalem et christianam ethicam tradebant. Immo libri Suaresii saec. 17 et 18 in multis scholis protestantium adhibebantur [2]). Hic autem consensus doctorum est signum manifestum veritatis, fatente *H. Grotio* († 1645) protestante, magno illo iurisprudenti, qui etiam ipse quoad normam moralitatis sententiam tum communem sequebatur: „Ubi in re morali consentiunt (sc. scholastici), *vix est ut errent,* quippe perspicaces admodum ad ea videnda, quae in aliorum dictis reprehendi possunt, in quo tamen ipso diversa tuendi studio *laudabile praebent modestiae exemplum;* rationibus inter se certantes, non, qui mos nuper adeo literas inquinare coepit, conviciis, turpi foetu impotentis animi.“ [3])

6. Neque *Wolff* († 1754) eiusque discipuli multum a sententia scholasticorum discedunt, docentes, id bonum esse, quod hominem quoad naturam rationalem perficiat, malum, quod eum non deceat; finem enim hominis esse eius *perfectionem* tum propriam tum alienam semper augendam; quam si quis possidet, simul beatus erit. Similem sententiam etiam alii recentiores statuunt, ut *H. Ulrici, Gallwitz* [4]) etc. — Haec sententia per se non est falsa, sed non sufficere videtur, quia a) non satis intelligitur, qualis sit perfectio humana et in quo consistat. Numquid agitur de *physica* perfectione per scientias et virtutes? Sed haec per se nondum est moralis. Numquid de *morali* perfectione? Sed tunc adest petitio principii; quaeritur enim, in quo consistat moralitas. b) Neque satis habetur ratio finis hominis obiectivi, qui in solo Deo collocari potest. c) Quare neque sanctitas neque valor obiectivus absolutus moralitatis satis explicari potest. d) Denique Wolff, et plerique cum ipso, libertatem voluntatis intrinsecam negant, ac proinde fundamentum moralitatis destruunt.

---

[1]) Catalogum brevem scriptorum moralium vide apud A. Müller, „Ist die kath. Moral reformbedürftig?“, 1902, p. 26 et 64 sq.

[2]) Cfr. K. Werner, Fr. Suarez, 1861, I, 284; Stäudlin, Gesch. der christl. Moral 1808, p. 257, 260.

[3]) De iure belli et pacis, prol. § 52.

[4]) Cfr. Cathrein l. c. p. 198 sq.

Caput III: De principiis intrinsecis moralitatis.

Sect. 1. Notiones praeviae.

Vidimus, moralitatem actionum humanarum neque ex solo obiecto neque ex solo subiecto derivari posse. Quum autem tum obiectum tum subiectum ad actum moralem concurrere debeant, patet, ex utroque simul moralitatem actus explicandam esse. Quaeritur igitur, quomodo subiectum et obiectum ad moralitatem actuum humanorum producendam concurrant. Iam vero in omni actione libera, quae et finem et modum et exercitium actus determinat (cfr. vol. II, p. 120 sq.), *norma, finis, motiva* operandi distinguenda sunt, quemadmodum in itinere instituendo et terminus itineris et via ad eum et ratio itineris suscipiendi distinguitur.

I. *De norma agendi.*

1. Norma operandi est regula quaedam observanda, per quam finem certum obtinemus, e. g. regulae artium picturae, architecturae, operariorum etc.; regula igitur vel norma actuum humanorum primum investigatur. Duplex autem haec *norma* distinguitur: subiectiva et obiectiva. *Subiectiva* consistit in rei volendae vel non volendae sive faciendae recta cognitione, quae dirigit actionem operantis, cui cognitioni voluntas sese conformare debet, ut moraliter bene operetur, a qua si deficit, moraliter male facit, quemadmodum artifex bene operatur *ratione artis suae,* si eius leges observat; secus male agit. *Obiectiva* norma consistit in ipsius rei faciendae natura; ipsa enim fieri non potest nisi secundum legem naturae suae, quae simul est etiam lex operandi; sic etiam artifices pro materia rei faciendae opus instituere debent. Natura rei autem tum *abstracte,* i. e. quoad essentiam suam, tum *concrete,* i. e. quoad omnia accidentia sua (proprietates individuales, circumstantiae, vires, conditio artificis etc.) consideranda est. Quum igitur actibus humanis directe et per se nihil ad extra efficiendum sit, sed ipse homo inde formaliter perficiatur ut subiectum simul et terminus actionis voluntati ipsi immanentis — per actus enim morales homo se ipsum constituit opus artis omnium praestantissimum, — patet, normam obiectivam actuum humanorum esse ipsam *naturam humanam,* eamque non secundum aliquam partem, sed adaequate vel saltem secundum partem rationalem consideratam. Neque solum *absolute* spectatur, i. e. quoad partes suas essentiales earumque relationes, sed etiam *relative,* in quantum est socialis ac proinde relationes habet ad alios homines, et ut est religiosa, quia refertur ad ens supremum, auctorem,

rectorem, finem omnium rerum. Ex prima consideratione (absoluta) moralitas essentialis pro homine ipso (e. g. temperantia, castitas, fortitudo etc.), ex altera (relativa) moralitas essentialis in ordine sociali et religioso oritur (e. g. iustitia, misericordia, amor proximi, pietas, modestia, timor, amor Dei).

2. Porro natura humana tum *abstracte*, i. e. ut eadem et communis in omnibus, tum *concrete* consideranda est, sc. in quantum individua est in singulis hominibus ratione indolis individuae, aetatis, conditionis, eruditionis, status culturae etc.). Si *abstracte* consideratur, habetur norma pro omnibus hominibus, omni tempore et loco et sub omni conditione eadem, unde leges et praecepta moralia necessaria, immutabilia, ubique eadem oriuntur, e. g. bonum faciendum, malum vitandum, parentibus et praepositis obediendum, sibi obtemperandum, furtum, adulterium, homicidium non committendum est etc. Si vero natura humana *concrete* spectatur, principia habentur, secundum quae leges universales morales ad singulos homines ratione exsistentiae et conditionis individuae applicandae sunt, quemadmodum eadem medicina, licet in eodem morbo, diverso tamen modo pro conditione aegroti applicanda est. Sic omnibus hominibus temperantia, obedientia, iustitia observanda est, sed non omnibus eodem modo; alia enim temperantia esse debet aegroti, alia hominis sani, alia obedientia in puero nondum educato, alia in homine adulto, alia iustitia in hominibus privatis, alia in magistratibus. — Quodsi hominis natura ut norma obiectiva moralitatis solummodo in genere consideratur, habetur moralitas actuum humanorum in genere, in quantum boni vel mali vocantur, est *moralitas quodammodo fundamentalis vel transcendentalis* omnibus actibus humanis implicita, quemadmodum notio entis, omnium maxime fundamentalis, in omnibus conceptibus latet. Si vero tum absolute et relative, tum abstracte et concrete spectatur, *diversae species moralitatis* constituuntur, prout obiecta actuum humanorum ad naturam humanam sive absolutam et socialem et religiosam, sive abstractam et concretam, individualem ratione circumstantiarum et intentionum referuntur, sicut conceptus entis per notas genericas et specificas ad inferiora contrahitur.

3. Praeter naturam humanam alia adhuc norma obiectiva *magis remota* considerari potest, quae est intellectus divinus, omnium rerum in se gerens ideas exemplares, secundum quas res fieri vel esse debent et quibus mens nostra ideas suas conformare debet, ut sint verae. Intellectus autem divinus ideas suas rerum finitarum format contuendo perfectiones divinae naturae infinitas, quare natura ipsa divina ut exemplar fundamentale omnium rerum est *ultima* norma obiectiva honestatis (cfr. vol. I, p. 431).

II. *De fine operandi.*

1. Ad essentiam actus humani pertinet *finis*, qui est obiectum ipsum actione efficiendum vel habendum potius mente conceptum, ita ut rationem informet et per rationem voluntatem moveat ad se ipsum etiam in ordine reali producendum; est igitur et causa et terminus actionis: *eius causa in ordine ideali, eius terminus in ordine reali*, e. g. opus artis prius in mente artificis et deinde externe producendum. Bene notandum est, hoc loco finem non intelligi in solo ordine ideali sive ut terminus *actus intelligendi*, i. e. ut causa finalis actui voluntatis *extrinseca* — haec enim potius norma esset operandi — sed intelligitur ut terminus realis *ipsius actus voluntatis* sc. ut causa finalis *intrinseca*, quae ipsum actum liberum intrinsecus constituit tum in ordine reali physico, tum in ordine morali; actus enim liber *realiter idem* est ac moralis, licet *ratione* distingui possit. Quum autem voluntas nostra nihil nisi sub ratione boni appetere possit, patet, finem semper habere rationem boni alicuius.

2. Finis autem hic intrinsecus actui voluntatis distinguitur subiectivus et obiectivus, et uterque iterum proximus et ultimus (cfr. vol. I, p. 517; vol. II, p. 452 sq.) Finis *subiectivus* isque *proximus* est bonum aliquod sive verum sive existimatum obtinendum ad se perficiendum, *ultimus* autem est perfectio plena naturae humanae, per possessionem perfectam omnium bonorum nobis convenientium, in qua possessione beatitudo nostra formalis consistit (cfr. vol. II, p. 361, 457 sq.). Quare in quovis bono appetendo implicite hanc beatitudinem appetimus, in quantum singula bona vel ut partes eius vel ut media ad eam obtinendam habentur. Finis autem *obiectivus* isque *proximus* est quivis terminus actionis nostrae (cfr. vol. I, p. 517 sq.), in quantum ad ultimum finem referri potest, sive sit aliqua perfectio nostra vel aliorum, sive bonum divinum sc. actus cultus religiosi; *ultimus* autem est id, quod per omnes actus vitae nostrae est efficiendum sc. gloria Dei eaque formalis, quae consistit in cognitione et dilectione perfecta divinae perfectionis infinitae, prout nobis est proportionata (cfr. vol. II, p. 452 sq.).

3. Iam vero in ultimum finem tum subiectivum tum obiectivum, si *perfectio actus spectatur*, triplici modo tendere possumus: actualiter, virtualiter vel habitualiter et naturaliter sive interpretative. *Actualiter* tendimus, si finem ultimum ut talem expresse cognoscimus et appetimus, ita ut omnes aliae actiones ad illum ordinentur tanquam media ad finem. *Virtualiter et habitualiter*, si aliquando actualiter finem ultimum ut talem appetivimus, nunc autem non expresse de eo cogitamus, sed virtute praecedentis actualis intentionis eum appetimus, sicut qui initio itineris vel laboris expresse cogitat de fine itineris vel laboris, non autem in singulis gressibus vel

manuum pedumque motibus. Quodsi hae actiones frequentius fiunt, habitus acquiritur eas facile et prompte et cum delectatione peragendi, unde tunc virtualis intentio fit habitualis, quasi altera natura. *Naturaliter vel interpretative* in finem ultimum tendimus, si expresse neque de eo cogitamus operando, neque aliquando cogitavimus, sed si vi naturae, quasi eius pondere, sponte in illum tendimus. Quemadmodum omnia corpora vi sua ad centrum terrae trahuntur, sic potentiae nostrae cognoscendi et appetendi in obiecta sibi convenientia vi sua feruntur sicque etiam in felicitatem propriam tendimus.

4. *Relatio inter naturam humanam et finem ultimum* est prorsus intrinseca atque necessaria, ita ut mutuo sese supponant. Quum enim natura humana sit principium ultimum activitatis, actus autem specificentur, i. e. et cognoscantur et determinentur per obiecta sua praesertim ultima et adaequata, natura humana ad ultimum finem humanum ordinatur ex parte Dei, auctoris naturae infinite sapientis et sancti, tanquam medium ad finem. Quisquis igitur naturam humanam habet perspectam, etiam finem ultimum hominis perfecte cognoscit, quemadmodum ex via, quam quis tenet, terminus itineris cognoscitur. Similiter quicunque finem ultimum hominis *formalem* cognoscit, etiam naturam humanam perspicit. Actus igitur humanus, qui sequitur naturam humanam tanquam normam agendi, eo ipso etiam congruit fini ultimo hominis, et vice versa, quare eius moralitas tum ex illa, tum ex hoc per se cognosci potest, attamen diverso modo: ex convenientia vel inconvenientia cum natura nostra eius moralitas cognoscitur tanquam *ex principio potius logico*, in quantum natura nostra prius et facilius a nobis cognoscitur, quam finis noster tum subiective tum obiective ultimus; ex conformitate autem vel difformitate cum fine ultimo actus humani moralitas cognoscitur tanquam *ex principio suo potius ontologico*, quo praesertim specificatio actus habetur. Ex natura humana per se finita et contingenti actus humanus habet suam rationalitatem, dignitatem, pulchritudinem, si cum aliis actibus comparatur; ex fine ultimo, qui est Dei infinita perfectio cognoscenda et fruenda, recipit suam sanctitatem, valoremque absolutum et quasi infinitum sanctionemque sempiternam. *Utrumque igitur principium: logicum et ontologicum simul sumendum esse videtur ad moralitatem actus humani intrinsecam plene constituendam.*

Addendum tamen est, ad moralitatem actus humani, *saltem aliqualem et imperfectam,* non requiri neque intentionem actualem neque virtualem finis ultimi obtinendi vel naturae nostrae perficiendae, sed per se sufficit intentio interpretativa, quae est in tendentia naturali ad bonum morale coniuncta cum aliqua, licet confusa, cognitione honestatis rei naturalis. Quotiescunque igitur actus humanus elicitur, qui est *de facto* conveniens naturae nostrae rationali vel fini ultimo subordinari potest, eo ipso erit actus moralis, saltem si agitur de moralitate naturali [1]). Quodsi actualis intentio vel etiam virtualis, quae supponit actualem aliquando formatam, semper requireretur, plerique homines vix ullum actum moralem elicerent, siquidem vel non cogitant de natura humana fineque ultimo, vel etiam de utroque errant. Quot enim homines comedentes vel deambulantes cogitant de fine ultimo vel de natura humana rationali? et tamen illi actus habentur honesti, dummodo rationabiliter i. e. moderate fiant.

III. *De motivis operandi.*

1. *Motiva* agendi vocantur quaecunque rationes, quae voluntatem nostram ad actum liberum movere possunt, ac proinde sub genere boni continentur. Quum vero praecipua ratio agendi sit finis operantis, sive hic finis idem sit ac finis operis e. g. eleemosyna ad pauperem sustentandum, sive ei superadditus e. g. eleemosyna ad Deum honorandum, patet, etiam motivum praecipuum omnis actionis eius esse finem sive operis sive operantis. Sed praeter hoc motivum principale plerumque alia quoque adsunt plus minus accidentalia, quae vel ex indole personae agentis, vel ex natura et conditione obiecti actionis, vel ex iis, quae actionem sequuntur (bona vel mala physica) oriuntur. Quae motiva pro relatione, quam habent ad leges morales, actus moralitatem vel augere vel diminuere possunt [2]). Sic qui eleemosynam dat ad pauperem quidem sublevandum, attamen *etiam*, ut laudetur, vel ut molestiam pauperis precantis effugiat, habet motiva minus honesta, quae minuunt vel etiam destruunt bonitatem moralem eleemosynae. Qui vero eleemosynam exhibet, quamvis rerum tenacior sit, vel se abstinet a delectatione sensuali, licet tentationibus graviter afficiatur, auget bonitatem actus.

2. Neque motiva coincidere debent cum norma honestatis, ut multi post Kant censent, sed ex multiplici ratione bonitatis, quae in obiecto formali invenitur, repeti possunt. Neque quidquam obstat, quominus aliquis delectatione vel utilitate ex actione capienda ad agendum moveatur, dummodo haec delectatio et utilitas neque naturae humanae, neque fini ultimo repugnet. Qui igitur non ex puro amore honestatis qua talis, neque ex puro amore Dei operantur, sed ex spe vitae aeternae et felicitatis, vel etiam ex timore poenae, dummodo hic timor sit simpliciter servilis vel filialis i. e. revera affectum internum ad peccatum expellat (non solum serviliter servilis, mere externus cum affectu ad peccatum) [3]), revera

[1]) Cfr. S. Theol. I, II, qu. 18, a. 9 ad 3; Simar, l. c. p. 152. Ernst, Ueber die Notwendigkeit der guten Meinung, 1905. — De actu supernaturali controversia est; cfr. Einig, l. c. p. 30 et 194 sq. [2]) S. Theol. I, II, qu. 18 a. 10 et 11. [3]) Cfr. Simar, l. c. p. 155 (§§ 57 et 58).

moraliter agunt, licet non perfecte. Ad perfectionem autem nemo per se tenetur, praesertim quum gradus perfectionis tum ex parte obiecti dilecti, tum ex parte subiecti diligentis sint infinite multi neque ab ullo homine naturaliter omnes percurri possint[1]).

Sect. II: De moralitate actuum humanorum in genere.

Thesis III. Actus humani constituuntur intrinsecus morales subiective per dictamen rationis et conformationem voluntatis ad illud, obiective per convenientiam cum natura humana tanquam norma proxima, per convenientiam cum intelligentia et natura divina tanquam norma ultima honestatis, per conformitatem autem cum fine ultimo tanquam principio ontologico; motiva vero possunt esse diversa, tum a natura humana tum a fine ultimo distincta.

St. qu. 1. Dictamen rationis est iudicium mentis de moralitate actuum nostrorum, in quantum oriuntur ex praecedente deliberatione et libera voluntatis determinatione, sive actus sunt eliciti ipsius voluntatis, sive imperati aliarum potentiarum ex determinatione voluntatis liberae. Hi enim soli sunt actus humani et obiectum proprium scientiae moralis; hoc autem dictamen rationis saepe vocatur conscientia, de qua plura infra dicentur.

2. Natura humana, ut sit norma completa moralitatis, debet adaequate spectari: absolute et relative, abstracte et concrete; confer supra p. 75 sq. — Mens divina intelligenda est ut exemplar formale omnium rerum; natura autem divina ut exemplar omnium perfectionum fundamentale et radicale, sicut in ontologia (vol. I, p. 431 sq.) explicavimus. Porro finis ultimus debet intelligi *hominibus specificus* ac proinde naturae humanae proportionatus. Intentio autem finis obtinendi ultimi et naturae perficiendae sufficit naturalis et interpretativa.

3. Motiva attenduntur accidentalia, distincta ab ipso fine actionis, ut supra p. 79. — Adversantur nobis omnes, qui moralitatem actuum sive ex solo obiecto, sive ex solo subiecto derivant, quos supra p. 32—62 refutavimus[2]). — Patet, in thesi agi de moralitate ac-

[1]) Cfr. S. Theol. II, II, qu. 24, a. 8. Quare ecclesia iure reprobavit sententias ab Hus, Reformatoribus, Baio, Molinos, Jansenistis, imo et a Fénélon propositas, affirmantes ad actum bonum requiri motivum charitatis divinae idque actuale vel saltem virtuale: „Nullum omnino fieri potest opus bonum, hoc est sine peccato, nisi ad Deum propter se dilectum referatur“ (Jansenius, de statu nat. laps. III, 17). Quodsi haec sententia vera esset, hominibus obligatio imponeretur, quam ne sancti quidem adimplere possent. (Cfr. Simar, l. c. p. 234 sq. § 101. Einig, l. c. p. 207 sq. [2]) Cfr. Weiss, Apologie 1894³, I, p. 527 sq. — Qui subtiliores quaestiones sententiasque diversas scholasticorum de natura intrinseca actus moralis cognoscere voluerit, adeat Suaresium l. c. disp. 1 sect. 2 sq.; porro Frins, l. c. II, p. 2 sq.

tuum *naturali*; nam apud omnes constat, actum supernaturalem tanquam normam obiectivam habere voluntatem divinam revelatam et per magisterium ecclesiae nobis manifestatam, intrinsecus autem constitui supernaturalem per gratiam actualem illustrationis et inspirationis divinae[1]).

I. *Actus humani intrinsecus morales constituuntur subiective per dictamen rationis et voluntatis conformationem.*

Prob. 1. *Ex natura rationis et voluntatis:* Moralitas formaliter et proprie non invenitur nisi in actibus humanis. *Atqui* actus humani, ut actus voluntatis liberae, necessario supponunt cognitionem rationis praecedentem; nam voluntas non habet obiectum ex se, sed ei per cognitionem praecedentem exhibetur, eamque non sensitivam, siquidem haec a) non obiecta spiritualia vel saltem modo spirituali proponit, sed potius spectat ad appetitum sensitivum, voluntas autem est facultas spiritualis; b) actus moralis, ut actus liber, supponit non quamcunque cognitionem obiecti, sed *deliberationem* de natura actus eiusque obiecti tum abstracte tum concrete considerati. Deliberatio autem non invenitur nisi in facultate ratiocinandi i. e. in ratione. *Ergo* moralitas actus humani subiective quasi in radice constituitur per dictamen i. e. per iudicium rationis de natura actus et obiecti tanquam per conditionem actui intrinsecam, et si *accedit* voluntatis *assensus*, bonitas moralis actus formaliter et actualiter adest; si accedit *dissensus* voluntatis, malitia formaliter et actualiter adest.

2. *Ex experientia interna et externa:* Nobis conscii sumus, nos bene agere moraliter, si conscientiam moralem sequimur, male vero, si eius voci non obedimus. Immo etiamsi postea apparet, nos *obiective* non recte egisse, attamen nos ipsos excusamus eo quod conscientiam secuti sumus, nobisque opprobrio habemus, quando hanc regulam agendi non observavimus, licet postea appareat, nos obiective recte fecisse. — Eodem modo etiam alii homines iudicant, legesque eum a peccato excusant, qui ex ignorantia inculpabili egerit. *Atqui* conscientia nihil aliud est nisi ipsum iudicium rationis de moralitate actuum humanorum. *Ergo* ratio nostra est regula proxima subiectiva agendi pro nobis, quae tenenda est, ut actus nostri fiant moraliter boni et a qua, si recedimus libere, actus voluntatis fiunt moraliter mali[2]).

II. *Actus humani constituuntur morales obiective per eorum convenientiam cum natura humana tanquam norma proxima honestatis.*

A. *In genere:*

Prob. 1. *Per exclusionem:* Ostendimus, rationem humanam esse normam subiectivam actuum moralium. *Atqui* ratio humana iudicium suum de actuum moralitate non *arbitrarie* format; neque enim

[1]) Cfr. Einig, De gratia divina, 1896, p. 16—30.
[2]) Cfr. S. Theol. I, II, qu. 19, a. 3; qu. 31, a. 1; qu. 76, a. 1.

est, ut vidimus, sensus aliquis moralis ad modum instinctus rationalis, neque ideae morales nobis innatae admittendae sunt, neque ratio ex se sola, neque ex decreto caeco voluntatis iudicia sua format (cfr. supra p. 10, 26, 47 sq.). Indiget igitur *norma aliqua obiectiva*, secundum quam dictamen rationis formetur. Sed haec norma obiectiva non est, ut vidimus, in obiectis actionum earumque effectibus qua talibus: non in bono privato vel publico (Eudaemonismus privatus et socialis), neque in fine ultimo *absolute* spectato (cfr. supra p. 33—52). *Ergo* non restat nisi ut natura nostra *obiective* spectata, tum individua tum socialis, tanquam norma obiectiva habeatur. Ipsa igitur simul subiectum est et obiectum actus moralis: *subiectum*, in quantum est principium ultimum activitatis humanae, praesertim actuum omnium praecipuorum sc. moralium; *obiectum*, in quantum ipsa etiam per actus morales directe perficienda est tum ut individua, tum ut socialis.

2. *Ex relatione inter naturam et activitatem:* Natura omnium rerum est principium ultimum activitatis unicuique rei specifica ac proinde etiam natura humana; se habet enim ad activitatem, sicut medium naturale et unicum ad finem, qui nonnisi rei activitate obtineri potest, et insuper sicut causa ad effectum, quia natura ipsa actus producit ex sua potentia. Quemadmodum igitur medium ex fine, et causa ex effectu cognoscuntur, ita etiam natura nostra ex eius activitate diiudicanda est. *Atqui* actus humani omnium sunt praestantissimi et ad eos omnes alii ordinantur, si quidem per actus humanos solos et perfectio dignitasque humana et finis ultimus conquiritur; actus autem humani iidem sunt qui morales. *Ergo* actus humani constituuntur morales proxime et in genere per relationem et conformationem ad naturam humanam, quare haec eorum est norma ac mensura proxima.

3. *Ex relatione actuum ad finem ultimum:* Constat, nos per solos actus morales finem nostrum ultimum consequi posse, qualiscunque hic finis concipiatur. *Atqui* finis noster ultimus, hominibus proprius atque specificus, cognosci nequit, nisi prius cognoscatur natura nostra, cui proportionatus esse debet. Quamvis enim finis ultimus omnium rerum *materialiter* spectatus idem sit sc. Dei gloria et rerum perfectio, attamen hic finis pro rerum natura diversa etiam *formaliter* diversus est pro singulis rebus, e. g. pro planta, bestia, homine. Hominis enim finis est gloria Dei *formalis* i. e. Dei perfectio infinita cognoscenda et fruenda, aliarum rerum finis est Dei gloria obiectiva, in quantum hominibus Dei perfectiones in se ipsis manifestant, non tamen ipsae eas cognoscunt (cfr. vol. II, p. 245 sq.). *Ergo* natura humana est norma proxima obiectiva, ex qua honestas actus humani cognoscitur.

B. *In specie.*

Prob. 1. *Ex natura nostra absolute et relative spectata:* Natura humana potest considerari: a) *absolute*, ut est in se, composita ex partibus essentialibus, potentialibus et integrantibus (corpus et anima, intellectus, voluntas; sensus et appetitus sensitivus; membra corporis); b) *relative*, ut se habet ad alia entia, praesertim ad alios homines et Deum. *Atqui* si *absolute* consideratur, apparet tum dignitas excellentiaque naturae et personae humanae, tum diversus gradus perfectionis in singulis partibus, ita ut anima praestet corpori, intellectus sensibus, voluntas appetitui sensitivo, totum corpus eiusque integritas et sanitas singulis eius membris. Ex hac autem diversa perfectione partium naturae nostrae oritur diversa aestimatio singularum partium, ita ut perfectior minus perfectae praeferri debeat, praesertim si conflictus inclinationum naturalium adest. Inde oritur iusta et legitima aestimatio sui ipsius, ne abiciamus dignitatem humanam vivendo more plantarum vel brutorum; inde oritur abnegatio deliciarum nobis non convenientium, amor virtutis et perfectionis animi etiam detrimento corporis, immo etiam cura moderata vitae corporis, fortiter patiendo membrorum dolorem vel etiam abscissionem, dummodo totum corpus salvetur. — Si vero natura nostra *relative* consideratur, illico relatio nostra ad alios homines cognoscitur, siquidem natura nostra ex se socialis est, quia indiget societate humana, ut ad perfectionem naturalem perveniat, et indolem habet atque naturalem tendentiam, ut cum aliis hominibus vivamus; „homo enim homini maxime necessarius est“ (Spinoza). Ex hac autem relatione ad alios homines statim innotescit, iustitiam, proprietatem, amorem proximum, misericordiam, modestiam, obedientiam esse servandam, ut societas esse possit. — Porro ex indole religiosa naturae nostrae alia quoque relatio oritur sc. ad Deum, ex qua actus cultus divini nascuntur: oratio, adoratio, submissio, sacrificium, poenitentia, amor. *Ergo* ex natura nostra tum absolute tum relative spectata oriuntur actus diversi morales, quibus totus ordo moralis et individuus et socialis et religiosus constituitur[1]).

2. *Ex natura abstracte et concrete considerata:* Natura nostra *abstracte* consideratur, si ipsa tum *in se* (absolute) tum quoad relationes suas *essentiales* (relative) spectatur, quemadmodum eadem est in omnibus atque immutabilis. *Concrete* consideratur, si etiam proprietates individuales et corporis et animi singulorum hominum eorumque conditiones privatae (pauper, dives; aegrotus, sanus; homo privatus, publicus etc.), necnon relationes accidentales, contingentes ad alios homines sive ad Deum attenduntur (pater, mater, filius, servus,

[1]) Cfr. s. Augustinum, Enarrat. in Psalm. 143, n. 6.

dominus, subditus, praepositus, magister, discipulus, amicus, socius, adversarius, laicus, sacerdos etc.). *Atqui* si natura humana *abstracte* consideratur, patet, eam esse fundamentum saltem proximum ac proinde normam actuum moralium, qui semper et ubique et ab omnibus elici debent, ne natura ipsa humana tum in sua essentia, tum in relationibus suis essentialibus pessumdetur; hoc modo oriuntur praecepta illa moralia maxime universalia et necessaria, e. g. temperantia, iustitia, obedientia etc. est observanda, quae praecepta de facto ab omnibus gentibus certa atque inconcussa habentur, licet saepius laedantur, ita tamen ut omnis transgressio legibus vetetur et poenis sanciatur. — Si vero natura humana *concrete* spectatur, tunc facile apparet, quibus, quando et quomodo leges morales singulis hominibus applicandae sive actus morales eliciendi sint. Sic e. g. manducare est per se licitum et honestum, attamen non semper, e. g. diebus prohibitis, neque omnibus, e. g. aegrotis, neque eodem modo; quod enim Miloni athletae vix sufficit, aliis nimium est (Aristoteles). *Ergo* natura humana tum abstracta tum concreta est norma proxima obiectiva honestatis actionis humanae [1]).

3. *Ex natura et proprietatibus normae moralis:* Certe exsistit norma moralis; secus enim nesciremus, quid sit honestum, quid inhonestum, neque iudicium de moralitate actuum sive nostrorum, sive aliorum ferre possemus (cfr. supra p. 24). Iam vero haec norma quatuor potissimum proprietates habere debet: a) *facilis ad cognoscendum* ac proinde omnibus pervia; nam omnes homines et eruditi et rudes moraliter agant oportet idque semper omnique momento, quia valor et dignitas vitae humanae praecise in eius moralitate consistit; b) debet *eadem* esse pro omnibus hominibus, siquidem omnium moralitas, teste historia et experientia, eadem est; c) debet esse *immutabilis;* alioquin non iam eadem esset, et scepticismus moralis inde sequeretur (cfr. supra p. 28); d) debet ad omnes actus eorumque obiecta applicari posse idque *facile*, ut sit universalis atque omnibus pervia. *Atqui* natura humana has habet qualitates eaque sola; nam a) nihil nobis ideo propinquum est atque intimum, quam natura nostra eiusque potentiae, per quas, natura ipsa duce et quasi necessitante, obiecta actionum attingimus, ut testatur unicuique conscientia; natura enim est principium ultimum omnis activitatis. b) Natura nostra quoad essentiam suam et relationes essentiales eadem est ac fuit; unde facile patet, etiam leges morales, quae ex ea ipsa oriuntur, easdem esse ac semper fuisse. c) Natura humana quoad essentiam suam immutabilis est, neque, teste historia, unquam

[1]) Cfr. S. Thomam c. gent. III, c. 129. — Jure igitur Apostolus Paulus (Rom. 2, 14 sq.) docet, gentes peccando excusationem non habere, siquidem „opus legis scriptum habent in cordibus suis, testimonium reddente eis conscientia ipsorum“.

immutata fuit, (cfr. vol. I, 369, 405; II, 195, 420 sq.; supra p. 28 sq.), quare etiam ordo legesque morales eaedem permanent. d) Natura humana, ut supra p. 83 vidimus, si absolute et relative, abstracte et concrete spectatur, relationem habet ad omnia obiecta actionis humanae i. e. ad totum universum, et facile etiam manifestat paulisper reflectenti, quomodo leges morales singulis hominibus sint applicandae.

Aliae autem normae honestatis, quae constituuntur, vel non habent illas qualitates, vel non omnes: Non eudaemonismus, ex *obiecto* deducens moralitatem actuum; privatus enim non explicat moralitatem socialem et religiosam, socialis autem non explicat moralitatem individuam et religiosam; neque facile ad omnes actus applicari potest, siquidem eorum effectus a priori nemo certo scire potest. Idealismus autem ethicus, moralitatem omnem ex solo subiecto derivans, nequit explicare obiectivum et absolutum valorem moralitatis, neque leges mere subiectivas ad obiecta actuum applicare valet. *Ergo* natura humana est norma proxima honestatis [1]).

III. *Intellectus divinus est norma remota, natura divina norma ultima obiectiva moralitatis.*

Prob. quoad intellectum divinum: Natura humana, ut vidimus, est norma proxima moralitatis nostrae. *Atqui* natura humana absoluta et relativa, abstracta et concreta quoad suam *intrinsecam possibilitatem* dependet formaliter ab intellectu divino, qui non solum continet, sed etiam format ideis suis omnia exemplaria rerum, sine quibus res neque esse neque concipi possunt (cfr. vol. I, p. 432 sq.), quare intellectus divinus est exemplar et norma, secundum quam ipsa natura humana constituta est. *Ergo* intellectus divinus est etiam norma eaque remota actus moralis humani.

Prob. quoad naturam divinam: Natura divina est fons ultimus omnis realitatis metaphysicae et possibilitatis rerum intrinsecae, quem intuens intellectus divinus ideas rerum exemplares formavit (l. c. p. 431). *Atqui* ostendimus, intellectum divinum esse normam remotam moralitatis. *Ergo* natura divina erit ultima norma obiectiva omnis moralitatis.

IV. *Actus humani constituuntur intrinsecus morales per relationem ad finem ultimum hominis tanquam eorum principium ontologicum.*

Prob. 1. *Ex natura actus humani* [2]): Actus humani, sicut quilibet actus, specificantur per obiecta sua i. e. ex obiectis suis reci-

[1]) Errat igitur Stange, si negat exsistere communem aliquam normam moralitatis (Einleitung in d. Ethik, II, 126).

[2]) Cfr. S. Theol. I, II, qu. 1, a. 6; qu. 18, a. 2, 4, 6, 9; qu. 19, a. 1, 2, 9.

piunt rationem boni vel mali tum in genere, tum in specie; sic actus temperantiae moraliter bonus est, quia temperantia est obiectum bonum; contrarium autem de intemperantia dicendum est. *Atqui* omne obiectum a voluntate libera appetitum per deliberationem praecedentem, quae ad libertatem et moralitatem actus requiritur, apprehenditur vel ut bonum totaliter adaequatum nobis, quod esset ipse finis ultimus in hac vita utique non obtinendus, vel ut pars eius, sicut bona vitae moralia, vel saltem ut medium ad finem ultimum, sicut bona physica sive materialia corporis sive spiritualia mentis (scientia et virtutes ut habitus). *Ergo* omnis actus humanus, qui eo ipso est moralis, specificatur i. e. in genere et specie moralitatis ultime constituitur per finem ultimum sive explicite, sive implicite, saltem naturaliter appetitum.

2. *Ex fine actus humani:* Ille actus debet esse intrinsecus moralis, per quem finis ultimus obtinetur sive actualiter, sive virtualiter, sive saltem naturaliter; ad finem enim ultimum res omnes ordinantur, quem si consecutae fuerint, omnino perfectionem suam naturalem habent. *Atqui* per actus humanos finis ultimus intenditur vel directe et actualiter illum appetendo, vel saltem virtualiter et naturaliter, id volendo vel faciendo, quod cum fine ultimo sive subiectivo sive obiectivo — uterque enim simul et per eosdem actus obtinetur — coniunctum apprehenditur, vel ex natura sua sive ex Dei ordinatione coniungitur; Deus enim est fons et finis et mensura omnis boni. *Ergo* actus humani intrinsecus morales constituuntur per relationem ad finem ultimum.

3. *Ex proprietatibus actus moralis:* Actus moralis omnium bonorum est maximum, ita ut bonis omnibus, imo vitae ipsi potius sit renuntiandum, quam honestati; habet igitur valorem absolutum, maiorem omni bono finito, ac proinde quasi infinitum. Valor autem hic in eo est, quod actu morali bonum quasi infinitum producimus, sc. gloriam et honorem Dei formalem, quae quidem ex parte actus nostri est finita, sed ex parte termini infinita. *Atqui* valor hic actus moralis omni alio bono maior, quasi infinitus, non potest explicari ex bonis quibuscunque *finitis* sive individui sive societatis, neque ex sola natura humana, quae etiam ipsa est in se finita et contingens quoad exsistentiam, neque qua talis principium et causa adaequata effectus et valoris infiniti et aeterni esse potest. *Ergo* hic valor absolutus et infinitus actus moralis per finem ultimum hominis constituitur, qui subest tanquam fundamentum naturale omnibus aliis finibus actionum nostrarum, licet neque actualiter neque virtualiter eum intendamus; nam ex parte Dei et natura nostra actus inde emergentes ad hunc ultimum finem ordinantur, cui ordi-

nationi, si libere actus nostros conformamus, actus et vita nostra erunt moraliter bona, secus mala [1]).

Neve dixeris, finem ultimum dependere et cognosci ex natura humana. Hoc quidem probat, adesse mutuam relationem, et naturam humanam *pro nobis* esse *principium cognoscendi* (logicum) tum finem nostrum tum actus moralitatem. Non tamen probat, eam etiam in ordine *ontologico* praecedere ultimum finem nostrum saltem obiectivum. Deus enim naturam nostram eiusque potentias et actus ordinavit tanquam medium ad finem ultimum obiectivum, unde in ordine ontologico divino finis ultimus praecedit naturam nostram tanquam eius causa finalis, tandem per actus nostros liberos etiam in ordine physico producenda ut terminus ultimus activitatis nostrae, utique ad normam naturae nostrae. „Natura, ut recte monet s. Thomas, nihil aliud est quam ratio cuiusdam artis, scil. divinae, indita rebus, qua ipsae res moventur ad finem determinatum“ [2]). „Regula et mensura actuum humanorum est ratio“; sed „rationis est ordinare ad finem, qui est *primum principium* in agendis“ [3]). Concurrunt igitur et natura nostra et finis ultimus ad moralitatem actuum humanorum intrinsecus constituendam: Illa potius ut principium obiectivum *logicum* i. e. ut norma obiectiva proxima, a qua actus humanus suam rationabilitatem, dignitatem, pulchritudinem respectu aliorum actuum nostrorum habet; finis autem ut principium potius *ontologicum* i. e. ut terminus ultimus omnis actus moralis, a quo valorem suum habet absolutum et quasi infinitum, aeterna vita dignum, vel si actus non est conformis ultimo fini, poena aeterna luendum [4]).

V. *Motiva actus moralis possunt esse diversa, etiam a norma obiectiva et fine ultimo distincta.*

Prob. 1. *Ex obiecto actus moralis:* Obiectum actus moralis potest diversas boni rationes sive veras sive existimatas in se continere, e. g. eleemosyna ut sublevans pauperes, ut exemplum aliis exhibendum, ut satisfactio pro peccatis, ut remedium contra avaritiam, ut signum amoris Dei. *Atqui* motivum nihil aliud est, nisi ratio aliqua boni, quae voluntatem movet. *Ergo* motiva actus moralis possunt esse diversa.

---

[1]) Bene, ut solet, hac de re Cathrein, Moralphilosophie 1904 [4], I, p. 188: „Warum ist die sittliche Ordnung so himmelweit verschieden von Kunst, Wissenschaft, Reichtum und Ehre? . . . Nur durch ihren Zusammenhang mit dem letzten und höchsten Endzweck des Menschen und der ganzen Schöpfung, durch ihre Verknüpfung mit den höchsten und ewigen Gütern erlangt die sittliche Ordnung ihren Wert und ihre unermessliche Bedeutung und Würde.“

[2]) In 2. Phys. l. 14. [3]) S. Theol. I, II, qu. 90, a. 1 et 2 Resp.

[4]) Hoc modo, ni fallor, controversia illa componitur inter praeclaros exorta doctores Cathrein S. J. et Mausbach, quorum ille naturam humanam, hic finem ultimum normam habet moralitatis; uterque ad s. Thomam provocat. Cfr. Phil. Jhrb. 1896, p. 121 sq.; 1899, p. 19 sq.; p. 303 sq.; 1900, p. 195 sq.; 1901, p. 90 sq. Frins, l. c. II, p. 7 sq. Eandem quam nos sententiam Gutberlet defendit: Ethik u. Naturrecht 1893 [2], p. 79.

Patet, omnibus illis motivis, e. g. in eleemosyna exhibenda, subesse relationem *omnibus actibus moralibus communem* tum ad naturam humanam ut normam obiectivam, tum ad finem ultimum ut terminum fundamentalem omnis actus humani; attamen omnia illa motiva formaliter sumpta et inter se specie differunt, et etiam a natura humana qua tali et fine ultimo nostro distinguenda sunt: ab his habent *moralitatem suam fundamentalem*, ab obiectis suis specie distinctis *moralitatem suam specificam*, e. g. in exemplo eleemosynae proposito: misericordiae, amoris proximi, poenitentiae, temperantiae, liberalitatis, amoris divini.

2. *Ex subiecto actus moralis:* Proposito obiecto actus moralis, neque alii homines neque nos ipsi semper eodem modo illud appetimus vel fugimus, licet in se idem esse possit et ex se eodem modo sese habeat ad naturam nostram et finem ultimum, e. g. cibo potuque proposito. *Atqui* ratio adaequata huius diversitatis, quum non sit in obiecto, debet esse in subiecto volente, et est ratio aliqua boni pro indole vel conditione vel dispositione individuali et singulari, qua subiectum hic et nunc afficitur, e. g. ut *nunc* comedat vel bibat, sive hunc vel illum cibum potumque appetat, nunc alium etc. *Ergo* motiva actionis diversa adesse possunt eaque distincta a norma proxima et fine ultimo, licet ipsis conformia esse atque subordinari debeant, ne sint moraliter mala.

3. *Ex absurdis:* Quodsi natura humana solum et ultimum motivum actus moralis statueretur, ut Idealismus et Voluntarismus ethicus docet (cfr. supra p. 79), tunc in omni actu morali: a) natura humana clare et distincte apprehendi, b) directe appeti deberet, quia motivum praecise est illud, quod cognitum et amatum voluntatem actualiter movet; c) etiam valor infinitus et obligatio absoluta actus moralis ex solâ natura humana derivanda essent; d) ex ipsa *sola* etiam species diversae moralitatis et virtutum explicandae essent; e) ipsa sibi finis ultimus esse deberet; nam motivum est ipse finis actionis saltem partialis. *Atqui* haec omnia sunt refutanda; nam a) experientia docet, nos in actu morali plerumque minime de natura nostra cogitare, sed simpliciter de bonitate obiecti; immo multi sunt, qui prorsus errant de natura humana; esset tamen nimis odiosum, affirmare illos omnes semper immoraliter agere, e. g. dando eleemosynam, abstinendo ab usu rerum immoderato. b) Neque in omni actu naturam nostram expresse intendimus perficiendam, e. g. in actu amoris perfecti abstrahimus a bono nostro, licet *obiective* haec relatio obiecti ad naturam nostram adsit; sed agitur hic de *subiectiva nostra intentione*, quae idem est ac motivum. c) Ex natura nostra contingenti et finita certe valor ille obligatioque absoluta moralitatis derivari nequit. d) Si sola natura nostra spectatur sine

relatione ad *naturam* obiectorum *specificam*, non apparet, quomodo actus eleemosynae differat ab actu abstinentiae vel amoris Dei; nam aut eodem modo ad naturam humanam referuntur, aut diverso; *si primum*, nulla est species in genere morum, siquidem terminus relationis sc. humana natura idem est; sed hoc repugnat persuasioni hominum, qui distinctionem et specificam et individualem actuum moralium affirmant; *sin alterum*, ratio diversae relationis non potest esse nisi fundamentum eius, sc. natura diversa obiectorum. e) Natura nostra non sibi ipsi est finis ac proinde non autonoma: est enim a Deo creata et necessario ad Dei gloriam tanquam ultimum finem obiectivum ordinatur, ne Deus infinite sapiens et sanctus a se ipso deficiat; porro constat per conscientiam nostram et persuasionem hominum, nos bonum et malum legesque morales minime statuere, sed invenire, ita ut ordini morali subiciamur et ab eo dependamus, et praemium vel poenam inde recipiamus. *Ergo* natura nostra, licet sit norma proxima obiectiva actus moralis, non eo ipso debet esse motivum, nedum solum et unicum, actus humani.

Idem fere dicendum est de *fine ultimo;* licet enim subsit omni actui morali obiective, i. e. ex ordinatione Dei, attamen non debet subiective adesse ut motivum expresse cognitum et intentum, quia de facto non in omni actu morali expresse cognoscitur et intenditur. Sunt, qui moraliter censeantur agere, qui tamen errent de fine ultimo. Ex fine ultimo facile quidem actus moralis valor obligatioque absoluta derivatur, attamen sine relatione ad naturam hominis et obiectorum *specificam* ex solo fine absoluto actus humani moralitas eiusque sanctio in *specie* et in *individuo* deducit nequit, quia relatio ad ultimum finem solum fundamentaliter sive inadaequate moralitatem constituit (cfr. supra p. 45).

I. *De autonomia et heteronomia morali.*

1. Ex dictis patet, quid sit sentiendum de *autonomia* et *heteronomia* morali. Illa, auctore Kant (cfr. supra p. 47 sq.), consistit in eo, quod ratio voluntasque humana ipsa eaque *individua* est fons omnis moralitatis et obligationis, non ordo rerum, neque auctor rerum Deus. Aliam statuunt autonomiam, qui moralitatem et obligationem repetunt ex ratione et voluntate *sociali* humana, ut Eudaemonismus et Progressismus socialis. *Heteronomiam* autem in eo collocant, quod quis moralitatem actionum ex earum obiectis repetit, obligationem vero ultimo ex voluntate Dei, et motiva actionis etiam eudaemonistica admittit. Iam vero vidimus, tum autonomiam, tum heteronomiam aliquam statuendam esse: *illam*, quia natura nostra est norma proxima obiectiva, ratio autem est norma proxima subiectiva, voluntas vero libera est causa efficiens moralitatis; *hanc*, quia haec norma proxima ulteriorem requirit sc. divinam intelligentiam et essentiam, quia, ut infra probabitur, obligatio formaliter ex Dei voluntate oritur, neque motiva ex honesta utilitate vel delectatione reprobanda sunt.

Errant igitur Eudaemonistae sive privati sive sociales, qui omnem rationem boni et mali omnemque obligationem ex bono privato vel sociali repetunt, alia non admittentes motiva moralia, quemadmodum errant Idealistae ethici, qui cum Stoicis et Kantio ex sola dignitate naturae et personae humanae motiva ad agendum deducunt ac proinde etiam cum Stoicis saepe omne discrimen virtutum negant. — Neve dicas, indignum esse homine, ut alia lege quam propria ad agendum determinetur; hanc esse heteronomiam, omni moralitati subiectivae inimicam. Nam homo, ut ens a Deo creatum, sibi ipsi legem agendi statuere nequit; lex enim agendi sequitur legem essendi; subest igitur legi, i.e. auctoritati auctoris, gubernatoris, consumatoris, iudicis mundi universi, cui se conformare debet idque non coacte et solum externe, sed plena libertate et voluntaria submissione legem Dei externam *suam propriam* faciens et libere exsequens. In hoc consistit tota hominis autonomia totaque eius perfectio ordoque universalis et pulchritudo universi[1]); autonomia igitur et heteronomia coniungendae sunt ad adaequatam rationem moralitatis constituendam.

2. Heteronomia igitur et autonomia sibi non opponuntur, nisi in iis, qui coacte ad modum brutorum, sive ex timore serviliter servili operantur, quin interne legi morali consentiant eamque libere et cum amore filiali sequantur (cfr. supra p. 79). Neque quidquam obstat, quominus ex motivis eudaemonisticis (ex delectatione honesta, utilitate sive privata sive publica, sive felicitate obtinenda) operemur, modo ne honestas i. e. relatio actionis tum ad naturam nostram rationalem, tum ad ultimum finem sive ex natura actionis, sive ex subiectiva intentione excludatur. Natura enim ipsa vel potius rerum auctor hoc indicat eo, quod cum actionibus nostris semper aliqua delectatio vel utilitas coniuncta est sive materialis e. g. comedendo, sive spiritualis, e. g. benefaciendo. — Accedit, quod nihil appetere possumus nisi sub ratione boni nostri; desiderium enim felicitatis omnibus est innatum estque quasi pondus, quo ad finem necessitate naturae nostrae trahimur.[2]) Natura autem sive auctor naturae nos non per se et semper et necessario ad peccatum incitare potest. — Neque sufficiens adesset motivum, quod ad bonum impelleret, si sola dignitas naturae nostrae esset spectanda; hoc enim motivum plerisque hominibus non eruditis, praesertim si in magna versantur tentatione (e. g. Josephus in domo Putipharis), vix occurreret, nedum eos efficaciter movere ad bonum et a malo avocare posset. Quod ii ipsi demonstrant vita sua, qui hoc solo motivo innituntur. „Quis enim, ait Iuvenalis, virtutem

[1]) Recte igitur Schiller, Das Ideal u. das Leben (11. Str.): „Nehmt die Gottheit auf in euren Willen, Und sie steigt von ihrem Weltenthron, Des Gesetzes strenge Fessel bindet Nur den Sklavensinn, der es verschmäht. Mit des Menschen Widerstand verschwindet Auch des Gottes Majestät"; in quo consentit cum Apostolo Paulo (I Tim. 1, 9) docenti: „Lex justo non est posita, sed injustis."

[2]) Cfr. vol. II, p. 361 sq. Frins, l. c. I, 14 sq.: Becker, Zeitschrift für kathol. Theologie, 1902, p. 448 sq.: Das Lustprinzip i. d. Moral; Cathrein, Phil. mor. n. 14; Die kath. Moral 1907, p. 142 sq. Recte Schiller de hac re in disticho: Zenith und Nadir: „Wo Du auch wandelst im Raum, es knüpft Dein Zenith und Nadir An den Himmel Dich an, Dich an die Achse der Welt. — Wie Du auch handelst in Dir, es berühre den *Himmel* der Wille, Durch die *Achse der Welt* gehe die Richtung der Tat" (cfr. supra p. 79).

complectitur ipsam, praemia si tollas?"[1]) Certe, si quis abundat bonis terrenis: divitiis, delectationibus, honoribus, ut Seneca, facile mundum despicere potest, sed qui malis vitae premitur, quomodo virtutem servabit, si nulla spes sive terrena, sive saltem coelestis ei arridet?[2]) Profecto destrueret virtutes christianas tam admirabiles in martyribus, in viris feminisque servitio Dei et hominum miserrimorum se voventibus, qui eis amorem Dei et spem vitae aeternae eriperet. Quis autem eorum, qui ethicam „autonomam" docent, talia unquam opera caritatis in Deum vel homines exercuit, qualia viri sancti, fide Christi et spe vitae aeternae imbuti? Fac compares vitam et opera S. Vincentii a Paula vel Petri Claveri cum Kant eiusque in hac re asseclis!

3. Quodsi ex sola dignitate naturae nostrae sive ex imperativo categorico operari liceret, vix ullus homo unquam recte faceret, si quidem omnibus actionibus nostris subest, licet saepe non advertamus, aliqua spes utilitatis vel delectationis, et tunc iam peccaret, qui cibum iucundiorem minus iucundo praeferret, quod tamen omnibus fatentibus est absurdum affirmare; esset enim rigorismus intolerabilis, qui necessario ab ordine morali servando absterreret eumque indirecte destrueret. — Immo vidimus (p. 50, 67), moralem Stoicorum et Kantianam tandem in Eudaemonismum desinere, neque satis eam abesse a vana gloria et vulgi contemptu, ita ut S. Augustinus merito dixerit: „Licet a quibusdam tunc verae et honestae putentur esse virtutes, cum ad se ipsas referuntur nec propter aliud expetuntur, etiam tunc *inflatae* et *superbae* sunt, et ideo non virtutes, sed vitia iudicanda sunt. Sicut enim non est a carne, sed super carnem, quod carnem facit vivere, sic non est ab homine, sed supra hominem, quod hominem facit beate vivere"[3]). — Denique *nulla obligatio* statui posset; nam obligatio supponit superiorem, qui lege eam imponat et sanctione (praemio vel poena) muniat. Atqui natura nostra nobis non est superior, nisi statuas naturam humanam *physice communem pantheisticam*, ac proinde nobis legem imponere eamque sanctione munire non potest. *Ergo* nulla posset esse obligatio. Quare vel *libertinismus* moralis statuendus esset, siquidem lex moralis dependeret a voluntate nostra libera, vel *scepticismus* moralis, quia neque norma obiectiva legis neque voluntas superior admitteretur, vel cum Stoicis natura nostra cum *divina* et lex moralis cum ipsa *voluntate divina* confundenda et libertas voluntatis nostrae individuae neganda esset, quae sententiae omnes, teste historia, ex autonomia illa morali individuali exortae sunt et adhuc hodie propagantur, ut supra vidimus p. 21 sq. Immo etiam Kant docet, legem moralem considerari posse tanquam *a Deo statutam* et hoc modo religionem naturalem oriri, quare ipse quoque tandem ad voluntatem divinam recurrit[4]).

[1]) Iuvenalis, sat. 10, 141 sq.

[2]) Cfr. Weiss, Apol. I, 396, 461, 507 sq. Mausbach, Weltgrund u. Menschheitsziel, 1905 [4], p. 47 sq. W. Schneider, Göttl. Weltordnung etc., p. 506 sq.

[3]) De civitate Dei, 19, 25. Cfr. de Trinitate 13, 26; 14, 3. Notandum est, S. Doctorem hic eos (Julianum Pelagianum) impugnare, qui, provocantes ad virtutes infidelium, affirmabant, homines *propria virtute* et iustificationem et vitam aeternam *supernaturalem* consequi posse (cfr. supra p. 69).

[4]) Cfr. Kneib, Die Heteronomie der christl. Moral, 1903, Die Lohnsucht der christl. Moral, 1904. Die Jenseitsmoral im Kampfe um ihre Grundlagen, 1906

Idem dicendum est de *autonomia sociali* Eudaemonismi, Progressismi, Evolutionismi, quod de autonomia individuali diximus: Sine heteronomia, i. e. sine Deo a) neque obligationem *internam*, b) neque motivum sub omni conditione *sufficiens* statuere potest; c) destruit hominis dignitatem personalem et individualem eum societati prorsus subordinans; est igitur heteronomia omnium pessima; d) in Eudaemonismum privatum tandem desinit (cfr. supra p. 36—44); e) repugnat tendentiae naturali in utilitatem propriam eamque *legitimam*; rigorismum imponit intolerabilem ac proinde in fine se ipsam destruit, et transit, teste historia, in scepticismum et libertinismum moralem.

II. *De sententia Aristotelis.*

Quaeritur, quid *Aristoteles*, auctor scientiae moralis, de natura moralitatis senserit. Hoc apparet iam ex supra dictis de eius systemate toto (cfr. supra p. 63 sq.). Statuit igitur naturam nostram rationalem tanquam *normam intrinsecam* obiectivam: „*Sua quidque virtute bene perficitur.* Quod si ita se habet, hominis bonum erit functio muneris *animi virtute* directa (I, 6). Nos ipsos oportet, quoad eius fieri potest, a mortalitate vindicare atque omnia facere, ut *ei nostri parti, quae in nobis est optima, convenienter vivamus* (X, 7)." Porro *finem* hominis statuit beatitudinem eamque subiectivam simul et obiectivam i. e. cognitionem et fruitionem summi veri: „Dei muneris functio ea quae beatitudine antecellit, in *contemplatione* consistere reperietur; ergo et humanarum functionum ut quaeque huic simillima est, ita ad beatam vitam constituendam plurimum valet . . . Diis enim immortalibus omnis vita beata est, hominibus autem, quatenus *simulacrum aliquod talis functionis habent*" (X, 8). In Ethica ad Eudemum (VII, 15) vita beata collocatur in contemplatione Dei (θεωρία τοῦ θεοῦ). Moralitas igitur ex sententia Aristotelis formaliter constituitur tum per relationem actus humani ad naturam nostram rationalem tanquam eius principium et normam, tum per conformationem ad finem hominis ultimum.

III. *De doctrina s. Thomae.*

Quaeritur, quid *s. Thomas Aquinas* de natura actus moralis docuerit. In I, II qu. 19 probat art. 1 et 2, bonitatem voluntatis ac proinde moralitatem actus dependere (i. e. constitui intrinsecus) ab *obiecto*; art. 2 eam dependere *ex ratione*; art. 4 eam dependere *ex lege aeterna*; art. 7 eam dependere *ex fine*; art. 9 et 10 eam dependere ex *conformitate cum divina voluntate*, quae quidem sententiae non inter se pugnant, sed mutuo se supponunt, explicant atque complent eo modo, quo iam supra in thesi indicavimus.

1. Statuit igitur tanquam normam intrinsecam subiectivam [1]) actus moralis *rationem nostram*, attamen non modo Kantiano quasi autonomam et sine norma obiectiva, categorice imperantem, sed in quantum per obiectum tum et per finem nostrum determinatur: „Bonitas voluntatis dependet a ratione *eo modo, quo dependet ab obiecto*" (ibid. ad Resp.). „In his quae sunt ad finem, rectitudo rationis consistit in conformitate ad appetitum finis debiti (ibid.

[1]) „Regulam proximam" eam vocat ib. qu. 21, a. 1; qu. 18, a. 5.

ad secundum). Norma igitur ipsius rationis secundum S. Thomam est obiectiva, eaque proxima ipsum *obiectum* actus voluntatis; actus enim specificatur ab obiecto [1]), quod est axioma omnino commune scholasticis. Sed agitur hic non de obiecto materiali, sed *formali* actus humani (cfr. supra p. 45 sq.). Quale igitur est obiectum formale, quo actus humani moralitas constituitur? Est illud, quod conforme est tum naturae nostrae rationali, tum fini nostro ultimo. Primum *naturae nostrae rationali*; dicit enim: „Unicuique rei est bonum, quod convenit ei secundum *suam formam* (i. e. essentiam sive naturam); et malum, quod ei est praeter ordinem suae formae. Patet igitur, quod differentia boni et mali circa obiectum considerata, comparatur per se *ad rationem*, sc. secundum quod obiectum est ei *conveniens* vel *non conveniens*" (ibid. qu. 18, a. 3 Resp.). Secundo *fini nostro ultimo*; dicit enim: „Non differt bonitas, quae est ex obiecto, a bonitate, quae est ex fine" (ibid. qu. 19, a. 2 ad primum). „Quum bonitas voluntatis dependeat a bonitate voliti, ut supra dictum est (art. 1 et 2), necesse est, quod dependeat ex intentione finis" (qu. 19, a. 7 Resp.). „Necesse est, quod omnia quae homo appetit, appetat propter ultimum finem . . . primo, quia quidquid homo appetit, appetit sub ratione boni; quod quidem si non appetitur ut bonum perfectum, quod est ultimus finis, necesse est, ut appetatur ut tendens in bonum perfectum . . . Secundo, quia ultimus finis hoc modo se habet in movendo appetitum, sicut se habet in aliis motionibus primum movens . . . unde secunda appetibilia non movent appetitum nisi in ordine ad primum appetibile, quod est ultimus finis" (ibid. qu. 1, a. 6 Resp.).

Obicienti autem, tunc hominem operando moraliter etiam de ultimo fine cogitare debere, respondet: „Non oportet ut semper aliquis cogitet de ultimo fine, quandocunque aliquid appetit vel operatur, sed virtus primae intentionis, quae est respectu ultimi finis, manet in quolibet appetitu cuiuscunque rei, etiam si de ultimo fine actu non cogitetur; sicut non oportet, quod qui vadit per viam, in quolibet passu cogitet de fine" (ibid. ad tertium cfr. supra p. 77 sq.). Requiritur igitur ab Aquinate ad actum moralem ratio et natura humana ut norma proxima intrinseca moralitatis: illa ut subiectiva, haec ut obiectiva; sunt igitur principium potius *logicum*, quo modus activitatis et via ad terminum innotescat. Porro requiritur actus humani relatio sive actualis, sive habitualis vel naturalis (cfr. supra p. 77) ad ultimum finem ut ad terminum omnino necessarium, a quo actus specificetur i. e. intrinsecus constituatur moralis tanquam principio suo *ontologico*. Utrumque principium intrinsecum actus moralis s. Doctor comprehendit docens: „Quandocunque ergo actus hominis procedit *in finem secundum ordinem rationis et legis aeternae*, tunc actus est rectus, quando autem ab hac rectitudine obliquatur, tunc dicitur peccatum" (ibid. qu. 21, art. 1 Resp.).

2. Porro si s. Thomas docet, moralitatem actus dependere *ex lege aeterna*, hanc statuit normam obiectivam remotam, per quam mens nostra ipsa ut norma proxima mensuretur. Lex enim aeterna vocatur ipsa ratio divina, ad quam „ratio humana ut causa secunda primae subordinatae comparetur" (qu. 19, a. 4, conclusio). Obicienti autem, non posse esse plures mensuras eiusdem rei sc. rationem humanam et divinam, et legem aeternam nobis

[1]) Ibid. qu. 1, a. 3.

esse ignotam, respondet, nihil obstare, quominus plures sint eiusdem rei mensurae, dummodo „una sub alia subordinetur“; et legem aeternam, „licet nobis sit ignota, secundum quod est in mente divina, innotescere tamen nobis aliqualiter vel per rationem naturalem, quae ab ea derivatur ut propria eius imago, vel per aliqualem revelationem superadditam“ (ibid. ad primum et tertium). — Patet, in responsione addi revelationem divinam, quia s. Thomas non solum moralitatem naturalem actuum humanorum, sed etiam supernaturalem, quae priorem iam supponit, explicat. Relationem autem inter rationem humanam et divinam respectu moralitatis actuum clare exprimit docens: „In his vero quae aguntur per voluntatem, regula *proxima* est ratio humana, regula autem suprema est *lex aeterna*“ (qu. 21, a. 1 Resp.).

3. Denique s. Thomas docet, „bonitatem voluntatis nostrae dependere ex conformitate ad *voluntatem divinam*“, quia „requiritur ad bonitatem humanae voluntatis, quod ordinetur ad summum bonum. Hoc autem bonum primum quidem et per se comparatur ad voluntatem divinam ut obiectum proprium eius. . . . Ergo ad hoc quod voluntas hominis sit bona, requiritur, quod conformetur voluntati divinae“ (qu. 19 a. 9 Resp.). Ex hac argumentatione apparet, Aquinatem voluntatem divinam non eo sensu statuere principium formale moralitatis, quo eam supra p. 27 refutavimus; neque hoc loco eam considerare, ut est principium formale *obligationis*, sed in quantum eius obiectum, quod est perfectio divina, coincidat cum ultimo fine nostro, qui est eadem perfectio divina cognoscenda et amanda. Patet igitur, eum voluntatem divinam eo sensu accipere, quo nos naturam divinam ut summum bonum, i. e. plenitudinem perfectionis, normam ultimam, eamque fundamentalem probavimus (supra p. 85 sq.). Divina enim voluntas amat hanc essentiae divinae perfectionem eiusque imitationem per actus nostros liberos i. e. morales; ac proinde hos actus fieri vult pro cuiusque hominis conditione, et actus contrarios, utpote divinae perfectioni repugnantes, abominatur. Hunc illis verbis subesse sensum praesertim apparet ex obiectione prima, quam s. Doctor sibi facit (qu. 19, art. 10), nos nescire Dei voluntatem ac proinde nostram ei conformare non posse voluntatem. Respondet enim: „Volitum divinum, secundum *rationem cummunem*, quale sit, scire possumus; scimus enim quod Deus, quidquid vult, vult sub ratione boni. Et ideo quicunque vult aliquid sub quacunque ratione boni, habet voluntatem conformem voluntati divinae, quantum ad *rationem* voliti. Sed in *particulari* nescimus, quid Deus velit, et quantum ad hoc non tenemur conformare voluntatem nostram divinae voluntati.“ Dei igitur voluntas secundum s. Thomam iam supponit rationem boni, non eam constituit; *„vult enim sub ratione boni“* sc. boni divini. Quicunque igitur „vult aliquid sub *quacunque ratione* boni, habet (eo ipso) voluntatem conformem voluntati divinae“, quin *actu* hanc conformitatem intendat (cfr. supra p. 77). Proinde non requiritur ulla revelatio divina, saltem si bonum naturale spectatur, quae necessaria esset, si scire deberemus, quid Deus „in particulari“ velit, ut conformatio „materialis“ adsit. Sufficit igitur conformatio voluntatis nostrae cum divina in genere, i. e. „formalis“ conformatio, quae adest, quotiescunque *de facto* aliquod volumus, quod in se bonum est ac proinde cum obiecto voluntatis divinae, quod est summum bonum, finis

noster ultimus, concordat[1]). Patet igitur, doctrinam s. Thomae prorsus conformem esse cum ea, quam in thesi exposuimus.

Sectio III. De moralitate actuum humanorum in specie.

Praenotio: Vidimus, moralitatem in genere consistere in actuum humanorum relatione tum ad naturam nostram rationalem tum ad finem ultimum. Quaeritur nunc, quomodo genera et species moralitatis constituantur. Est autem distinguendum inter actus liberos *elicitos* ipsius voluntatis et ab ea aliis potentiis animae elicitos, sed a voluntate *imperatos*, qui ab illis ratione exsistentiae et moralitatis dependent. Statuitur igitur

Thesis IV: Distinguitur duplex genus moralitatis: alia bona, alia mala; moralitas actuum imperatorum obiectiva dependet a solo obiecto actionis, subiectiva ab actibus elicitis sive ab intentione agentis; haec autem derivatur primarie ex obiecto, secundario ex circumstantiis et fine actionis; sunt actus moraliter indifferentes in specie, non tamen probabiliter in individuo.

St. qu. 1. Genus duplex distinguitur: perfectum sive proprium, et imperfectum sive analogicum (cfr. vol. I, p. 386 sq.); illud formatur per notam positivam, hoc potius per negationem notae positivae, quemadmodum, e. g. conceptus entis rationis (cfr. vol. I, p. 391) ex conceptu entis realis, transcendentalis per eius negationem habetur. Sic in thesi nostra genus moralitatis malae concipimus, quia formatur per negationem relationis debitae, i. e. per privationem.

2. Moralitas obiectiva actuum imperatorum dependet ab obiecto horum actuum per se solo considerato, i. e. a fine operis ipsius (finis intrinsecus; cfr. vol. I, p. 517 sq.), quem actus habet ex natura sua; e. g. finis eleemosynae est, sublevare pauperem; finis studendi, scientiam acquirere; finis edendi, vitam corporalem conservare. Potest esse, ut hic finis operis sit etiam finis operantis, sed potest etiam alii fini ei per se extrinseco subordinari tanquam medium ad finem simpliciter, vel finis proximus et intermedius ad ulteriorem; sic qui eleemosynam dat ex vana gloria, vel ex amore Dei; qui studet ad honorem acquirendum, qui comedit ad delectationem capiendam. Tunc ad *obiectivam* moralitatem actus imperati accedit *subiectiva* actus eliciti, qui illam habet tanquam obiectum suum materiale[2]) et in genere vel specie moralitatis constituit.

[1]) Non igitur satis recte Rietter „principium ethicum“ s. Thomae exprimit his verbis: „Strebe nach Conformität mit dem göttlichen Willen, welcher durch die von der Offenbarung erleuchtete Vernunft sich dir kund gibt und summarisch in dem Satze sich ausspricht: Liebe Gott über alles und den Nächsten, wie dich selbst“ (l. c. p. 88).

[2]) Cfr. S. Theol. I, II, qu. 20, a. 1; de malo, qu. 2, a. 3.

3. Praecipua igitur quaestio est, quomodo actus eliciti voluntatis in certa specie moralitatis constituantur; affirmamus, hoc fieri primario per eorum obiectum idque formale; secundario autem, quotiescunque obiectum per se indifferens est, per circumstantias sive subiecti agentis, sive obiecti, sive ipsius actionis, et praesertim per finem agentis, qui etiam eius intentio vocatur [1]).

4. Actus quoad moralitatem indifferentes *in specie* illi vocantur, qui solum ratione *obiecti* sui considerantur, sive sunt eliciti, sive imperati. *Circumstantiae* vocantur quaedam determinationes, quae vel subiectum vel obiectum vel actionem ipsam afficiunt, et duce Aristotele [2]) enumerantur: Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando, quarum quis, quibus auxiliis, cur ad ipsum subiectum quid ad obiectum; ubi, quomodo, quando ad actionem directe pertinent [3]). — *Finis* autem hic non ille principalis attenditur, qui est obiectum proprium actus eliciti, i. e. finis operantis, sed *secundarii*, qui tanquam *motiva* concurrunt ad finem principalem (intentionem) appetendum, e. g. qui iter instituit primario quidem ad sanitatem restituendam vel confortandam, attamen secundario etiam ad amicum visitandum, vel urbes monumentaque videnda, vel ad studia complenda. — In individuo actus spectantur, si circumstantiae concretae agentis, praesertim vero eius finis sive intentio considerantur. Hoc modo nullas actiones deliberatas moraliter indifferentes esse censemus cum s. Thoma [4]) et plerisque philosophis et theologis hodiernis contra Scotistas [5]).

I. *Distinguitur duplex genus moralitatis: alia bona, alia mala.*

Prob. 1. *Ex norma et fine actus moralis:* Moralitas actus humani in eo consistit, quod conformis vel difformis sit tum naturae rationali hominis, tum fini nostro. *Atqui* in conformitate actus humani consistit eius bonitas moralis, in eius autem difformitate malitia moralis. *Ergo* duplex est moralitas: bona et mala. Haec autem differentia moralitatis est suprema, tum quia oritur ex simplici affirmatione vel negatione relationis debitae, quemadmodum conceptus entis et non-entis; tum quia moralitas bona et mala diversa genera et species moralitatis sub se habent, sicut et conceptus entis et non-entis.

2. *Sunt genera analogica:* Genera analogica sunt, quae non constituuntur per notas genericas positivas, sed negativas. *Atqui* genus

[1]) Ibid. qu. 18, tota. [2]) Cfr. S. Thomam, I, II, qu. 7. a. 3.
[3]) Cfr. Simar, l. c. p. 148. [4]) S. Theol. I, II, qu. 18, a. 8 et 9.
[5]) Cfr. Frins, l. c. II, 521 sq. Simar, l. c. p. 153 sq. Billuart, De actibus hum. dissert. 4, art. 6.

moralitatis malae, e. g. peccati, vitii, non formatur per notam positivam actui physico superadditam; actus enim omnes, ac proinde etiam morales, specificantur, i. e. *intrinsecus* constituuntur per obiecta sua, ita ut non possimus *realiter* distinguere actum a sua specificatione, i. e. eius realitatem physicam a sua specie; idem enim actus physicus, e. g. temperantiae vel intemperantiae, simul etiam specificus est et moralis. *Ergo* genus moralitatis malae formatur per relationem ad moralitatem bonam, negando *debitam relationem* actus per modum *privationis*.

Bonum igitur et malum, si *abstracte* sumuntur, contrarie sibi opponuntur; si vero *concrete*, i. e. in ipsis actibus et subiectis spectantur, privative sibi opponuntur (cfr. vol. I, p. 451 sq.). Ex dictis patet, conceptum mali moralis formari per analogiam attributionis eamque extrinsecam ad conceptum boni moralis, sicut conceptus *entis rationis* ad analogiam *entis realis* (cfr. vol. I, p. 391 sq.). Porro patet ex hoc ipso, moralitatem sive bonam sive malam non constitui intrinsecus per *realitatem* aliquam modalem, accidentalem, actui physico superadditam, quemadmodum aliqui Thomistae sentiebant, in hac re immerito ad auctoritatem s. Thomae appellantes [1]).

II. *Moralitas actuum imperatorum obiectiva dependet a solo obiecto actionis.*

Prob. 1. *Ex natura actus:* Omnis actus specificatur per obiectum suum formale, quia se habet ad illud tanquam effectus ad causam simulque tanquam medium ad finem (cfr. vol. I, p. 484). *Atqui* actus imperati, sive sunt actus intellectus sive potentiae alicuius sensitivae, imo etiam voluntatis ipsius, habent obiectum aliquod, quod vel conforme vel difforme vel saltem indifferens est naturae nostrae et fini ultimo, in qua relatione obiectorum consistit bonitas et malitia moralis. *Ergo* actus imperati moralitatem suam obiectivam a solo obiecto formale habent. Si igitur obiecta formalia specie differunt, e. g. sublevare pauperem, abstinere a cibis, alicui reddere suum, etiam actus illi morales specie differunt.

2. *Ex propria conscientia:* Si actus aliquis a voluntate imperatur, e. g. studium scientiae, iter instituendum, cibi potusque sumendi etc., ut moraliter agamus, semper et ante omnia inquirendum est, utrum obiectum illius actus nobis conveniat necne, ratione naturae humanae in genere, sive in individuo. *Atqui* haec relatio constituit moralitatem obiecti, et est specie diversa pro natura obiectorum; haec enim est fundamentum obiectivum huius relationis, et ex fundamento natura relationis tota dependet (cfr. vol. I, p. 491 sq.). *Ergo* moralitas actuum imperatorum obiectiva eiusque natura specifica ex solo obiecto repetenda est.

[1]) S. Theol. I, II, qu. 18, a. 4 et 5; cfr. Frins, l. c. II, p. 179 sq.

3. *Ex communi consensu:* Constat, omnes homines distinguere diversas species moralitatis, e. g. misericordiam, iustitiam, temperantiam etc. *Atqui* similiter constat, homines illas species actuum et virtutum moralium non distinguere propter subiectivam operantium intentionem, quae prorsus alia esse potest a fine operis, et quae nos per se latet; e. g. eleemosyna distributa ex vana gloria. *Ergo* actus imperati moralitas specifica nonnisi ex obiecto cognoscitur.

4. *Ex absurdis:* Quod nisi concederetur, norma *obiectiva* omnis moralitatis, etiam subiectivae, destrueretur; nam tunc omnis moralitas in actus imperatos ab elicitis voluntatis derivaretur. *Atqui* etiam actus eliciti, ut mox videbimus, habent moralitatem obiectivam, quae primario in eorum obiecto fundatur. Hoc autem obiectum vel idem est cum obiecto actus imperati aut non; si primum, patet, actum imperatum per idem obiectum habere suam moralitatem, per quod habet elicitus; sin alterum, saltem indirecte obiectum actus imperati recipit suam moralitatem ab *obiecto* actus eliciti, siquidem ut medium ad finem, ut causa ad effectum ordinatur, unde particeps fit moralitatis obiectivae. *Ergo* actus imperatus obiectivam suam moralitatem eamque specificam ex obiecto suo recipit.

III. *Subiectiva moralitas actuum imperatorum dependet ab actibus elicitis ipsius voluntatis.*

Prob. 1. *Ex relatione inter actus imperatos et elicitos:* Moralitas subiectiva in actibus imperatis adest, si eorum moralitas obiectiva ab agente expresse cognoscitur et intenditur, e. g. bonitas moralis in eleemosyna elargienda, in recreatione debita et moderata. *Atqui* hoc fit per actus elicitos voluntatis, qui actus imperatos habent tanquam obiectum proximum suum seu formale, quando obiectum *formale* utriusque actus est idem; vel saltem materiale, si obiectum actus imperati habet rationem medii, e. g. eleemosyna ad Dei honorem impertita. *Ergo* subiectiva moralitas actibus imperatis inest per actus elicitos.

2. *Ex communi consensu:* Saepe actus imperati subiectivam habent moralitatem sive bonam sive malam, quam non possunt ex se habere: a) vel quia eorum obiectum est indifferens ratione moralitatis e. g. deambulare; b) vel quia adest subiectiva bonitas, non tamen obiectiva, e. g. qui mendacium adhibet sive furtum committit ad alios iuvandos, ex errore inculpabili arbitrans, hoc licere; c) vel quia adest subiectiva malitia, licet actus imperatus in se bonus sit; e. g. qui eleemosynam elargitur ad vanam gloriam acquirendam, vel ad pauperem pervertendum. *Atqui* subiectiva moralitas, nisi in actibus imperatis inest per se, debet inesse per accidens, i. e. per actum elicitum voluntatis ad eum accedentem eumque informantem per moralitatem suam propriam subiectivam.

IV. *In actibus elicitis voluntatis ipsius moralitas subiectiva inest primarie per obiectum eorum formale, secundario per circumstantias et fines eorum.*

A. *Primarie per obiectum.*

Prob. 1. *Ex natura actus:* Omnis actus per eius obiectum specificatur, i. e. in specie aliqua constituitur. *Atqui* actus elicitus voluntatis est actus distinctus ab omnibus aliis: a) ratione principii, quia procedit ex deliberatione mentis et voluntatis libera determinatione; b) ratione obiecti formalis, quia eius obiectum formale sunt actus imperati, i. e. actus aliarum potentiarum sive etiam ipsius voluntatis, in quantum illi actus naturae nostrae conformes, vel difformes, vel saltem indifferentes sunt. *Ergo* etiam actus elicitus voluntatis specificatur, i. e. in genere moralitatis constituitur per obiectum suum formale, idque primarie, quia in actione omni obiectum ut terminus actionis omnine essentiale est.

2. *Ex experientia:* Conscientia moralis tum nostra tum aliorum hominum testatur, nos, quotiescunque moraliter agendum est, prius et ante omnia cogitare debere de honestate obiecti proprii, quod intendimus; neque solum sufficere, ut obiectum proximum actionis i. e. finis operis sive intrinsecus sit bonum, sed etiam finis operantis, finis extrinsecus, qui est obiectum formale actus eliciti, cui finis operis subordinatur, e. g. eleemosyna in se bona, quae etiam ad finem bonum e. g. ad poenitentiam faciendam, amorem Dei promovendum ordinatur. E contrario actus ille elicitus habetur malus, cuius obiectum proprium i. e. finis operantis non est honestus. *Ergo* actus elicitus moralitatem suam recipit ab obiecto suo idque primarie.

B. *Secundarie per circumstantias.*

Prob. 1. *Ex natura circumstantiarum:* Circumstantiae sunt quaedam determinationes (proprietates), quae sive subiectum, sive obiectum, sive modum actionis modificant vel immutant. *Atqui* a) si subiectum activitatis modificant, relatio quoque obiecti vel actus ad subiectum modificatur ac proinde etiam moralitas actus, quae in illa relatione fundatur; sic saepe non licet patrifamilias, vel filio, vel magistratibus, quod licet aliis; b) si obiectum modificant, idem dicendum est, e. g. uti re sua vel aliena, licet res in se materialiter eadem sit; c) si modum actionis modificant, e. g. qui immoderate manducat vel bibit. *Ergo* ex circumstantiis moralitas actionis aliquo modo dependet, idque *secundarie*, quia circumstantiae per se habent rationem accidentium, quae rei substantiam i. e. hoc loco obiecti moralitatem aliquam iam supponunt.

2. *Ex differentia circumstantiarum:* Sunt circumstantiae, quae rei naturam solum accidentaliter immutent, et sunt, quae eam essentialiter immutent ac proinde in alia specie constituant. *Atqui si primum,* moralitas actionis non specie mutatur, sed vel *augetur* vel *diminuitur* eius bonitas vel malitia, e. g. *actus* intensior sive remissior caritatis vel peccati; si maior adfuerit vel minor in *agente* cognitio boni vel mali, maior vel minor affectus vel tentatio ex parte concupiscentiae; si *obiectum* plus vel minus dignum fuit e. g. maior vel minor copia pecuniae pauperi elargita. Sin *alterum,* tunc actus moralis, sive ratione subiecti, sive actus, sive obiecti novam induit speciem moralem, quam ex obiecto et subiecto solo non habebat; e. g. magistratus puniens iniustum et homo privatus; punitio iusti vel iniusti; punitio iniusti quidem, sed modo crudeli vel inhumano. *Ergo* actus elicitus secundario etiam per circumstantias specificatur.

C. *Secundarie etiam per fines.*

Prob. 1. *Ex natura finis secundarii:* Finis secundarii sunt quaedam rationes boni accidentales, quae accedunt ad bonitatem principalem obiecti, et voluntatem plus vel minus movent ad finem consequendum. *Atqui* hae rationes boni vel apprehenduntur ut nobis convenientes vel non convenientes: Si *primum,* sunt honestae, et *augent* bonitatem principalem actus e. g. eleemosyna ad pauperem sublevandum, sed simul ad avaritiam vincendam; vel si actio principalis est mala, *diminuunt* eius malitiam, e. g. qui eleemosynam dat ex vana gloria, ut videatur vel ut corrumpat pauperem, attamen simul ex aliquo affectu compassionis. *Sin alterum,* diminuunt bonitatem principalem actus, et quo magis influit tale motivum in actum eliciendum, eo magis diminuit eius bonitatem; si vero tandem fit ratio praevalens, destruit bonitatem actus; sic qui bibit primum quidem ex naturae necessitate, attamen ita, ut tandem se inebriet. Si autem intentio principalis ex se iam est illicita, motivum inhonestum auget malitiam actus, et si tandem praevalet, potest malitiae actus eliciti primariae aliam specifice diversam addere, ita ut duplex inde peccatum specie diversum adsit, e. g. qui furatur ad alium hominem perdendum; est peccatum contra iustitiam et caritatem. *Ergo* actus moralis secundarie etiam per fines specificatur.

2. *Ex experientia interna et externa:* Constat per testimonium conscientiae nostrae et aliorum hominum, non solum ex intentione principali (ex fine operantis), sed etiam ex motivis plus minus nos impellentibus valorem moralem actionis nostrae liberae dependere, ita ut actio nostra bona maius meritum habeat, quo maiora et meliora adsint motiva, e converso, minus mereri laudem, quando motiva minus honesta adsunt, etiamsi actus eiusque effectus iidem permaneant. Porro etiamsi actio in se mala sit, excusamur, si motiva aderant honesta, vel etiam vehementius vituperamur, quando ad actionem per se immoralem motiva inhonesta plura accesserint. *Ergo* actus moralis etiam a finibus saltem secundarie dependet.

V. *Sunt actus moraliter indifferentes in specie, non tamen probabiliter in individuo.*

A. *Quoad actus in specie.*

Prob. 1. *Ex natura actuum humanorum:* Species actus ex eius obiecto determinatur; si igitur sunt obiecta, quae *ex se solis* neque conformitatis neque difformitatis relationem habent cum natura et fine nostro, sunt actus ex obiecto suo i. e. ex specie sua indifferentes. *Atqui* sunt eiusmodi obiecta multa, quae ex se neque honesta neque inhonesta vocari possunt, sed indigent determinatione extrinseca, ut ex fine operantis fiant honesta vel inhonesta; e. g. deambulare, studere sunt actiones ex se indifferentes, quae possunt ad bonum et ad malum morale adhiberi. *Ergo* sunt actus humani in specie indifferentes.

2. *Ex absurdis:* Quodsi omnes actus humani in specie, i. e. ex obiecto suo essent boni vel mali, quum haec obiecta nobis cognita sint, semper de moralitate actionum singulorum hominum in individuo diiudicare possemus, neque differentiam statueremus inter obiecta actionum *per se* mala vel bona, et alia per se indifferentia et aliunde determinanda ratione honestatis. *Atqui* saepe non possumus iudicare de moralitate actuum singulorum hominum, siquidem externe eodem modo operantur, sicut alii. Porro distinguimus inter obiecta actionum per se moralia, e. g. mendacium, periurium, et per se indifferentia nec laude nec vituperatione digna, e. g. manducare, bibere, deambulare, scribere, modo haec obiecta abstracte et in se, non individuo considerentur i. e. sine intentione subiecti agentis, sine fine operantis, quo certe in specie moralitatis constituuntur. *Ergo* sunt actus humani *in specie* indifferentes.

B. *Actus humani in individuo.*

Prob. 1. *Ex natura actus humani:* Actus humanus est ille, qui procedit ex praevia deliberatione et voluntatis libera determinatione. *Atqui* ratio deliberans illum actum tum ratione obiecti, tum saltem ratione circumstantiarum et finis vel distincte vel saltem confuse apprehendit aut convenientem cum natura rationali fineque nostro, aut non convenientem; si *primum,* erit actus honestus; sin *alterum,* erit actus inhonestus. *Ergo* quivis actus humanus in individuo est moralis.

Neve dixeris, illum actum ut indifferentem apprehendi; nam tunc saltem ut non inhonestus cognoscitur ac proinde ut licitus, quia bonitatem naturalem in se continet. Bonitas autem naturalis ex se tum nostrae naturae conveniens est, tum a natura ad finem nostrum ordinatur. Qui igitur hoc bonum intendit, honeste agit, licet forte sit honestas infimi gradus.

2. *Ex absurdis:* Si actus humani in individuo essent indifferentes, sicut in specie, tunc praeter ordinem obiectivum eorum adhuc actualis intentio honestatis et ordinatio expressa ad finem altiorem requireretur, eaque actualis vel saltem virtualis, quae actualem tandem supponit, et plerique actus plurimorum hominum, praesertim rudium, per totam fere vitam indifferentes essent, i. e. non honesti, siquidem illi homines de honestate actionis expresse vix unquam cogitant, idque non ex culpa sua, sed potius ex conditione sua individuali vel statu sociali. *Atqui* hoc videtur tum hominum dignitati tum Dei providentiae circa homines repugnare, praesertim quum omnium aliorum entium operationes, natura ipsa duce, ab eorum fine ultimo non deficiant. *Ergo* dicendum videtur, actus humanos eo ipso esse honestos, quotiescunque nulla inhonestas obiectiva in eis apparet, licet haec honestas sit infimi gradus; esse autem inhonestos, quando inordinatio obiectiva positive cognoscitur.

Coroll. I. Ex dictis patet, actus in specie indifferentes fieri morales per ordinationem rationis individuae: *bonos,* si ad finem bonum diriguntur; *malos,* si fini inhonesto subordinantur. Ad bonitatem autem eorum moralem naturalem non videtur requiri sive actualis sive virtualis intentio vel ordinatio ad finem ipsis *extrinsecum* (cfr. supra p. 77), sed sufficere intentionem naturalem, eo quod nulla inhonestas in eis apprehendatur, ut eo ipso habeant bonitatem naturalem, saltem in genere et infimi gradus. Hoc modo et deambulare et comedere et colloqui aliaeque actiones per se viles sunt naturaliter honestae, quamvis neque expresse de eorum honestate quis cogitaverit, neque eam actualiter vel etiam virtualiter intenderit. Dico *naturaliter* honestae; nam ut habeant honestatem supernaturalem et meritum pro vita beata, requiritur vel actualis, vel virtualis, vel habitualis intentio; i. e. aliquando, saltem tempore conversionis, hae actiones per intentionem actualem fidei, spei vel caritatis in finem ultimum supernaturalem, qui est Deus beate possidendus, dirigi debuerunt[1]). Patet autem, actionem moralem tum naturalem tum supernaturalem eo perfectiorem fieri, quo magis intentio est actualis atque intensa.

II. Quum igitur sint quidem actus in specie indifferentes, non autem in individio, oportet illi fiant morales per intentionem agentis sive actualem sive virtualem sive saltem habitualem, quae si sit in se bona, hanc suam bonitatem confert etiam actibus per se in specie indifferentibus, et hoc sensu axioma illud accipiendum est celebre: *„Finis sanctificat media"*. Si enim media, quae sunt actus imperati eorumque obiecta, sunt in se *indifferentia,*

[1]) Cfr. Noldin, De principiis theol. mor., 1905[5], p. 29; Simar, l. c. §§ 56 et 59. Ernst, Notwendigkeit der guten Meinung, 1905.

per intentionem subiectivam agentis informata, constituuntur in specie moralitatis, ita ut, sicut haec, fiant bona vel mala. Si autem illa media in se iam sunt *obiective* bona et accedit bona intentio, eorum bonitas fit etiam *subiectiva,* si finis operis est etiam finis operantis. Immo si per intentionem agentis ad finem altiorem et digniorem ipsis extrinsecum diriguntur, e. g. eleemosyna ad Deum honorandum, in *nova specie* moralitatis constituuntur, cui bonitas obiectiva medii subordinatur; ita in exemplo proposito duplex adest bonitas: misericordiae (operis caritatis in proximum) *subordinata* bonitati religionis (charitati divinae)[1]). Valet igitur axioma supra enuntiatum, quando media, i. e. actus imperati a voluntate obiective vel *indifferentes* sunt vel *etiam boni,* modo finis operantis sit bonus.

Quodsi media sunt *obiective mala,* simulque intentio agentis est subiective mala, patet, totam actionem et subiective et obiective immoralem esse; et si actus obiective malus ad finem operantis a fine operis specie distinctum ordinatur, totus actus novam speciem malitiae induit, ita ut sit duplex peccatum, e. g. qui furatur ad hominem perdendum. Si vero media in se sunt mala, intentio autem operantis bona, duplex casus distinguitur: 1. Media illa non ut mala cognoscuntur, et tunc per finem operantis, i. e. per eius intentionen bonam, non quidem obiective, sed subiective bona fiunt. 2. Media ut mala cognoscuntur, attamen *per errorem inculpabilem* quis putat, ea per bonam intentionem et ipsa fieri bona; sic si quis crederet mentiendum esse, ne alius detrimentum patiatur; hominem aliquem sceleratum occidendum esse, ne alios pervertat vel Deum diutius offendat; aliquem bonis suis esse privandum, ne male eis utatur in suam aliorumque perditionem. Quamvis hic casus certe rarior sit, quam prior, attamen potest evenire. Sic multi putant, mendacium licitum, immo praeceptum esse, si prosit (cfr. supra p. 22, 37), praesertim ad salutem publicam; ita Schopenhauer, E. v. Hartmann, Paulsen, Ziegler, Gallwitz, Ulrich aliique multi. Patet, si error ille est invincibilis atque inculpabilis (e. g. ex educatione, moribus ortus), tunc *subiectivam* adesse bonitatem, siquidem per actum elicitum, qui ex suppositione bonus est, informatur. 3. Media ut mala cognoscuntur, adhibentur tamen ad finem per se bonum, ut inde bonus effectus habeatur, e. g. mendacium ad miseros sublevandos, occisio scelerati ad mala praecavenda[2]). Patet, tunc ne subiectivam quidem bonitatem in actu illo adesse posse, siquidem intentio se habet ad actum imperatum tanquam forma ad materiam et cum ipso unum actum adaequatum constituit. Actus autem obiective malus et ut talis cognitus non est materia apta ad actum moralem constituendum, et quemadmodum in syllogismo conclusio sequitur semper peiorem partem, ita in actu morali, ut sit bonus, requiritur bonitas omnium elementorum, ex quibus oritur: ex obiecto,

[1]) S. Theol. I, II, qu. 18, a. 7.

[2]) Hoc sensu multi axioma: „Finis sanctificat media" Iesuitis prorsus immerito tribuunt, e. g. E. v. Hartmann, Martensen, Th. Ziegler, Gass, Gallwitz, Luthardt, Zöckler et nuper Hoensbroech, exjesuita. — Contra quos vide Duhr, Jesuitenfabeln, 1904[4]; Reichmann, Der Zweck heiligt die Mittel; Heiner, Der Jesuitismus, 1902[4]; Der Zweck heiligt die Mittel, 1904. Pilatus (Dr. Victor Naumann), Quos ego! 1903, p. 255 sq.; porro Der Jesuitismus, 1905, p. 274 et 543 sq. Mausbach, Die kath. Moral, 1901.

circumstantiis, fine. Unde veterum axioma, iam a Dionysio „Areopagita" saec. V propositum: *„Bonum ex integra causa, malum ex quocunque defectu"* [1].

III. Quum moralitas *subiectiva* actus dependeat ex intentione voluntatis ac proinde ab actibus elicitis ipsius voluntatis, actus exterior sive imperatus totam suam bonitatem vel malitiam *subiectivam* recipit ab actibus elicitis, unde *per se* nihil confert ad subiectivam actus totius moralitatem; potest tamen *per accidens* aliquid addere, quia per actum exteriorem actus internus, i. e. elicitus voluntatis, tum quoad tempus magis continuatur, tum quoad intensionem augetur; propterea etiam actus exterior homini imputatur sive ad praemium sive ad poenam [2]. Tota igitur perfectio hominis est ex eius voluntate, et hoc sensu eius moralitas debet esse „autonoma", quae minime in actibus externis eorumque effectibus consistit. Iure igitur s. Augustinus: „Non faciunt bonos mores nisi boni amores" [3], vel: „Nihil est tam facile bonae voluntati quam ipsa sibi, et haec sufficit Deo" [4]. Et s. Thomas: „Homo dicitur bonus ex eo, quod habet voluntatem bonam, per quam reducit in actum, quidquid boni in ipso est" [5]. Hoc sensu etiam Kant recte bonam voluntatem vocat bonum unicum huius mundi [6].

Ex hoc autem minime licet deducere, opera externa (i. e. actus a voluntate imperatos) esse parvi aestimanda neque pertinere ad vitam moralem. Sunt enim et signa et alimenta affectus interni voluntatis, et quemadmodum ignis, cuius flamma comprimitur, vel cui nova materia non apponitur, mox extinguitur, ita etiam affectus bonus voluntatis brevi cessat, nisi in opera externa exire possit; haec enim sunt eius materia propria atque necessaria, circa quam affectus cordis versatur. „Ex fructibus eorum cognoscetis eos" [7].

Liber tertius: De causis sive fontibus actus moralis.

Usque modo exsistentiam ordinis moralis eiusque naturam intrinsecam (causam formalem) investigavimus; restat, ut etiam eius originem, i. e. causas efficientes actus illius, in quo moralitas formaliter et proprie inest, explicemus. Iam vero causae extrinsecae et intrinsecae actus moralis distinguendae sunt; illae sunt *leges morales* et quae eas sequuntur sc. *obligatio* et *sanctio*, quae *causam potius moralem*, intellectum et voluntatem moventem (cfr. vol. I, p. 505), constituunt: hae vero sunt ipsa *voluntas* ut potentia physica libera eiusque perfectio per *habitus morales* (virtutes), quae proprie ut *causa*

[1]) S. Theol. I, II, qu. 19 art. 7 ad 3. [2]) S. Theol. I, II, qu. 20 tota, praesertim art. 4. [3]) Sermo 311 n. 11. [4]) Sermo 70, c. 3.

[5]) C. gent. III, c. 116; cfr. Matth. 15, 11—20; Marc. 7, 18—23.

[6]) Grundlegung zur Metaphysik der Sitten, p. 1 (post proëmium): „Es ist überall nichts in der Welt, ja überhaupt auch ausser derselben zu denken möglich, was ohne Einschränkung für gut gehalten werden könnte, als allein ein guter Wille." Errat autem in eo, quod obiecta voluntatis eorumque relationes non tanquam eius normam obiectivam admittit.

[7]) Cfr. Matth. 7, 16—20; 12, 33; Luc. 6, 43—44; Iacob. 2, 14—26.

physica efficiens actum moralem producunt; porro *conscientia*, ut norma subiectiva actus moralis, in quantum motum voluntatis obiecto proposito sive spontaneum sive liberum causat; habet igitur potius rationem *causae finalis extrinsecae* (cfr. vol. II, p. 370, 381; supra p. 77).

Caput I: De lege eiusque obligatione et sanctione sive de causa morali actuum humanorum.

§ 1. De lege.

Praenotio: Ut lex rite intelligatur, tres potissimum quaestiones resolvendae sunt: de natura et divisione legis, de exsistentia legis, de proprietatibus legis.

Sect. I: De natura et divisione legis.

A. *Notio legis.*

1. *Lex in genere* [1]): Lex, quam vocem aliqui derivant a ligare, alii a legere, alii ab eligere [2]), significat normam et mensuram actionis, eamque constantem et uniformem. Quamvis tales normae etiam in rebus ratione destitutis inveniantur — loquimur enim de legibus physicis, chimicis, mechanicis, physiologicis, psychophysicis — attamen proprie conceptus legis applicatur ad normas, quae actiones humanas dirigunt. Iam vero actus humani sensu latiore activitatem mentis et voluntatis comprehendunt; quare distinguuntur leges logicae et morales. Leges logicae pertinent ad logicam et criticam, unde hic solum leges voluntatis spectantur, quae actiones nostras *liberas* regunt. Sed actiones liberae possunt opus externum spectare, e. g. artes, in quantum dirigunt potius actus a voluntate imperatos ac proinde per accidens liberos, et possunt ipsum actum elicitum voluntatis afficere, significantes, quid voluntas *debeat* facere vel omittere, idque non *conditionate*, i. e. si velit effectum certum producere, ut leges artis, vel logicae, vel grammaticae, sed *absolute*, ne voluntas eiusque actus *in se ipso* sit moraliter malus, licet actio quoad realitatem suam physicam possit esse valde perfecta, e. g. crimen magna sagacitate et constantia patratum. Patet, nobis hoc loco de his legibus *proprie moralibus* voluntatem liberam ipsam afficientibus esse sermonem. Neque confundendae sunt cum legibus improprie moralibus, quae voluntatis *naturam* potius, quam actus spectant, quasque voluntas necessario sequitur, ut sunt leges: Omnes felicitatem appetunt; nemo gratis mendax; nemo libenter fallitur etc.

[1]) S. Theol. I, II, qu. 90 tota; cfr. vol. I, p. 520.

[2]) Cfr. Cicero, De legibus, I, 19.

2. *Lex moralis in specie:* Haec igitur lex proprie moralis a s. Thoma definitur: „*Rationis ordinatio ad bonum commune, et ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata*“ [1]). Quae definitio ad leges civiles per se applicata vel potius ab eis abstracta, ad omnes leges proprie morales adhiberi potest. Lex igitur moralis vocatur a) „Ordinatio rationis“, ut distinguatur a normis operandi rerum non rationalium et significet normam agendi in hominibus, in quantum sunt rationales et liberam habent voluntatem; b) dicitur „ad bonum commune“ spectare, quia leges tum in civitate, tum a Deo, supremo dominatore universi, directe statuuntur, ut bonum omnium inde resultet, indirecte autem etiam bonum individuorum, quod in communi continetur, intenditur; unde differunt a norma agendi, quam quisque sibi libere constituit ad bonum aliquid particulare obtinendum. Patet, bonum commune esse finem legis ac proinde propriam eius rationem, quasi animam [2]). c) Dicitur „esse ab eo, qui communitatis curam habet“; nemo enim sibi ipsi proprie legem ferre potest absoluta obligandi potestate, neque per se bonum commune qua tale respicit. d) Denique requiritur „promulgatio“, ut lex agendi omnibus innotescat.

Iam vero lex moralis potest *active* et *passive* considerari: *Active* considerata exsistit in *legislatore*, sive rex sit in monarchia, sive moderator vel senatus rei publicae, idque in *mente* eius, in quantum normam agendi ad bonum commune aptam concipit et *voluntate* sua libera hanc normam primum interne statuit observandam a subditis, et deinde externe etiam eis certo modo pro natura legis manifestat atque promulgat. *Passive* considerata lex moralis exsistit in mente subditorum tanquam regula in operatione sequenda, et sese manifestat vel signo quodam externo, ut leges scriptae vel ore hominum traditae, vel signo interno i. e. mentis indole et inclinatione ad ordinem moralem, quae legibus improprie moralibus supra indicatis manifestantur. Patet, legem passive spectatam iam supponere legem activam ut causam suam. Lex autem active et passive sumpta adaequatam rationem legis constituit.

B. *Divisio legum* [3]).

1. Ratione *auctoris* leges distinguuntur *divinae* vel *humanae*, prout Deus leges statuit vel homines sive in familia, sive in societate civili vel religiosa.

2. Ratione *subiecti et obiecti* distinguuntur *leges praeceptivae*, quae aliquid faciendum praecipiunt, et dicuntur semper obligare sc.

[1]) S. Theol. I, II; qu. 90, a. 4 Resp.
[2]) Cfr. Jhering († 1892), Zweck im Recht, 1893/98 [3].
[3]) S. Theol. I, II, qu. 91, art. 1 et 2.

quando quid actu imponitur, sed non ad semper, in quantum non semper aliquid faciendum est., e. g. lex ieiunii, tributi solvendi; *leges prohibitivae*, quae aliquid vetant et dicuntur „semper et ad semper“ obligare, quia quovis momento actio prohibita omittenda est; *leges permissivae*, quae potestatem moralem, i. e. ius conferunt aliquid faciendi, ac proinde eo ipso aliis obligationem imponunt, ius illud non laedendi; *leges poenales*, quae non directe actum aliquem pro conscientia praescribunt vel prohibent, sed poenam statuunt pro transgressione externa legis.

3. Ratione *promulgationis* distinguuntur leges *naturales* et *positivae;* naturales sunt, quae afficiunt ipsam naturam humanam, unde solo lumine rationis nullo signo externo manifestantur, ac proinde necessariae sunt, pro omnibus et omni tempore valent aequo modo; positivae, quae signo externo innotescunt sive verbo sive scripto, neque in genere eaedem sunt apud omnes homines saepeque mutantur.

4. Ratione *durationis* distinguuntur *aeternae*, quae a tota aeternitate, utique in Dei mente et voluntate, exsistunt, sicut leges naturales; *temporales*, quae certo tempore ortae sunt, ut plerumque leges humanae positivae.

5. Denique ratione *originis* distinguuntur leges ex *legislatione* positiva ortae, ut leges plerumque civiles et ecclesiasticae, et ex *consuetudine* ortae, ut publici mores agendi veterum, qui postea saepe expresse tanquam leges statuuntur.

Sect. II. De exsistentia legis.

Triplex lex distinguitur: *Aeterna* in Deo, quae est omnium legum fundamentum; *naturalis*, quae ex lege aeterna fluit; *positiva*, quae in naturali fundatur.

Thesis V: Exsistit tum lex aeterna, tum naturalis, tum positiva.

St. qu. 1. Quid sit lex aeterna, naturalis, positiva, supra satis explicavimus. Lex aeterna hic non intelligitur nisi *activa* ac proinde inadaequata; nam passiva est in subditis, qui proinde exsistere debent; lex igitur passiva supponit exsistentiam rerum, quae non est aeterna (cfr. vol. II, p. 176 sq.). Lex igitur aeterna passiva potius coincidit cum lege naturali, quae *sensu latiore* ordinem omnium rerum exsistentium comprehendit, *sensu autem strictiore*, quem hic supponimus, ordinem moralem in hominibus ratione et voluntate praeditis.

2. *Adversarii* (historia quaestionis): a) Negant legem aeternam et naturalem, qui exsistentiam Dei negant, ut Materialistae, vel in dubium vocant, ut Agnostici et Positivistae; patet enim, Deo sublato, deficere legislatorem aeternum et absolutum, qui omnibus legem imponere possit. Moralem igitur necessitatem agendi confundunt

cum physica et mechanica necessitate, quae ex causis efficientibus oriatur, negantes libertatem voluntatis.

b) Alii vero negant saltem legem aeternam et naturalem *activam*, quae supponit Deum *personalem*, a mundo distinctum, intellectu et voluntate praeditum. Hoc modo sentiunt Pantheistae et Pantholistae, Deum et mundum confundentes, ita ut leges naturae etiam leges essent voluntatis nostrae; ita iam Stoici veteres, et Spinoza[1]) post eos, necnon Fichte, Deum statuens esse ipsam legem moralem, et Hegel, Deum praesentem esse civitatem ipsam, legibus per decursum saeculorum fundatam. — Item legem naturalem moralem activam reiciunt recentiores plurimi sive Positivistae sive Pantheistae, ordinem eiusque moralem obligationem repetentes ex societate humana per evolutionem culturae sive ex salute publica sive ex progressu generis humani, ut supra p. 35 sq. exposuimus. Leges igitur morales ipsis ortae sunt proxime ex moribus et legibus humanis, ultime ex instinctibus brutorum, a quibus homines descendere dicuntur.

c) Alii tandem non negant Deum quidem, sed negant, ab eo leges morales sive proxime sive ultime derivari. Sunt illi, qui, ut supra exposuimus, legem moralem eiusque obligationem ex autonomia rationis vel voluntatis nostrae explicant, ne moralitas dependeat a religione, neve sit heteronoma (cfr. supra 89).. Sic praesertim Kant[2]) et post ipsum omnes fere philosophi, qui ethicam *christianam* non iam recipiunt.

4. Profecto non sunt, qui leges humanas civiles sive politicas negent, at multi eas a fundamento suo, i. e. a lege naturali avellunt, docentes eas vel sola vi et potentia principum inventas et firmatas esse, vel ex moribus hominum vel salute publica ortas esse. Illud

[1]) „Nihil in statu naturali dari, quod ex omnium consensu bonum aut malum sit, quandoquidem unusquisque, qui in statu est naturali, suae tantummodo utilitati consulit . . . et nemini nisi sibi soli obtemperare ulla lege tenetur, atque adeo in statu naturali peccatum concipi nequit; at quidem in statu civili, ubi et communi consensu decernitur, quid bonum quidve malum sit, et unusquisque civitati obtemperare tenetur. . . . Deinde in statu naturali nemo ex communi consensu est alicuius rei dominus . . . hoc est in statu naturali nihil fit, quod iustum aut iniustum possit dici; at quidem in statu civili . . . ex quibus apparet, iustum et iniustum, peccatum et meritum notiones esse extrinsecas“ (Eth. IV, prop. 37, schol. 2). Similiter *Hobbes*, eius aequalis, († 1677) attamen Materialista: „Regulas boni et mali, iusti et iniusti, honesti et inhonesti esse leges civiles, ideoque quod legislator praeceperit, id pro bono, quod vetuerit, id pro malo habendum esse. . . . Ante imperia iustum et iniustum non exsistere . . . actionemque omnem sua natura adiaphoram esse“ (De cive c. 12, § 1).

[2]) „Reine Vernunft ist für sich allein praktisch und gibt (dem Menschen) ein allgemeines Gesetz, welches wir das Sittengesetz nennen“ (Kr. d. pr. Vernunft, p. 37).

tum veteres affirmabant sophistae (positivistae), ut Hippias, Gorgias, Thrasymachus aliique multi (cfr. supra p. 21 sq.), tum recentes Socialistae et Anarchistae[1]); hoc asserunt omnes Positivistae et Pantheistae recentes[2]), (cfr. supra p. 22 sq.), necnon plerique iurisprudentes duce Thomasio, Kant, Stahl, Ihering[3]) etc., qui legem proprie dictam ante leges civiles negant, quia eius deficeret sive promulgatio sive determinatio sive sanctio sufficiens.

I. *Exsistit lex aeterna eaque activa*[4]).

Prob. 1. *Ex Dei sapientia:* Deus, utpote omnisciens (cfr. vol. II, p. 586 sq.), cognoscit idque perfecte omnes res rerumque ordines possibiles, tanquam imitationes plus minus perfectas divinae naturae (cfr. vol. I, p. 431 sq.). In his autem certe etiam ille ordo est, qui aliquando per divinam voluntatem producendus erat. *Atqui* haec cognitio in Deo est aeterna. *Ergo* etiam ordo rerum nunc exsistentium legesque secundum quas omnia fiunt sive necessario sive libere, in cognitione Dei ab aeterno exsistunt, sicut in causa sua exemplari, quemadmodum opus artis et modus, quo producendum est, prius in mente artificis exsistit. Dei igitur *scientia* est lex ordinem rerum omnium *indicans*.

2. *Ex Dei sanctitate:* Divina voluntas, utpote sanctissima, non potest non approbare, quae divina sapientia ordinat, ne a se ipsa deficiat. *Atqui* ex ordinibus possibilibus infinite multis hunc praesentem decrevit aliquando producendum; hoc autem decretum, quo praesens ordo rerum factus est, in Deo est aeternum; Deus enim infinitus est ac proinde immutabilis (cfr. vol. II, p. 573). *Ergo* lex, per

[1]) Vide quid Henry, Anarchista, propter praesidentem rei publicae Gallicae interfectum morte condemnatus in tribunali dixerit, se hoc fecisse, fide in Deum et moralitate in eo fundata abiectis et spe vitae felicis delusa. Cathrein, Moralphilosophie, p. 378.

[2]) Sic *Paulsen*, System d. Ethik, 1900⁵, II, p. 514; „Es gibt Recht nur im Staat und durch den Staat . . . sie (die Staatsgewalt) ist formell die alleinige Quelle des Rechtes im Lande.“ *Wundt* (Logik, 1893², p. 533): „Das Recht fällt ursprünglich mit der Sitte zusammen.“ „Der einzige völlig autonome Rechtswille ist der des Staates“ (p. 545). — Attamen sibi ipsi repugnans p. 584: „Den sittlichen Zwecken müssen alle andern sich beugen. Darum behält auch in den Gebieten des Rechtes, die sich auf das sittlich gleichgültige beziehen, das Ethische immerfort in prohibitiver Form seine *normative* Bedeutung, indem es von *vornherein Rechtssatzungen ausschliesst, die direkt oder in ihren Folgen einen unsittlichen Inhalt bergen.*“ — Similiter sentiunt multi in Gallia, e. g. Belot, Durkheim, Lévy-Bruhl, Cantecor, Bayet, Payot, Buisson, contra quos Fonsegrive, Fouillée, Laudry, Bureau, Chollet etc. (cfr. Lit. Rundschau, 1907, p. 245 sq.; Etudes, 1907, p. 106, 766 sq.; Bureau, La crise morale, 1907², chap. VIII et IX).

[3]) Der Zweck im Recht, 1882, I, 318: „Der Staat ist die *einzige* Quelle des Rechtes.“ [4]) S. Theol. I, II, qu. 91, a. 1, qu. 93 tota.

quam voluntas divina ordinem praesentem constituit eumque servari iubet et perturbari vetat, est aeterna. — Divina igitur *voluntas* est lex ordinem rerum *constituens*.

3. *Ex divina providentia:* Divinae providentiae est, decreta divinae sapientiae et voluntatis exsequi, ut finis rerum singularum, praesertim rationalium, efficaciter obtineatur. *Atqui* haec divinae providentiae consilia sunt aeterna. *Ergo* lex aeterna activa in Deo exsistit. — Divina igitur *providentia* est lex aeterna *exsequens*.

Iure igitur s. Thomas: „Lex aeterna nihil aliud est, quam ratio divinae sapientiae, secundum quod est directiva omnium actionum et motuum"[1]). Et s. Augustinus: Lex aeterna est ratio divina vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari iubens et perturbari vetans"[2]).

II. *Exsistit lex naturalis moralis.*

Prob. 1. *Ex lege aeterna:* Ostendimus, exsistere legem aeternam, qua Deus ordinem mundi aliquando producendum ratione sua constituerit, voluntate decreverit, providentia sua exsequendum statuerit; idque pro natura rerum exsistentium. *Atqui* hic ordo ab aeterno constitutus certe etiam hominum vitam et activitatem comprehendit, immo primarie respicit, siquidem ad hominis usum et utilitatem res non rationales ordinantur. Sed homo, quum sit liber, non potest, sicut res irrationales, per physicam necessitatem ad finem suum dirigi, ita ut eum infallibiliter consequatur, sed lege et motivis propositis, ut moraliter in finem suum dirigatur. *Ergo* exsistit lex naturalis moralis; est enim ipsa lex aeterna passive, i. e. in subditis spectata, vel ut ait s. Thomas, „participatio legis aeternae in rationali creatura"[3]).

2. *Ex analogia:* Constat, ubique in rerum natura leges quasdam exsistere (physicas, chimicas, mechanicas, physiologicas, psychophysicas, psychologicas, logicas), quae rerum activitatem pro singularum natura regunt. *Atqui* homo, utpote res mundi princeps, per activitatem suam finem sibi proprium consequi debet. Hic autem finis non quolibet modo et arbitrario obtineri potest, sed a) solum activitate hominis naturae et fini conveniente; b) neque necessitate sive extrinseca sive intrinseca, sicut res ceterae, ad finem suum fertur, sed libere, ita ut ab eo deficere possit. *Ergo* debet etiam lex exsistere pro activitate humana, eaque moralis, non mere physica, ne libertas humana pereat.

3. *Ex absurdis:* Quodsi lex naturalis moralis nulla exsisteret, homini minus a Deo provisum esset, quam brutis, quae instinctu

[1]) S Theol. I, II, qu. 93, art. 1. [2]) Contra Faustum, l. 22, c. 27. [3]) L. c. qu. 91, a. 2.

suo a nativitate perfecto, certo atque infallibili in finem suum diriguntur. Homo autem nascitur valde imperfectus, et per inclinationes sensitivas vehementer ad malum impellitur. Nisi igitur leges quaedam morales exsisterent, eum efficaciter, saltem ex se, ad finem dirigentes, vix viam moralitatis incederet, licet discrimen inter bonum et malum cognosceret, siquidem impulsus visque ad moraliter agendum deficeret. *Atqui* repugnat, hominem minus efficaciter, utique pro natura sua, ad bonum impelli quam bruta; impellitur autem non coactione externa, neque instinctu vel inclinatione interna necessitante, sed modo morali, i. e. servata sua libertate legibus ei statutis. *Ergo* exsistunt leges morales ab auctore naturae ei impositae.

4. *Ex conscientia:* Conscientia nostra testatur, non solum esse discrimen inter bonum et malum, sed bonum omnino faciendum, malum autem fugiendum, idque propter voluntatem legislatoris et iudicis supremi. Quod nisi fecerimus, nos peccare et mereri poenam, non in hac terra solum, sed in vita futura luendam. Inde tot angores conscientiae, etiamsi nemo peccatum vidit; inde veterum furiae, erinnyes, fabulae de poenis Promethei, Tantali, Ixionis, Danaïdum etc. Quare Horatius, licet minime religioni deditus: „Hic murus aheneus esto: Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa"[1]). Et Juvenalis: „Poena autem vehemens ac multo saevior illis, Quos et Caeditius gravis invenit aut Rhadamanthus: Nocte dieque suum gestare in pectora testem"[2]). *Atqui* haec conscientia apud omnes invenitur, neque quisquam, etsi velit, eam penitus abicere potest; imo multi, ut eius tormenta fugerent, sibi ipsi mortem consciverunt[3]). Non igitur est delusio subiectiva, sed factum universale, quod cum ipsa natura humana intime cohaeret. *Ergo* debet lex moralis naturalis exsistere a Deo ipso statuta, ordinem moralem servare iubens et violare prohibens.

5. *Ex communi consensu:* Id, in quo omnes gentes conveniunt, debet esse verum, si hic consensus rationibus legitimis fundatur (cfr. vol. I, p. 228). *Atqui* omnes gentes in eo videntur consentire, esse leges morales divinas, quae natura praecedunt alias leges neque unquam abrogari possunt. *Ergo* exsistit lex moralis naturalis.

Ita iam *Hammurabi*, rex Babyloniae, circa 2250 a. Chr., in monumento illo celebri, 1901 in urbe Susa invento, nunc Londinii conservato, coram Deo suo Samas apparet venerabundus, exhibens leges suas in monumento conscriptas tanquam a Deo acceptas vel saltem confirmatas[4]). Ita Sinenses Tao (= coelum), Deo supremo, Indi Deo suo Varuna, Persae Mithra, Aegyptii Maat, Horus et Toth (liber mortuorum c. 125 in Papyro Turinensi) leges tribuebant[5]) tan-

[1]) Epist. I, 1, 60. [2]) Satyr. XIII. 195 sq. Plura testimonia vide apud K. Werner, Christl. Ethik 1850, I, p. 449 sq. L. Schmidt, Ethik d. Griechen I, 217 sq. W. Schmidt, Das Gewissen, 1889, 11 sq. [3]) Cfr. Aristot. Eth. Nic. IX, c. 4 (1166 b). [4]) Cfr. Lindl, Cyrus 1903 (Weltgesch. in Charakterbildern) p. 22. [5]) Ibid. p. 118 sq.

quam legis latoribus et iudicibus [1]), idque temporibus antiquissimis (3000—2000 a. Chr). *Heraclitus* (saec. VI, a. Chr.), „leges humanas nutriri dicit hac una lege divina“; hymni orphici iam ante *Homerum* (circa 1000 a. Chr.) legem hanc divinam praedicant [2]). Item *Hesiodus*, *Sophocles*, *Euripides*, *Domosthenes*, *Socrates*, *Plato*, *Xenophon*, et alii [3]). Praesertim vero *Cicero*, sequens Graecos (Plato de leg. IV et X), hanc Dei legem laudibus effert: „Hanc video sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam nec scitum esse aliquid populorum, sed *aeternum quiddam*, quod universum mundum regeret imperandi prohibendique sapientia. Ita principem illam legem et *ultimam mentem* esse dicebant omnia ratione *aut cogentis aut vetantis Dei*, ex qua illa lex, quam dii humano generi dederunt, recte est laudata. Erat enim ratio profecta a rerum natura et ad recte faciendum impellens et a delicto avocans, quae non tum denique incipit lex esse, cum scripta est, sed cum orta est. *Orta autem simul est cum mente divina*. Quamobrem *lex vera atque princeps* apta ad iubendum et vetandum ratio est recta *summi Iovis*“ [4]). Quod testimonium in homine non christiano magnoque politico, qui universam Graecorum scientiam quodammodo comprehendit, magni faciendum, eiusque sententia veteribus fere communis consideranda est; quae utinam etiam nostro tempore ab omnibus recipiatur, ut ipsa auctoritas legum civilium et vita moralis incrementum inde capiant!

Neve dixeris, deficere legi naturali *promulgationem*, quae sit de essentia legis. Est enim certissime promulgata unicuique tum per indolem et inclinationem naturalem in bonum, tum per conscientiam, i. e. per rationem nostram, quae cognoscens ordinem mundi eiusque auctorem, eo ipso et de facto etiam voluntatem Dei cognoscit ordinem conservari iubentis, quemadmodum ex via strata vel ex sepibus quisque viator illico cognoscit, quo liceat ire vel non ire. Accedit educatio et traditio humana, qua hae leges morales prae omnibus aliis ab infantia inculcantur (cfr. supra p. 14 sq.). Sunt igitur tam evidenter promulgatae quam nullae aliae leges, ne civiles quidem. Alioquin quomodo a saeculis, ut vidimus, hominibus innotuissent, ita ut in ipsis aliae leges fundarentur? —

Neque affirmare licet, leges morales naturales non esse sufficienter *determinatas*. Confunditur enim earum indeterminatio et universalitas; sunt quidem universales, ut pro hominum singulorum diversa conditione applicari possint; attamen simul prorsus sunt determinatae quoad *sensum*, e. g. irae, intemperantiae, iniustitiae esse resistendum. Quemadmodum igitur veritates universales, e. g. leges cogitandi propterea non sunt indeterminatae neque minus verae, quam aliae, ita etiam leges naturales morales. Imo etiam leges civiles in genere plus minus universales sunt et indigent tum interpretatione tum applicatione iudicis.

Denique neque *sanctio* legi naturali deest; nam a) quae lex naturalis prohibet, ea etiam per leges civiles vetantur; b) deinde licet in hac vita nulla

[1]) Cfr. E Fischer, Heidentum u. Offenbarung 1878, p. 32, 122, 272, 330 sq. Willmann, Gesch. d. Idealismus, 1894, I, 25, 236 sq. Cathrein, l. c. I, p. 571 sq. W. Schneider, Göttl. Weltregierung u. religionslose Sittlichkeit, 1900, p. 426 sq.

[2]) Willmann, Gesch. d. Idealismus, 1894, I, p. 26 sq. Weiss, Apologie, 1894[3], I, p. 478. [3]) Ibid. 540 sq. [4]) De leg. II, c. 4.

esset sanctio, haec certe in vita futura locum habebit, omnibus gentibus in hac re consentientibus (cfr. vol. II, 443 sq.).

III. *Exsistit lex humana fundata in lege naturali* [1]).

A. *Necessitas legis humanae.*

Prob. 1. *Ex natura legis moralis:* Lex moralis naturalis per se est universalis, quare a) indiget *applicatione* ad diversas hominum conditiones ratione aetatis, status etc., quemadmodum principia generalia logica ad facta experientiae applicanda sunt, ut nova cognitio inde habeatur; b) indiget nonnunquam aliqua *determinatione*. *Atqui* hoc fit per leges humanas. Sic principium generale: Suum cuique, applicatur ad diversos casus, in quibus iustitia laedi potest, e. g. furtum, calumnia, occisio etc. — Porro quamvis lex naturalis quamlibet prohibeat iniustitiam, non tamen determinat, quae poena sit infligenda, quomodo hereditas, pacta, matrimonia, tributa, possessio, praescriptio etc. fiant. Neque haec determinatio illaque applicatio legis naturae singulis hominibus permitti potest, siquidem nonnunquam difficiles sunt, quod apparet ex ingenti illo labore in legibus condendis; deinde plerisque hominibus et tempus et capacitas sufficiens reflectendi deest, praesertim si subito agendum est. Denique egoismus et malae inclinationes plerosque homines impedirent, ne recte iudicarent, si agitur de re propria. Deum venerari iubet lex naturalis, quomodo autem et qualis cultus ei exhibendus sit, lex humana determinat. *Ergo* lex humana necessaria est.

Quomodo vero leges humanae successu temporis ortae sint, S. Thomas verbis Ciceronis (De invent. II, 22 [65]) breviter indicat: „Initium iuris est a *natura* profectum; deinde quaedam ex utilitatis ratione in *consuetudinem* venerunt; postea res a natura profectas et consuetudine probatas *legum* metus et religio sanxit.“

2. *Ex natura hominis sociali:* Homo ex natura sua est animal sociale, i. e. indiget societate tum familiae tum civitatis, ut eius facultates plene evolvantur et ut finem suum: felicitatem temporalem et aeternam facilius consequi possit. *Atqui* haec vita socialis haberi non potest, nisi quaedam leges constituantur, quibus bona et iura singulorum statuantur et officia determinentur, siquidem ex innata tendentia egoismi sibi quisque providet, et considerata inclinatione hominis in malum, ordo socialis sine legibus earumque sanctione omnino exsistere non posset, teste historia et experientia quotidiana. *Ergo* lex humana necessaria est.

[1]) Cfr. S. Theol. I, II, qu. 91, art. 3; qu. 95, art. 1 et 2. A. Müller, Die staatl. Gesetze in ihrer Beziehung zur sittl. Weltordnung, 1906 (Festschrift zum Bischofsjubiläum, Trier). Cathrein, Recht, Naturrecht, posit. Recht, 1901.

B. *Relatio legis humanae ad naturalem.*

Prob. 1. *Ex natura legis humanae:* Ostendimus, legis humanae esse, legem naturalem applicare ad facta singularia eamque determinare in eis, in quibus nihil expresse constituit. *Atqui* hoc supponit, legem naturalem praecedere vel tempore vel saltem natura legem humanam, hancque nihil contra legem naturae valere. *Ergo* lex humana supponit legem naturae ab eaque dependet.

2. *Ex natura hominis sociali:* Leges humanae necessariae sunt, quia homines vivunt in societate. *Atqui* vivere in societate, est indigentia homini naturalis et est fundamentum ratioque legis humanae. *Ergo* lex humana supponit naturam humanam iam ex se, i. e. ex institutione et voluntate creatoris ad societatem et ad vitam communem ordinatam[1]).

3. *Ex ordine sociali:*

a) Potestas publica aut habet ius leges ferendi, aut non. Si *primum,* hoc ius praecedit omnem legem ac proinde in ipsa natura humana fundatur et ab auctore naturae stabilitum est. Sin *alterum,* leges sola vi vel astutia principum fundarentur, neque in conscientia obligarent, et possent laedi ab eo, qui habet potentiam resistendi. *Atqui* tunc nulla societas vere humana atque moralis exsistere posset, omnisque potestas publica potius esset tyrannica, quod tamen et persuasioni hominum et dignitati nostrae repugnat. *Ergo* lex humana positiva supponit legem naturalem divinam.

At nonne ex conventione humana sive expressa sive tacita, qua mutuo se obligant ad obedientiam in societate ineunda, oriri potuit? Nequaquam; nam 1° licet tales conventiones fieri possint et revera fiant, attamen societatem humanam hoc modo *initio* factam esse nullo testimonio historico comprobatur, siquidem homines in societate iam nascuntur. 2° Conventio illa orta esset vel ex libera voluntate, vel ex natura hominis sociali *moraliter* determinante. Si *primum,* etiam omni momento hoc pactum solvi et obedientia recusari posset, quod publicam salutem et pacem destrueret; sin *alterum,* eo ipso conceditur, leges positivas inniti morali quadam necessitate naturali, quae nihil aliud est nisi lex naturalis moralem nobis imponens obligationem. 3° Illa conventio aut imponit obligationem eam servandi, i. e. fidelitatem tum ipsis convenientibus tum eorum posteris, aut non. Si *primum,* iam supponitur obligatio lexque fidelitatis in paciscentibus eorumque ius etiam posteros obligandi, ac proinde haec obligatio hocque ius praecedunt omnem legem positivam ut eius fundamentum naturale. Sin *alterum,* nulla iam civitas secura persistere posset, neque nisi vi brutali continenda esset, id quod dignitati humanae contradicit.

b) Porro leges humanae aut obligant subditos, idque in conscientia, aut non. *Si primum,* iam supponunt, eis obedientiam

---

[1]) „Nitimur in vetitum cupimusque semper negata," Ovidius.

esse praestandam; nisi igitur haec obligatio hominibus in societate viventibus esset naturalis, i. e. ab auctore naturae iam imposita, deficeret totum fundamentum legis humanae. Accedit, quod nemo conscientiae, i. e. rationi et voluntati humanae obligationem internam imponere potest, nisi qui has potentias *internas ipsas* afficere potest; hoc autem solus Deus facere potest, nulla creatura. — *Sin alterum,* leges humanae vi sua atque dignitate privantur, siquidem more brutorum solum externe homines cogerent, et quotiescunque quis impune posset, eas transgrederetur, quod ordinem socialem destrueret. *Ergo* lex humana fundanda est in lege divina naturali.

4. *Ex absurdis:* Quodsi lex humana non dependeret a lege divina, posset iuste et legitime aliquid statuere contra legem naturalem, neque possent esse leges iniustae, et qui legi resisteret, licet passive, peccaret. *Atqui* est communis persuasio omnium gentium: a) leges iniustas esse posse et fuisse, e. g. leges de exponendis infantibus, de christianis persequendis et diripiendis; b) nonnunquam leges humanas legi naturali divinae repugnasse; c) neque peccare, imo bene et nonnunquam heroice facere, qui legibus iniustis et tyrannicis non obedierit, licet bonorum vel etiam vitae privationem subire debeat. Cogita martyres Christi; lege, quid Sophocles de Antigone scripserit, fratrem contra legem tyranni sepeliente, ut legi deorum obediret, plaudentibus in theatro omnibus Graecis[1]); memineris, quid Plato et Xenophon nosque cum ipsis de iniusta damnatione Socratis sentiamus. *Ergo* lex positiva supponit naturalem suamque ex ea recipit vim atque obligationem.

Coroll. I. Ex dictis in I et II parte thesis apparet, sententiam H. Grotii esse respuendam dicentis, legem naturalem exsistere et obligare, etiamsi — utique per impossibile — Deus non exsisteret. Nam lex naturalis ut passiva, i. e. a legislatore subditis imposita necessario et ex conceptu suo supponit legem activam, i. e. Dei ordinationem, quae nisi admitteretur, etiamsi *utile* esset, legem naturalem observare, attamen nulla obligatio nullaque sanctio adesse potest, si quidem *lex humana* supponit legem naturalem, eius exsistentiam, vim, obligationem, sanctionem. Unde non est mirum, quod post Grotium alii eius vestigia sequentes, ut Pufendorf et Thomasius etc., legem positivam a lege naturali prorsus separaverint, non videntes, illam hoc modo fundamento suo privari et positivismum iuridicum induci, id quod historia iuris subsequens evidenter demonstravit[2]).

II. Ex dictis in III parte thesis elucet, falsam esse sententiam eorum, qui cum anarchistis et socialistis leges humanas tum ratione exsistentiae,

---

[1]) Cfr. Schiller, Wilhelm Tell, Szene: Stauffacher auf dem Rütli; attamen resistentia *activa* contra tyrannum Gessner hic minime est probanda: „Wenn unerträglich wird die Last, greift er Hinauf getrosten Mutes in den Himmel, Und holt herunter seine *ew'gen Rechte,* die droben hangen unveräusserlich Und unzerbrechlich wie die Sterne selbst." [2]) Cfr. Cathrein, l. c. p. 169 sq.

tum ratione obligationis ex sola vi et potestate externa derivant, ita ut in solo foro externo, non in foro interno, i. e. in conscientia observandae essent. Similiter Kant derogat dignitati legum civilium docens, eas non ex imperativo categorico, sed ex coactione mere externa servari propter „legalem" obedientiam. — Item errant, qui saltem vim obligandi ex solo fine legum, i. e. ex salute publica explicant, ut positivistae et schola „historica". Licet enim leges humanae propter salutem publicam statuantur, attamen vim obligandi recipiunt ex auctoritate Dei, qui solus potest rationem et voluntatem humanam obligare, siquidem obligatio mere humana solum externa esset per modum coactionis; immo nulla esset, siquidem homines ex natura saltem pares sunt. — Denique refutantur, qui leges humanas ex quadam evolutione interna et externa hominum ex statu bestiali explicant, ut Spencer, necnon Wundt, Paulsen aliique multi, siquidem theoria descendentiae quoad naturam humanam absurda est (cfr. vol. II, p. 420 sq.), et per historiam constat, gentes antiquissimas, origini generis humani proximas, et perfectas habuisse leges civiles easque a voluntate Dei derivasse (cfr. supra p. 111).

III. Patet, leges humanas vim suam atque auctoritatem habere ex lege naturali, divina. Si igitur lex aliqua humana certo repugnat legi naturali, caret sua obligatione; imo si quis per talem legem obligaretur ad aliquid faciendum vel omittendum, quod lex naturalis sive vetat sive iubet, deberet potius quascunque poenas subire, quam legem humanam sequi, iuxta illud Iuvenalis: „Summum crede nefas, animam praeferre pudori, et propter vitam vivendi perdere causam" [1]), vel iuxta illud Apostolorum: „Non iustum est, vos potius audire quam Deum" (Act. 4, 19). Qua in re nobis etiam consentiunt, qui legem naturalem reiciunt, quamvis ex sua sententia rationem sufficientem reddere nequeant, ut Dahlmann, Bluntschli, Ulrici, Dahn, imo et Paulsen [2]), licet quandocunque aliud sentiat [3]). Neque licet distinguere inter iniustum et immorale, quia iustitia est species moralitatis. Profecto, si tandem civitas esset unicus fons iusti, numquid igitur homines ante societatem constitutam vel ad nullam societatem pertinentes (e. g. Robinson) occidere, mutilare, privare bonis suis liceret? [4])

IV. Quum leges humanae, dummodo legi naturali ne repugnent, vim suam ex ea deducant, patet, eas quoque in conscientia nos obligare, siquidem et ipsae auctoritate divina confirmantur [5]). Neque enim Kantio consentimus meram „legalitatem", i. e. externam subiectionem poscenti, siquidem talis obedientia videtur homine indigna. Quaeritur igitur, num sint vel possint esse leges humanae *mere poenales* sive irritantes, quae solum ad poenam,

[1]) Satyra 8, 80; cfr. Plato, Gorg. c. 35. Sophocles, Antigone.

[2]) Apud Cathrein, l. c. p. 168; cfr. etiam Meyer, Instit. iuris nat. I, 252.

[3]) „Der Staat kann nicht Unrecht tun. Er kann *ungerecht* handeln, aber *nicht unrecht*, denn es gibt Recht nur im Staat und durch den Staat" (System d. Ethik, 1901 [5], p. 515).

[4]) Non immerito hanc doctrinam irridet Schiller: Die Philosophen, Rechtsfrage: „Jahre lang schon bedien ich mich meiner Rose zum Riechen; Hab ich denn wirklich an sie auch ein erweisliches Recht? Respondet Pufendorf: „Ein bedenklicher Fall! Doch die erste Possession scheint für dich zu sprechen, und so brauche sie immerhin fort!" Cfr. etiam „Die Weltweisen".

[5]) Cfr. S. Theol. I, II, qu. 96, art. 4. A. Müller, l. c.

non ad culpam obligant. Dissentiunt doctores, sed multo probabilior videtur esse sententia hoc affirmantium, non solum quia legislatores in genere vix cogitant de obligatione in foro interno imponenda, sed quia finis legis saepe sufficienter attingitur poena proposita vel imposita, praesertim si poena acerbior videtur, quam res in se satis levis postulat, e. g. leges magistratus de munditie platearum, leges de vectigalibus etc. Finis enim legis est ratio legis. Si quis autem leges mere poenales laedens praevideret, fore ut aliis scandalum exhiberet, vel damnum crearet, vel se suosque periculis exponeret, certe in conscientia teneretur, illam legem sequi, non quidem per se, sed per accidens, i. e. ratione legis naturalis praescribentis, ne quis offendat caritatem erga proximos [1]). Prorsus autem illorum sententia reicienda est, qui cum Lombroso, v. Liszt aliisque censent, omnes leges mere esse poenales, neque esse responsabilitatem neque culpam sensu proprio, siquidem homines libertate voluntatis carerent [2]).

Sect. III. De proprietatibus legis.

Postquam exsistentiam legis tum aeternae, tum naturalis, tum humanae ostendimus, quaedam harum legum proprietates sunt explicandae, quibus melius faciliusque cognosci possunt. Attamen, ut facile intelligitur, non eaedem sunt proprietates legis divinae et naturalis ex una parte et legis humanae positivae ex alia parte. Proprietates enim legis divinae naturalis enumerantur tres potissimae: Unitas, universalitas, immutabilitas; proprietates vero legis positivae sunt praecipuae: Possibilitas moralis, honestas, iustitia, mutabilitas.

A. *Proprietates legis naturalis divinae.*

Thesis VI: Lex divina naturalis una est atque universalis et immutabilis.

St. qu. 1. *Unitas* legis naturalis intelligi potest: *ratione originis, ratione finis, ratione normae, ratione principii reductivi et deductivi.* Iam vero non indiget probatione, legem naturae moralem unam esse ratione originis; est enim a Deo, supremo domino et legislatore; deinde una est etiam ratione finis; finis enim est honor Dei et felicitas entium rationalium ei subordinata; porro una est ratione normae, quia haec est natura humana ut principium actionum illarum, circa quae lex versatur. Quaeritur igitur potius, num lex naturalis sit etiam principium ultimum tum reductivum tum deductivum omnium legum moralium, et hoc affirmamus.

2. *Universalitas* legis naturalis duplex considerari potest: *materialis*, in quantum valet aequo modo pro omnibus hominibus, ubique et semper; *formalis*, in quantum ab omnibus etiam sufficienter cog-

[1]) Cfr. S. Theol. l. c.; Müller, l. c.

[2]) Cfr. vol. II, p. 372; L. Stimmen 1904, p. 21 et 505 sq.

noscitur; supponimus homines, qui perfectum usum rationis habent et in societate humana educati sunt. Utramque affirmamus universalitatem.

3. *Mutabilitas* quoque duplex distinguitur: intrinseca et extrinseca; illa adest, quando lex ratione obiecti sui vel circumstantiarum inutilis vel etiam perniciosa evadit, e. g. lex ieiunii pro graviter aegroto; haec adest, quando lex a legitima auctoritate abolitur. Affirmamus legem naturae neutro modo cessare vel immutari posse.

4. Adversantur nobis: a) qui cum Herbart, Lotze, Stange aliisque *plures* fontes moralitatis statuunt non ad eundem ultimum reducendos (cfr. supra p. 54 sq.); b) qui cum Evolutionistis et Positivistis censent, leges morales non easdem permanere, sed intrinsecus pro statu culturae vel conditionis individuae immutari (cfr. supra p. 19, 30).

I. *Lex divina naturalis una est ut principium ultimum et reductivum et deductivum aliarum legum.*

A. *Est principium summum reductivum.*

Prob. 1. *Ex natura principii reductivi:* Principium reductivum ultimum, ut vidimus vol. I, p. 392, illud vocatur, quod omnibus veritatibus subest eis conferens veram cognoscibilitatem, i. e. certitudinem et evidentiam formalem; sic principium contradictionis vocatur principium ultimum reductivum logicum, quia in eo fundatur certitudo omnis propositionis (cfr. vol. I, p. 396 sq.). *Atqui* hoc modo se habet lex naturalis. Lex enim naturalis suprema, si *logice spectatur*, i. e. *secundum normam honestatis proximam obiectivam*, ex qua bonum et malum morale cognoscitur tanquam ex principio suo logico (cfr. supra p. 81, 87 sq.), sic enuntiari potest: *Age secundum naturam tuam;* natura autem tum absolute et relative, tum abstracte et concrete spectanda est. *Ergo* lex naturae est principium supremum reductivum, quo honestas actionum nostrarum primo et facile cognoscitur.

2. *Ex experientia.* Quotiescunque scire volumus, num actio aliqua nostra vel aliorum hominum sit honesta, sufficit, ut eius relationem ad naturam nostram adaequate spectatam consideremus. Sic si quaeritur, nobisne conveniat, manducare, bibere hoc loco vel tempore, hoc vel illo modo, scimus quidem esse actionem per se honestam, quia conveniens est naturae nostrae, saltem sensitivae, et si fit modo debito ratione mensurae, loci, temporis, convenit etiam naturae nostrae rationali. *Atqui* hoc idem est, quod reducere omnes actiones nostras ad legem supremam tanquam communem mensuram, sive ad principium summum logicum. *Ergo* lex naturae est principium supremum reductivum.

B. *Est etiam principium summum deductivum.*

Prob. 1. *Ex natura principii deductivi:* Principium deductivum illud est, quod non solum logice, sed ontologice illa iam in se continet, quae inde deducuntur, quemadmodum fons aquas in se continet ex eo defluentes. Sic praemissae in syllogismo a priori conclusionem iam ontologice in se habent; e. g. si ex eo, quod omnes homines sunt mortales, concluditur, etiam Petrum esse mortalem, siquidem est unus ex omnibus illis. *Atqui* lex naturalis moralis, si *ontologice* exprimitur, sic se habet: *Age semper ad finem tuum ultimum.* Sed per relationem ad finem ultimum, actio humana intrinsecus et ontologice honesta constituitur (cfr. supra p. 85 sq.), et tota bonitas termini sive finis cuiuscunque actionis humanae derivatur ex bonitate finis ultimi, siquidem omne bonum, quod finis est actionis nostrae, vel tanquam ipse finis ultimus, vel tanquam pars eius, vel saltem tanquam medium ad eum consequendum cognoscitur et appetitur. *Ergo* lex naturae moralis, ontologice considerata, est principium ultimum, ex quo bonitas ontologice in omnem actum humanum deducitur.

2. *Ex omnium consensu:* Illam actionem omnes habent moraliter bonam, qua finem nostrum verum ultimum intendimus, sicut iter illud rectum est, quod nos ad terminum desideratum, ad portum optatum deducit. *Atqui* in omni actione honesta, saltem implicite, finem nostrum ultimum intendimus. *Ergo* principium: Age ad finem ultimum, est etiam motivum, saltem implicite ultimum, quod nos in omni actione honesta impellit, ac proinde actum omnem saltem fundamentaliter moralem constituit.

Duplex haec expressio legis naturae: *Age secundum naturam tuam,* et *age ad finem tuum ultimum,* logice quidem diversa est, sed re ipsa idem significat, siquidem, ut supra saepius diximus, natura fini nostro est proportionata, sicut medium ad finem et causa ad effectum, ita ut mutuo se supponant atque dilucident. Porro haec expressio legis naturae re idem significat, quod illa, quam alii adhibent: *serva ordinem* sc. naturae tuae; vel *fac bonum, devita malum,* siquidem natura nostra tum in se, tum in ordine ad Deum et homines est consideranda et secundum ipsam tanquam proximum principium cognoscendi, quid sid bonum, quid malum, diiudicatur. — Lex naturae in se quidem sive *formaliter una* est, attamen *virtualiter multiplex,* siquidem omnes leges morales, quae singulas species moralitatis (cfr. supra p. 95 sq.) regunt, in se continet.

Multi recentiores summum principium moralitatis hoc statuunt: *Age, sicut decet personam moralem;* vel *fac te personam moralem.* Hoc principium, si persona intelligitur suppositum naturae rationalis (cfr. vol. I, p. 467 sq., vol. II, p. 413), coincidit cum nostro, modo ne excludat finem ultimum hominis, a Deo constitutum, ut plerique huius principii fautores cum Kantio docent. Abundat autem in hoc principio vox „moralem"; nam actio humana eo ipso est moralis, quod conformis est naturae humanae; secus pleonasmus, immo

petitio principii haberetur, vel idem per idem explicaretur. Qui vero personam concipiunt ut caracterem acquisitum, i. e. principia quaedam intelligendi et volendi firma atque constantia, debent addere „moralem“, ne etiam homines in sceleribus inveterati boni et honesti habeantur, si sibi consentanei operantur; sed tunc nesciunt explicare, quid sit morale, nisi ad naturam humanam rationalem recurrant ac proinde nostrum principium moralitatis adoptent.

II. *Lex naturae moralis est universalis.*

A. *Est materialiter universalis.*

Prob. 1. *Ex natura huius legis:* Lex naturae active spectata est ratio et voluntas Dei, omnes homines eodem modo tum in se ipsis tum ad finem eundem ultimum dirigens; passive spectata est indoles ipsius naturae humanae, in quantum constat ex corpore et anima rationali et ordinata est ad summum verum et bonum in Deo fruendo. *Atqui* ratio et voluntas Dei circa omnes homines eadem est; porro etiam natura humana, saltem abstracte considerata, in omnibus hominibus necnon finis ultimus obiectivus idem est. *Ergo* etiam lex naturae, saltem quoad essentiam, eadem esse debet in omnibus hominibus.

2. *Ex experientia et historia:* Experientia et historia docent, omnes homines, omni tempore et ubique terrarum quaedam habere licita vel praescripta, quaedam illicita et poenis coercenda. *Atqui* ratio huius consensus non est solum lex positiva, sed lex omnes alias praecedens sc. naturalis [1]). *Ergo* est universalis.

3. *Ex absurdis:* Nisi lex moralis esset universalis, eadem pro omnibus gentibus et hominibus omnis aetatis et conditionis, non possemus sententiam ferre de moralitate actionum, morum, institutionum gentium aliarum sive veterum sive etiam recentium, e. g. de servitute hominum, de infantium occisione, de polygamia, paederastia etc. Immo neque liceret iudicare de moralitate aliorum hominum, siquidem nesciremus, num et qualis lex moralis ipsis est sequenda, unde nulla posset esse scientia historiae de cultura hominum, quippe quae principia quaedam legesque morales supponat. Quin etiam nemo criminis accusari vel damnari posset in tribunali, deficiente principio morali ab omnibus recepto. *Atqui* hoc repugnat persuasioni

[1]) Aristoteles de hac lege: „Est enim quoddam, quod augurantur omnes, natura *commune* iustum et iniustum, etiamsi nulla societas invicem sit nullaque pactio, ut Sophoclis Antigone videtur dicere, iustum esse, interdictum sepelire Polynicem, quasi natura sit id iustum: Non enim id nunc et heri, sed semper fuit, et nemo scit, unde eius ortus sit.“ (Ars Rhetor. I, 13). Ipse Wundt, licet Evolutionista, fatetur: „Die Gebote: Du sollst nicht töten, Du sollst nicht stehlen, haben seit den Anfängen der Kultur als unveränderliche Rechtsnormen gegolten“ (Logik [2] II, 578).

hominum et destruit scientiam historicam vitamque publicam moralem. *Ergo* lex moralis eadem est pro omnibus hominibus.

B. *Est formaliter universalis.*

Prob. 1. *Ex universalitate materiali:* Ostendimus, legem moralem omnibus eodem modo sequendam esse. *Atqui* hoc impossibile esset, nisi omnibus etiam innotesceret. *Ergo* lex naturae omnibus nota est.

2. *Ex providentia divina:* Deus debet providere hominibus, praesertim in iis, quae omnino necessaria sunt ad finem ultimum obtinendum; secus ipsis minus consuleret, quam brutis, quae semper per leges instinctus recte agunt. *Atqui* cognitio legis naturalis omnibus necessaria est ad ultimum finem consequendum; ostendit enim viam ad eum, quasi pharus, qui portum nostrum aeternum navi in undis maris fluctuanti indigitat. *Ergo* . . .

3. Argumenta supra sub A, 2 et 3 et hic repeti possunt.

4. *Ex obiecto legis naturae:* Lex naturalis moralis potest considerari, ut est formaliter in se una, et ut est virtualiter multiplex, in quantum ex ipsa tanquam principio et reductivo et deductivo summo aliae leges morales specificae derivantur.

a) Iam vero si ut formaliter in se una consideratur, est principium maxime generale et respectu aliarum legum moralium quasi *transcendentale*, quia non dicit nisi: Age secundum naturam tuam adaequate spectatam; age ad finem tuum; hoc enim idem est quod: fac bonum, devita malum. *Atqui* certe nemo est usum rationis adeptus, qui nesciat, quid sit rationabiliter agere, ad finem agere, bonum faciendum, malum vitandum esse, sicut nemo principium contradictionis ignorat, licet illud modo scientifico exprimere nesciat. *Ergo* lex moralis suprema, ut est in se formaliter una, neminem latere potest.

b) Quodsi lex naturae ut virtualiter multiplex consideratur, ex ea leges aliae morales minus universales derivantur. Iam vero haec deductio potest esse quasi immediata, quoad leges morales *genericas*, quae relationes *essentiales* hominis regunt; hae autem sunt relatio ad se ipsum, ad proximos, ad Deum. Lex igitur moralis suprema, si ad nos ipsos applicatur, edicit: Age ita, ut in te ipso naturam et personam rationalem respectes; si vero ad proximos refertur, enuntiat: Age ita, ut etiam in proximo naturam rationalem tuae prorsus consimilem respicias; si tandem ad Deum applicatur, iubet: Age ita, ut finem tuum ultimum consequaris, Deum auctorem, dominum, benefactorem, iudicem, beatificatorem tuum honorans. *Atqui* hae conclusiones genericae ex supremo principio quasi immediate

derivantur, et teste historia, illae leges ab omnibus gentibus cognitae erant. *Ergo* etiam leges morales genericae, quae essentiales relationes hominis afficiunt, omnibus notae sunt.

c) Porro ex legibus moralibus genericis iterum *specificae* deducuntur, quemadmodum ex conceptibus genericis species formantur. Hoc fit eo, quod leges illae genericae ad obiecta specifice diversa referuntur; actus enim morales et per consequens etiam leges, quae eos dirigunt, specificantur per obiecta sua formalia, i. e. specifica. Si igitur lex generica, *nos ipsos respectandi*, ad obiecta sua refertur, leges specificae morales oriuntur circa bona corporis et animae, e. g. conserva vitam, integritatem, castitatem, temperantiam; compara scientiam, artem, virtutem tibi debitam. Porro si lex generica, *proximum respectandi*, ad obiecta sua applicatur, leges specificae formantur circa bona proximi, e. g. noli vitam, integritatem, bona, honorem proximi laedere; quod enim non vis tibi fieri, ne alteri facias; quod vis tibi fieri, fac alteri. Si tandem lex generica, *Deum honorandi*, ad obiecta religionis refertur, habentur leges quaedam specificae, quae vetant, ne honori divino detrectemur per blasphemiam, periurium, incredulitatem, sed eum honoremus oratione, submissione, sacrificio etc. Quum autem parentes et praepositi quasi Dei nobis sint vicarii, lex specifica, parentes praepositosque venerandi, inde formatur. *Atqui* hae leges morales specificae facile ex genericis deducuntur, si quidem sunt obiecta propria, ad quae quotidie et ab omnibus illae leges generales adhiberi debent, ut vita et individua et familiaris et socialis omnino esse possit, et de facto hae leges specificae semper et ubique terrarum cognoscuntur et observantur. *Ergo* etiam leges specificae morales in genere saltem notae sunt, licet ignorantia hic facilius adesse possit, quam quoad genericas.

d) Denique leges hae specificae nunc ad diversa obiecta pro natura *singulari* et *individuali* et conditione hominum diversa sunt applicandae. Iam vero haec applicatio nonnunquam difficilis est, quia, quod huic convenit homini vel hoc tempore et loco, alteri vel alio loco et tempore potest non convenire; „quod enim licet Jovi, non licet bovi.“ Sic homini sano multa licent, quae infirmo non licent; idem dic de homine adulto et nondum adulto, de marito et non maritato etc. In his igitur quaestionibus lex moralis potest nonnunquam latere, non quidem ipsa, sed potius eius applicatio [1]).

At nonne fuerunt et sunt tum gentes tum homines singuli, qui nescire videntur leges morales saltem specificas, permittentes e. g. polygamiam, servitutem, furtum, suicidium (Hakiri Japanensium), duellum, occisionem infantium, immo etiam parentum aetate provectorum? Utique sunt, sed ex ignorantia

[1]) Cfr. S. Theol. I, II, qu. 94, a. 4 et 6; qu. 100, a. 1.

saltem *initio* culpabili, quemadmodum sunt, qui leges civitates satis promulgatas ignorant, quas deberent scire. Universalitas, de qua hic sermo est, non est metaphysica, sed moralis, quae per defectum voluntatis liberae humanae saepe exceptiones admittit; hae autem exceptiones non tollunt, sed confirmant regulam. Sic legis transgressiones non sunt signum legis deficientis sive non promulgatae, sed voluntatis humanae perversae. Constat autem, species illas immoralitatis non in omnibus inveniri gentibus, et si inveniuntur in plerisque, signum est, illas gentes a lege morali plus vel minus perfecte cognita propriâ suâ culpâ descivisse vel ipsas vel earum antecessores. Constat enim per experientiam, passiones mentem obcaecare, sicut qui ideas quasdam praeconceptas habent, etiam veritates evidentes, e. g. principium causalitatis vel etiam contradictionis negant. Quodsi actus quidam immorales per longum tempus repetuntur, formatur habitus pravus, ita ut ille modus operandi quasi altera fiat natura, neque iam ad eius immoralitatem attendatur. Ita mores perversi irrepunt, quibus opinio publica formatur, per quam unusquisque conscientiam, si actus immoralitatem forte advertat, facile pacat. Immo per hanc auctoritatem traditionis homines rudes, vix de actuum natura reflectentes, forte ab omni culpa excusantur, quod nonnunquam etiam de eruditis dici potest, quibus quamvis de actuum immoralitate dubitent, deest tamen potentia, mores corruptos immutandi; usus enim est tyrannus. Sic servitus, quamquam eius indignitas a christianis cognosceretur, non tamen illico potuit tolli, ne salus publica labefactaretur.

Quod vero mores corruptos supra enumeratos attinet, plerique ex causis orti sunt, quae eos, etiamsi aliqua inordinatio deprehenderetur, tamen propter circumstantias excusare videbantur; sic adulterium quidem ab omnibus gentibus habetur crimen, sed polygamia non tam certo ut immoralis cognoscebatur, siquidem non impedit finem matrimonii, et numerus saepe maior feminarum quam virorum bellis continuis peremptorum aderat. Quis nescit, etiam patriarchas veteris testamenti *ex temporis consuetudine* plures habuisse uxores? Porro servitus, si humana est, naturae nostrae non repugnat, imo subordinatio aliqua socialis necessaria est atque naturalis. Furtum, si ex publico instituto, ut apud Spartanos, ratio habetur, non iam reputatur furtum; suicidium multis, ut stoicis, et videbatur et adhuc videtur licitum, si nulla iam spes vitae felicis arridet. Duellum vel vindicta privata aliquibus videtur permitti, si alia non adesse videntur media apta ad se tuendum. Infantes occiduntur vel exponuntur, qui familiam nimis gravari videntur. Parentes apud nonnullas gentes occiduntur ipsis precantibus, quia ex superstitione putant, se in vita futura in eodem statu fore, quo moriuntur, quare adhuc sani et fortes ex hac vita migrare desiderant. Pertinent igitur omnes illi casus ad eos, quos sub numero d) supra enumeravimus, in quibus adest quidem cognitio legum moralium, sed earum *applicatio* ad certos casus difficilior esse potest hominibus, praesertim rudibus, vel passionibus abreptis, vel opinione publica seductis, ita ut mirum non sit, si errent. Inde apparet necessitas *moralis casuisticae*, quae leges morales omnibus quidem notas, ad singulos casus difficiliores applicet, quia plurimis et tempus et indoles sagacitasque mentis vel etiam dispositio cordis (libertas ab inclinationibus et passionibus perversis) deest. Quare et in morali theologica et in iurisprudentia, in legi-

bus civilibus antiquis et modernis principia legis communia ad actiones singulares vitae adaptantur. Immerito igitur a quibusdam moralis casuistica, modo ne mensuram excedat, reicitur vel vituperatur[1]).

III. *Lex naturae est immutabilis*[2]).

Prob. 1. *Ex eius natura:* Lex naturae active spectata est ratio et voluntas divina, ordinem tum totius universi tum naturae nostrae concipiens atque decernens. Passive autem spectata proxime est ratio nostra ordinem, indolem finemque nostrae naturae cognoscens, atque servare iubens; ultime ipse ille ordo indolesque finisque nostrae naturae, cui actiones nostrae sunt conformandae. *Atqui* tum Dei ratio voluntasque, tum natura nostra eiusque indoles essentialis et finis est immutabilis. *Ergo* etiam lex naturae est immutabilis.

2. *Ex experientia:* Constat, gentes vetustissimas easdem leges naturae statuisse, quas nos, e. g. non esse furtum faciendum, non occidendum, non adulterandum, parentibus principibusque obediendum, Deos colendos, temperantiam observandam etc. Ita leges decalogi Mosaici cum legibus antiquissimis Aegyptiorum (in libro mortuorum circa 2000—3000 a. Chr.), cum legibus Hammurabi, Babylonis regis (circa 2250 a. Chr.), conveniunt, licet minime ab eis derivari possint. Imo historia teste, quo antiquior quaeque gens est, eo magis illae leges observabantur. *Atqui* si lex naturae esset mutabilis, certe per tot milia annorum, quae usque ad originem generis humani pertingunt, aliqua mutatio facta esset, non quoad earum applicationem diversam, sed quoad ipsarum essentiam sive valorem. *Ergo* lex naturae quoad essentiam suam immutabilis est.

3. *Ex absurdis:* Quodsi mutabilis esset, ut Evolutionistae somniantur: a) necessario iam aliqua intrinseca mutatio adesse deberet, siquidem evolutio in eorum sententia est proprietas rerum omnino intrinseca et necessaria; b) non possemus iam iudicium ferre de moralitate priorum temporum, quia aliae tunc leges morales viguissent; c) neque definire possemus, quid posteris nostris aliquando faciendum sit, ut moraliter vivant; d) tunc aliquando furtum, adulterium etc. fuerunt virtutes vel erunt aliquando, iustitia autem et temperantia etc. vitia. *Atqui* primum repugnat, ut vidimus sub 2, historiae; alterum scientiae historicae; tertium et quartum persuasioni omnium. *Ergo* lex naturae est immutabilis.

4. *Per exclusionem:* Mutatio legis naturae fieret vel facta esset aut intrinseca aut extrinseca. *Intrinseca* mutatio legis adest, quando

[1]) Cfr. Mausbach, Die kathol. Moral etc., 1901, p. 19 sq. A. Müller, Ist die kath. Moral reformbedürftig? 1902, p. 31 sq. Adloff (contra Herrmann), Kath. Moral u. Sittlichkeit, 1901.

[2]) S. Theol. I, II, qu. 94, a. 5. Aristoteles, Rhetor. I, 13 et 15.

materia et suppositio legis deficit; *extrinseca*, quando legislator directe vel indirecte legem aufert vel totaliter per *abrogationem*, vel ex parte per *derogationem*, vel aliquos subditos a lege eximit per *dispensationem*. *Atqui* nullo modo lex naturae mutatur: a) non *intrinsecus*, quia, natura et fine humano eisdem permanentibus, neque relatio actuum humanorum ac proinde eorum leges aliae fieri possunt; b) non *extrinsecus*, idque per *abrogationem*, quia Deus neque aliam naturam neque alium finem hominibus ac proinde neque aliam legem actionum eis constituere potest. Neque per *derogationem*, quia leges naturae tum genericae tum specificae essentiales relationes hominis exprimunt; quod autem rebus essentiale est, ne Deus quidem immutare potest, ne sibi contradicat. Neque per *dispensationem*, quia ea, quae homini per suam naturam conveniunt, omnibus eodem modo conveniunt. *Ergo* nulla legis naturae fieri potest mutatio.

Iure igitur Aristoteles: „Aequum semper manet et nunquam mutatur, neque communis lex; secundum naturam enim est; scriptae vero leges saepe. Unde dictum est in Sophoclis Antigone, cum illa defendit, se egisse contra Creontis legem, sed non contra non scriptam; „non enim hoc nunc et heri, sed semper; ideo ego non timeo virum ullum." (Rhetor. I, 15, 30). Sed quid quod ipse Deus Abrahae praecepit, ut filium Isaac innocentem occideret, quod Iudaeis permitteret, vasa pretiosa Aegyptiorum surripere, quod Oseae praecepit, ut uxorem fornicariam acciperet? Distinguendum est primum inter obiecta, quae intrinsecus, i. e. ex natura sua sunt mala et quae solum extrinsecus fiunt mala, i. e. ex intentione vel conditione subiectiva operantis; deinde distinguendum est inter legem ipsam eiusque obiectum; lex potest immutata permanere, ita ut materia alia fiat et legi subtrahatur. Sic hominem occidere, rem aliquam arripere, mulierem recognoscere, potest esse malum et bonum: malum, si modo illicito fit vel ab eo qui non habet ,potestatem legitimam; bonum, si modo licito fit vel si fit ab eo qui habet potestatem legitimam. Iam vero Deus, ut dominus supremus, potest disponere de morte et vita, de proprietate, de liceitate coitus, quin per hoc leges ipsae iustitiae, caritatis, castitatis immutentur, sed solum materia certa, i. e. obiectum per se indifferens legi communi subtrahitur[1]). Sic etiam legislatio humana nonnunquam quaedam obiecta vel personas a lege eximit, e. g. a lege tributi, hereditatis, cui per se subicerentur.

B. *Proprietates legis positivae.*

I. Lex positiva debet esse *moraliter possibilis*. Possibilitas moralis in eo consistit, quod non solum vires physicae per se sufficiunt ad opus aliquod faciendum, sed etiam morales, i. e. quod difficultates sive ex parte subiecti sive ex parte obiecti pro maiore parte hominum tantae non sunt, ut vix pauci eas vincere opusque perficere possint, e. g. si homines non speciali modo vocati ad consilia

[1]) Cfr. S. Theol. l. c. ad 2.

evangelica observanda (paupertatem, virginitatem, obedientiam perfectam) obligarentur. *Atqui* lex positiva, quod officia et onera moraliter impossibilia imponeret, fini legis, quod directe est bonum commune, indirecte bonum individuorum, ac proinde rationi, cur lex exsistat, repugnat, siquidem subditis potius occasio esset ad legis transgressionem, pacem publicam turbaret et civitatem tandem dissolveret, id quod historia illustrat plurimis exemplis (leges „Draconicae"). *Ergo* lex positiva debet esse moraliter possibilis.

II. Debet esse *honesta*. Lex honesta est, quae legi naturae est conformis vel saltem ei non repugnat. *Atqui* ostendimus (supra p. 114), legem positivam totam vim obligandi habere ex lege naturali. Haec igitur est eius fundamentum et norma ac proinde etiam limes, ultra quem lex positiva extendi nequeat. *Ergo* lex positiva debet esse honesta.

III. Debet esse *iusta*. Lex iusta est, quae unicuique suum exhibet; et adest iustitia *commutativa*, si cuique aequale pro aequali redditur, e. g. leges de pretiis in venditione; de mercede *operariorum* pro labore praestito; adest *distributiva*, si cuique ratione meriti et dignitatis tribuitur, e. g. pensiones et retributiones publicae pro conditione munerum publicorum (e. g. magistrorum, professorum, iudicum, praetorum etc.); distributio aequa munerum, onerum, poenarum etc.; adest *legalis*, quando subditi civitati necessaria exhibent, e. g. tributa, militiam, obedientiam, pacem et tranquillitatem. *Atqui* si haec iustitia abest, legi deest honestas, quae per legem naturae, eius fundamentum, normam limitemque, requiritur. *Ergo* lex positiva debet esse iusta.

IV. Lex positiva est *mutabilis*: a) *Intrinsecus*, si eius ratio i. e. finis deficit. *Atqui* potest esse, ut ratio legis cesset, imo opposita adsit, sc. quando lex non iam bonum commune promoveat, sed potius ei obstet. Hoc testatur quaevis mutatio legislationis positivae. b) *Extrinsecus*, si legislator legem removet, vel ex toto per *abrogationem*, vel ex parte per *derogationem*, vel si quem a lege excipit per *dispensationem*. Lex enim formaliter exsistit per voluntatem legislatoris subditis sufficienter manifestatam. c) Per *desuetudinem*, si lex decursu temporis oblivioni traditur, vel a maxima parte subditorum non iam observatur, *sciente et tacente legislatore*; tunc enim legislator reputatur legis transgressioni consentire eamque tacite abrogare. *Ergo* lex positiva mutabilis est.

Coroll. I. Quid igitur, si lex humana est moraliter impossibilis, vel inhonesta, vel iniusta? Numquid in conscientia obligat? Per se certe in conscientia non obligat, quia eius ratio deest, quando est impossibilis; fundamentum deest, quando est inhonesta vel iniusta. Potest tamen per accidens saltem externe obligare, si resistendo maius malum incurramus vel scandalum exci-

temus vel pacem publicam perturbemus, modo ne intrinsecum malum iubeat (cfr. Rom. 14, 14 sq.; supra p. 116). Patet, tunc legem illam ipsam non obligare, sed potius legem naturalem ex rationibus modo adductis.

II. Numquid licet tali legi resistere? Duplex resistentia distinguitur: *activa* et *passiva*. Activa iterum duplex esse potest: *legalis* et *vi armorum*. Legalis resistentia per scripta, per suffragia, per conciones etc. certe licet, imo nonnunquam ad iura sua defendenda necessaria est (e. g. fractio illa politica in Germania, quae „Centrum" vocatur). Resistentia activa vi armorum in eo consistit, ut vi adhibita vim per legem nobis illatam repellamus, vulnerando vel occidendo eos, qui legem exsequuntur. Haec resistentia activa non videtur licita, siquidem pax publica perturbatur, ita ut maius malum facile inde oriatur. Resistentia *passiva* in eo est, ut non faciamus, quod lex iniqua imperet, licet mala inde perpetienda sint. Haec resistentia passiva certe licet, etiamsi lex impossibilis vel iniusta aliquid non intrinsecus malum nobis imponat. Sed in hoc casu praestat forte, legi saltem externe obedire, renuntiantes potius bonis quibusdam materialibus, ne maiora mala ex resistentia passiva in nos vel alios redundent, e. g. si iniusta tributa vel iniquae vexationes imponuntur. Si vero lex est inhonesta, i. e. aliquid praescribit, quod intrinsecus malum est, resistentia passiva non solum licita est, sed omnino debita, etiamsi gravissima inde mala, imo etiam mors subeunda esset. Sic Spartani legi infantes aegrotos exponendi, sic Indi legi uxores cum marito mortuo comburendi, sic Babylonii legi virgines saltem semel in honorem Deorum prostituendi passive resistere debuerant; sic Antigone tyranno Creonti restitit; sic martyres Christi et christiani restiterunt potestati publicae iniquis légibus eos persequenti. Attamen sedulo advertendum est, debere *evidenter* constare, legem aliquam iniquam esse, ut liceat, eo modo, quo diximus, active vel passive resistere potestati publicae, et in dubio omnino standum est pro lege; alioquin nimis facile et saepe pax publica periclitaretur.

III. Quando lex aliqua ratione finis vel circumstantiarum inutilis vel etiam nociva evadit, abolenda est. Est tamen curandum, ne nimis facile saepeque leges mutentur; secus facile in contemptum abeunt et securitas publica in periculum vocatur. Id quoque monendum est, ne nimis multae leges positivae fiant, sed quae prorsus necessariae sint; alioquin libertas civium eorumque industria nimis coarctatur, id quod nostris temporibus in nonnullis gentibus facile adverti potest.

§ 2. De obligatione morali.

Quum sit de natura legis, ut obliget subditos, quaeritur, num etiam lex aeterna et naturalis inde fluens nobis obligationem imponat, qualis sit haec obligatio et unde derivetur. Quare tres potissimum quaestiones sunt resolvendae: a) de natura et proprietatibus obligationis; b) de exsistentia obligationis; c) de principio formali obligationis.

Sect. I: De natura et proprietatibus obligationis.

A. *De natura obligationis:* Obligatio (a ligare) in genere consistit in aliqua necessitate imponenda. Ac primum quidem potest spectari *active* et *passive*.

1. *Active* spectata est in ipso obligante, et est actus rationis et voluntatis, quo necessitatem aliquid faciendi subditis imponit, uti patet in omni legislatione vel imperio. In hoc actu obligandi potest considerari eius *norma* (causa logica), eius *ratio* (causa moralis), eius *causa intrinseca sive formalis*, per quam obligatio constituitur. *Norma* obligationis, e. g. in lege civili constituenda est indoles, dispositio, status culturae subditorum, quibus lex debet adaptari; alia enim lex et obligatio erit statuenda pro populo rudi vel culto, etiamsi finis legis idem est, e. g. absterrere a furto. Porro *ratio* obligationis sive eius causa moralis motiva est finis eius sc. bonum commune idque directe, indirecte autem etiam bonum individuorum. Denique *causa formalis* sive essentia obligationis consistit in actu voluntatis, quo superior subditos obligat ad bonum commune aliquod faciendum vel malum omittendum. Hoc modo obligatio plene constituitur, norma eius et finis, licet adsint, non tamen per se obligant, sed ad summum possunt vocari fundamentum logicum et ontologicum obligationis, sive obligatio inchoata et inadaequata, quod patet praesertim in legibus civilibus, quae tunc solum formaliter obligant, quando per legislatorem promulgantur et obligatio eas servandi imponitur. — Quodsi igitur lex naturalis obligat, *norma* huius obligationis saltem proxima obiectiva eadem erit atque actus moraliter boni, ad quem obligat, sc. natura humana; *ratio* autem motiva obligationis erit bonum universale, i. e. obiectiva Dei gloria, eique subordinata felicitas et perfectio hominum; denique *ratio formalis* erit voluntas divina sanctissima atque omnipotens.

2. Obligatio *passive* spectata significat necessitatem aliquam subditis impositam. Haec autem potest subiective et obiective spectari. *Obiective* significat rem impositam sive faciendam sive omittendam, e. g. tributa solvenda, furtum non faciendum. *Subiective* significat necessitatem aliquid faciendi sive omittendi. Haec autem necessitas non est physica, sicut in rebus brutis, neque physiologica sive psychophysica, ut in bestiis, sed est *moralis*, in quantum intellectui subditorum aliquid proponitur, quod voluntas *libere* debet facere, ita tamen, ut homo possit obligationi resistere, si per malam voluntatem voluerit. — Quodsi igitur lex naturalis obligationem imponit, haec obiective spectata, i. e. eius obiectum erit *ordo moralis* tum in genere tum in specie: Bonum faciendum, malum vitandum et respectu nostri et proximi et Dei. Subiective autem consistit in cognitione voluntatis divinae, in quantum ordinem moralem servari iubet et violari vetat.

3. *Relatio inter obligationem et motiva:* Obligatio et motiva, cur impleatur, non debent esse idem; neque enim requiritur, ut lex observetur ex obedientia erga legislatorem, sed sufficit fini legis, ut ex eo motivo ei obediatur, quod sufficiat ad obligationem urgendam, quemadmodum in itinere suscipiendo debemus quidem terminum itineris semper prae oculis habere, attamen ex diversis motivis hanc vel illam viam ad terminum praeferre possumus, e. g. ad urbem, monumenta, musea quaedam videnda. Obligationi igitur, quae oritur ex lege naturali per voluntatem divinam, non satisfaciendum est ex solo motivo obedientiae, sed praeter illud motivum etiam alia adesse possunt et perfectiora et minus perfecta. Sic nil impedit, quominus lex naturae impleatur ex alio motivo obiectivo, ut est amor vel reverentia erga Deum sive timor filialis. Imo licent etiam motiva subiectiva: spes praemii, vitae aeternae, vel timor poenae, aeternae damnationis, modo ne timor sit solum serviliter servilis sc. ita comparatus, ut affectio interna ad peccatum remaneat.

4. *Relatio inter obligationem et bonum morale sive malum morale in genere:* Obligatio ad aliquid faciendum supponit quidem rem faciendam in se esse bonam, attamen non vice versa, omne bonum eo ipso est praescriptum; secus nemo posset legi eiusque obligationi satisfacere; eiusmodi autem lex et obligatio esset impossibilis ac proinde repugnat fini legis. Quemadmodum igitur saepe diversae viae plus vel minus longae sive faciles ad eundem terminum ducunt, ita ad finem nostrum ultimum per diversos gradus perfectionis pervenire possumus. Quale igitur bonum subest obligationi? Illud quod ad relationem *necessariam* naturae nostrae tum in se ipsa quoad partem rationalem et sensitivam, tum quoad proximum et Deum pertinet. Sic omnino necessarium est, appetitum sensitivum rationi subordinare, attamen haec subordinatio, e. g. quoad cibum et potum sumendum, requiem, somnum capiendum potest esse maior vel minor; subordinatio igitur per se cadit sub praecepto, non autem eius gradus, abstractione facta a singulari aliqua conditione. Sic debemus proximum amare, adiuvare, sed gradus non praescribitur; idem dicendum de Deo venerando et amando. Inde elucet, praeter bonitatem *imperatam* adesse bonitatem *liberam*, cuius campus latissime, imo usque in infinitum patet, ita ut perfectioni humanae nulli fines sint constituti [1]). — Omne autem, quod est intrinsecus malum, vetatur per legem, quia omne peccatum destruit essentialem illam naturae nostrae relationem idque maiore vel minore gradu pro rei gravitate et actus intensitate, quae dependet a perfectione cognitionis mali et libertatis consensus nostri. Inde peccatum grave et leve distinguitur. Profecto, magna est differentia, utrum parvum an magnam copiam pecuniae quis furetur, utrum verbis an opere proximus laedatur, utrum cum plena an semiplena cognitione et inten-

[1]) Cfr. Gutberlet, Ethik u. Religion, p. 135 sq. contra Höffding bonitatem moralem liberam negantem, quia plus quam officium facere non possemus; nos autem teneri facere, quidquid possimus pro bono communi.

tione hoc fiat, quare errant Stoici, virtutes et vitia aequalia esse affirmantes, necnon Wicleffitae et Reformatores distinctionem peccatorum reicientes[1]).

B. *Proprietates obligationis:* Quum obligatio sit effectus legis, fit etiam particeps proprietatum causae suae. Legis autem proprietates potissimum ex eius ratione derivantur; ratio vero, cur lex a legislatore constituta sit, est eius finis sc. bonum commune. Iam vero finis i. e. bonum commune, potest esse *absolutus,* qui omnino appeti debeat et a nulla conditione pendeat; et *relativus,* qui ex se non sit necessario appetendus, sed solum sub conditione, quia tanquam finis constituitur; nam qui finem aliquem efficaciter vult, etiam media debet adhibere. Qualis igitur est finis legis naturalis? Est omnino absolutus atque quasi infinitus sc. Dei gloria et hominum perfecta felicitas. Inde elucet, etiam obligationem, quae ex lege naturali oritur, debere esse *absolutam,* ab omni conditione independentem, quasi *infiniti* ponderis, sicut bonum, ad quod appetendum obligamur. Haec igitur obligatio praevalet omnibus aliis, et etiamsi bonis omnibus finitis renuntiare, omnes subire cogeremur calamitates, illa obligatio ad summum bonum ex lege naturae orta esset retinenda atque sequenda.

Porro quum idem finis ultimus omnibus hominibus sit constitutus ipseque neque deficere neque immutari potest, patet, hanc obligationem absolutam etiam *universalem* atque *immutabilem* esse debere. — Quaeritur nunc, exsistatne haec obligatio absoluta, universalis, immutabilis.

Sect. II: De exsistentia obligationis sive de obligatione passiva.

Thesis VII: Exsistit in nobis obligatio ad legem naturae implendam eaque absoluta, universalis, immutabilis.

St. qu. 1. In thesi non loquimur nisi de obligatione orta ex lege naturae; nam legem positivam obligare, nemo est qui neget, saltem si obligatio externa per legis sanctionem (poenas) manifestata spectatur. Porro iam vidimus, leges positivas legitimas etiam in conscientia obligare, quia lege aeterna fundantur; ac proinde obligationem suam ex obligatione legis aeternae deducunt. In thesi loquimur de obligatione passiva, ut hac probata, postea facilius exsistentiam obligationis activae demonstremus.

2. Adversantur nobis omnes, qui negant legem aeternam vel saltem qui eius obligationem ex subsequente lege positiva in societate humana derivant, ut Pufendorf († 1694), Thomasius († 1728) et schola „historica", duce Stahl († 1861), Savigny († 1861) etc.

---

[1]) Cfr. Simar, l. c. p. 177 (§ 69, 3).

I. *Exsistit obligatio ad legem aeternam implendam.*

Prob. 1. *Ex natura legis:* Est de natura legis, ut obliget; secus enim finem suum, qui est bonum commune, non obtineret; nam bono communi quasi semper bonum privatum obstat, necnon egoismus subditorum et inclinatio mala naturae, quae semper bonum privatum communi praeferunt. *Atqui* lex naturae est vera lex (cfr. supra p. 107 sq.) a legislatore supremo, infinite sapiente, sancto, potente constituta; bonum autem commune legis naturae, i. e. gloria Dei et perfectio finalis nostra omnium bonorum est summum simulque maxime arduum. *Ergo* debet esse obligatio ad naturae legem implendam.

2. *Ex signo et effectu obligationis:* Signum et effectus obligationis est legis sanctio: praemium, laus pro lege observata; poena, infamia pro ea neglecta. *Atqui* est sanctio pro lege aeterna eaque tum in hac, tum potissimum in altera vita, ut postea videbimus. *Ergo* exsistit obligatio ad legem aeternam observandam.

3. *Ex communi consensu:* Ostendimus, omnes gentes iam antiquitus non solum legem aeternam statuisse, sed etiam eius obligationem, eamque prorsus independentem, ante omnem legem humanam, sanctione poenae aeternae munitam. *Atqui* iam Cicero iure affirmat: „Omni autem in re consensio omnium gentium lex naturae putanda est" (cfr. vol. I, 225). *Ergo* exsistit obligatio ex lege naturae orta.

II. *Haec obligatio est absoluta, universalis, immutabilis.*

1. *Est absoluta:* a) *ratione auctoris;* est enim a Deo, qui est absolutus rerum dominus; b) *ratione legis,* ad quam observandam obligat; nam lex naturae est absoluta, i. e. nihil ab ea implenda excusare potest: nullum bonum ex transgressione sperandum, nullum malum ex observatione patiendum, quia ea iubet, quae intrinsecus sunt bona, ea vetat, quae intrinsecus sunt mala, i. e. mala per se, absoluta; c) *ratione finis;* nam finis legis naturae eiusque obligationis est summum bonum, quo maius nihil esse potest: bonum ipsum divinum, eius gloria et honor, cui perfectio hominis eiusque felicitas subordinatur; d) *ratione sanctionis;* nam, ut postea ostendemus, sub poena *aeterna,* i. e. *quasi infinita* obligamur, et praemium fidelitatis erit vita aeterna, qua sanctione maior esse non potest, quae omnia bona et mala vitae superat, ac proinde absoluta est. e) Denique omnes consentiunt, legibus moralibus semper obediendum esse, neque ullum bonum, neque ullum malum, quantumvis sit, ab hac obligatione excusare posse, id quod unicuique testatur conscientia necnon testimonia hominum omni tempore. Ille habetur inhonestus atque ignominia et poena aeterna dignus, qui honestatem obiciat, licet divitias et honores inde comparet; ille autem fortis habetur et

vero honore et immortalitate beata dignus, qui omnia bona, imo vitam ipsam potius deserat, quam honestatem, ut iam veteres exemplo Antigonae et Neoptolemi apud Sophoclem ostendunt.

2. Est *universalis*, i. e. eadem pro omnibus hominibus semper et ubique, a) quia eius causa *proxima*, quae est lex aeterna, est universalis; b) etiam causa remota eaque ontologica, quae est bonum universale, i. e. gloria Dei et perfectio humana, ultima ratio legis, et c) causa remota logica, quae est natura humana (cfr. supra p. 81 sq.) ut norma legis et obligationis, eadem est pro omnibus hominibus.

3. Est *immutabilis*, quia iterum et lex aeterna et finis ultimus et natura humana immutabilis est, quod testatur historia et persuasio generis humani (cfr. supra p. 120). *Ergo* obligatio ad legem naturae servandam est absoluta, universalis, immutabilis.

Sectio III: De principio formali obligationis sive de obligatione activa.

Explicatio historica. Quum obligationem absolutam sentiamus quaedam bona faciendi, mala autem vitandi, porro quum non omnia bona nobis sint ex officio facienda, quaeritur, unde sit haec obligatio. Qua in quaestione explicanda omnes ethici, qui serio principia moralia retinent, multam operam collocabant, et pro suo quisque systemate in diversas omnino sententias abeunt, quemadmodum etiam in ipso bono et malo morali eiusque discrimine intrinseco explicando diversas opiniones statuunt (cfr. supra p. 21 et 32 sq.).

I. Alii igitur *ex natura nostra individuali* obligationem derivant, idque vel ex parte eius potius inferiore, ut Hedonismus Cyrenensium et recentium Materialistarum, et Eudaemonismus privatus Epicuraeorum tum veterum tum modernorum. Alii vero ex parte superiore hominis, i. e. ex dignitate naturae rationalis, ut iam *Stoici* sentiebant. Ad quos etiam Gabriel *Vasquez* († 1604) [1] nimis accedere videtur, docens, legem naturae ex se obligare ratione naturae nostrae rationalis sine ulla obligatione ex voluntate legislatoris, licet Deus *postea* etiam positive opera legis naturae praescripserit in decalogo Mosaico; quasdam enim actiones *ex se* esse bonas vel malas ac proinde adesse obligationem ante ullam voluntatem etiam divinam; [2]) quam sententiam *Suarez* [3]) eius in eadem universitate Romana collega refutavit, voluntatem Dei statuens principium formale obligationis.

Postea praesertim *Kant* rationem practicam, quam tamen cum voluntate confundere videtur, „autonomam" statuit, tanquam sibi ipsi obligationem imponat, omnemque auctoritatem externam etiam divinam respuit (cfr. supra p. 47 sq.). Quam sententiam post ipsum plurimi recipiebant plus vel minus immutatam, ut Fichte, Hegel, Herbart, Zeller, Stange aliique multi, sive ex decreto vel iudicio caeco („synthetico a priori") rationis, sive ex

[1]) Cfr. Wittmann, Zum Problem der Pflicht (Phil. Jhrb., 1904, p. 270 sq.); Cathrein, l. c. I, 356 sq.

[2]) Vasquez, In I, II (S. Thomae) disput. 49, c. 2 et 150 c. 3.

[3]) De legibus II, c. 5 et 6.

dignitate naturae rationalis, si cum parte inferiore sensitivo comparatur, obligationem deducentes. — Alii tandem ex quadam affectione primitiva, caeca, ut Shaftesbury, Reid, Jacobi, Schopenhauer, alii ex imperio quodam autonomo voluntatis, cuius originem nemo explicare potest, sed quod supponitur tanquam factum aliquod primitivum, ut Schwarz, Ehrenfels, Wentscher etc. (cfr. supra p. 56 sq.), obligationem oriri putant. — Hi igitur ethici affirmant, sive rationem sive voluntatem nostram obligationem moralem, utique modo inscio, nobis imponere [1]).

II. *Ex natura nostra sociali* obligationem derivat omnis Eudaemonismus socialis modernorum (cfr. supra p. 35 sq). Et hi quidem hodie plerumque per modum evolutionis originem obligationis explicant, praesertim duce *Spencer* [2]). Docet enim, initio homines, quando in statu bestiis proximo vivebant, adhuc sine moralitate fuisse. Quum vero actiones quaedam bonum, aliae malum *physicum* efficerent, primum *internam* aliquam necessitatem experiebantur, actiones bonas repetendi, malas omittendi. Ad hanc internam necessitatem mox accessit *externa* coactio; vivebant enim homines in familia et deinde in societate, in qua quaedam actiones aliis nocentes poena, aliae praemio afficiebantur; hoc modo obligationes *sociales* et *civiles* ortae et per hereditatem earum dispositiones ad posteros transmissae sunt. Cum his adhuc obligationes *religiosae* connectebantur, quae ex timore poenae per Deos oriebantur. Iam vero per leges associationis paulatim ipsae actiones, moribus et legibus civilibus et religiosis permissae vel punitae, bonae et malae habebantur (sicut valor ipsarum rerum cum pecunia pro eis soluta confunditur), unde obligationes illae, usque modo mere externae, fiunt internae et actiones iam in *se ipsis* habentur morales. Quando autem genus humanum per evolutionem ad statum perfectum pervenerit, obligatio omnis externa deficiet, siquidem iam facta est interna necessitas, quae ex naturali delectatione oritur; felicitas igitur et obligatio idem erunt [3]).

Et haec quidem sententia paulisper immutata communis est fere modernis Evolutionistis. Sic *Wundt* statuit, homines initio bestiis adhuc proximos sine moralitate fuisse et solas qualitates corporales: robur, formositatem etc. magni fecisse; deinde eos, teste verborum analogia, etiam qualitates internas, externis correspondentes, robur mentis, pulchritudinem animi, aestimavisse; denique per leges principum mores esse introductos ad vitam cummunem coactione *externa* instituendam. Mores igitur et ius initio idem fuerunt. Paulatim vero, per legem „crescentis energiae et heterogoniae finium" [4]) a Wundt inventam, mores facti sunt motivum *internum*, impellentes propter

[1]) Ita Kant: „Wie reine Vernunft praktisch sein könne, das zu erklären, dazu ist alle menschliche Vernunft gänzlich unvermögend. . . . . So begreifen wir zwar nicht die praktische unbedingte Notwendigkeit des moralischen Imperativs, wir begreifen aber doch seine Unbegreiflichkeit, welches alles ist, was billigerweise von einer Philosophie, die bis zur Grenze der menschlichen Vernunft in Prinzipien strebt, gefordert werden kann" (Grundlegung zur Metaphysik der Sitten). Cfr. Cathrein l. c. I, 360; cfr. supra p. 51.

[2]) Prinzipien der Ethik, 1895, II. p. 3 et 318 sq.

[3]) Tatsachen der Ethik 144.

[4]) Ethik, 1892², p. 114, 266 sq.; cfr. vol. I, p. 310 sq.; Schneider, Göttl. Weltordnung u. religionslose Sittlichkeit, 1900, p. 372 sq.

respectum opinionis publicae. Postea ex eadem lege „heterogoniae“ ad haec „imperativa“ coactionis externae et necessitatis internae accedebant „imperativa“ *libertatis*, quae sunt pax interna conscientiae et exemplar aliquod ideale, cui conformari volumus. Omnia autem illa imperativa et externa et interna initio formam religiosam induebant, i. e. tanquam divina habebantur; „religio enim ipsa est concreta et sensibilis repraesentatio exemplaris idealis“, i. e. productum phantasiae et affectus. Decursu autem temporis, cultura mentis crescente, illa imperativa moralia a religione separantur et apparent pure humana eruntque ipsa religio vera sine dogmate, sine miraculis, sine immortalitate, sine Deo personali [1]).

Neque multum differt *Paulsen*, docens iam in brutis apparere aliquam moralitatem fundamentalem, quae consistat in conflictu illo inter inclinationem naturalem et consuetudinem acquisitam, e. g. in cane venatorio, qui, si a domino deprehenditur illicite venans, signa poenitentiae edit, ostendens se obligationem internam sentire. Mores autem humani se habent ut instinctus brutorum; sunt enim „instinctus, quorum habemus conscientiam“ (cfr. supra p. 19). Mores autem formantur per auctoritatem parentum, societatis, deorum, unde tanquam obligatio externa nobis apparent; quae auctoritas, si a voluntate nostra libere recipitur, fit obligatio legitima interna [2]). Religio quidem necessaria est, est tamen productum phantasiae et cordis, neque in Deo personali fundatur. — Obligatio igitur omnibus his philosophis, Pantheismo et Evolutionismo faventibus, ex voluntate quadam communi societatis, ex voluntate sociali, moribus, institutis legibusque publicis manifestata, oritur [3]),

---

[1]) Ethik, p. 492 sq., 613 sq.

[2]) „*Der ursprüngliche Inhalt der Pflicht ist eben nichts anderes als die Sitte.* . . . Auf höherer Entwickelungsstufe . . . gewinnt die Pflicht immer mehr einen persönlichen und individuellen Charakter. . . . Die Pflicht ist bekleidet mit der *Autorität der Sitte.* In der Sitte aber ist wirksam die Autorität der Eltern und Erzieher, der Vorfahren, des Volkes selbst. Und zu diesen höchsten menschlichen Autoritäten kommt endlich regelmässig noch eine höhere und letzte: *Die Autorität der Götter.* Die Götter, *nach dem Bilde der Menschen gemacht,* nehmen den Willen des Volkes, *das sie schafft,* in sich auf, sie werden bei höherer Entwickelung der Religion überall Schützer der Sitte und des Rechtes. Diese dreifache Autorität der Eltern, des Volkes, der Götter wird in dem Gefühl des Sollens anerkannt: es ist ein Gefühl des Gebundenseins des Eigenwillens durch einen höhern Willen, welcher den Neigungen Grenzen setzt. . . . Dieser Wille wird innerlich von dem eigenen Willen anerkannt als einer, der absolut Recht hat zu gebieten, und dem unter allen Umständen gehorcht werden sollte, auch da, wo ihm keine Zwangsgewalt zu Gebote steht“ (System der Ethik, 1900 [5], I, p. 325).

[3]) Ita etiam Achelis (cfr. supra p. 42): „Wir können von Pflichten nur reden in einer *sozialen* Gemeinschaft. Deshalb gibt es auch, beiläufig bemerkt, nur im übertragenen Sinne Pflichten gegen die eigene Person. Alle Pflicht ist somit Ergebnis *geselligen Zusammenlebens* und kann sich daher nach allen Seiten hin nur auf die Erhaltung und Förderung irgend welcher sozialer Gruppen beziehen, sei es der Familie, des Stammes, des Volkes oder gar . . . der Menschheit“. Ethik (Sammlung Göschen) p. 93. Similiter sentiunt Léon Bourgeois (solidarité), Albert Bayet, Payot, Buisson, Lévy-Bruhl, Dürkheim, Schaeffle, Wagner, Schmoller, Simmel etc. Cfr. Revue Néo-Scolastique

in quo ipsis consentiunt multi iurisperiti, ex fine societatis eiusque evolutione et institutionibus cum Jhering, Gumplowitz, Bergbohm etc. et honestatem et obligationem derivantes [1]), (cfr. supra p. 109).

Thesis VIII: Principium formale obligationis ad legem naturae implendam neque est natura humana neque societas humana neque finis ultimus, sed voluntas divina.

St. qu. 1. *Principium formale* illud vocatur, quod rem aliquam intrinsecus constituit, e. g. humanitas hominem; principium igitur formale obligationis illud est, quod eam qua talem constituit. Differt igitur a *norma* obligationis, quae aliquo modo eius principium formale, sed *extrinsecum* vocari potest et potius ad causam efficientem pertinet. Haec autem norma obiectiva obligationis legis naturalis est pro eius auctore eadem, ac boni et mali moralis: *ultima* est divina essentia; *remota* est ordo rerum, sicut in divina mente exsistit; *proxima* est natura humana adaequate spectata. Norma autem *subiectiva* eaque *proxima* pro Deo obligante est ratio divina universum ordinem repraesentans.

2. Porro principium formale obligationis differt etiam a *ratione* eius, quae est bonum universale vel potius divinum, omnia bona finita in se comprehendens; haec enim ratio obligationis, si *logice* spectatur, i. e. ut in mente legislatoris exsistit, est eius finis et causa motiva, cur lex eiusque obligatio sit statuta a legis latore supremo. Si autem *ontologice* spectatur, est terminus realis sive effectus actionis moralis, quae praescribitur; finis enim est primum in intentione (logice) et ultimum (ontologice) in executione. Quare per se obligationi ipsi finis ultimus est extrinsecus; huius enim terminus proximus et intrinsecus est, ligare voluntates subditorum.

3. Adversantur nobis omnes, qui Deum omnino negant, ut Materialistae, vel saltem Deum personalem, ut Pantheistae, vel qui in moralitate explicanda a Deo praescindunt, ethicam a religione separantes, ut Positivistae et recentiores auctores „culturae ethicae“ (cfr. supra p. 5), imo etiam aliqui philosophi christiani, quorum sententiam supra exposuimus.

I. *Principium formale obligationis moralis non est natura humana individualis.*

Prob. 1. *Ex norma obligationis:* Norma obligationis non est idem ac ipsa obligatio; eam enim praecedit estque eius causa solum logica.

1907, p. 329 sq.: Deploigne, Le conflit de la morale et de la sociologie; Revue de philosophie, 1902: Sertillanges, Les bases de la morale etc.; 1904: Fonsegrive, Le problème moral; La pensée contemporaine, 1903, p. 142 sq. 1905, decembre: Une tentative radicale contre la morale traditionelle; Chollet, La morale est-elle une Science? 1907 (Collection: Questions philosophiques); Bureau, La crise morale, 1907 [2], surtout ch. VIII et IX.

[1]) Cfr. W. Schneider, Göttl. Weltordnung etc., 1900, p. 322 sq.

Atqui natura humana est norma, secundum quam lex et eius obligatio diiudicantur. *Ergo* natura humana non est principium formale obligationis moralis.

2. *Ex qualitatibus obligationis moralis:* Obligatio moralis legis naturae est absoluta atque ponderis quasi infiniti. *Atqui* natura humana, ut individualis exsistens — nam solum ut exsistens posset esse principium formale obligationis revera *exsistentis* — certe neque est absoluta neque valoris infiniti. *Ergo* non potest esse principium formale obligationis absolutae.

3. *Ex distinctione inter bonum praeceptum et liberum:* Constat, non omne bonum sive quoad speciem sive quoad intensitatem actus moralis esse praeceptum; secus nullus esset homo bonus. *Atqui* si natura humana qua talis esset principium formale obligationis, tunc omne bonum, i. e. omnis actus conveniens cum ipsa, sicut est bonus per hanc convenientiam, ita etiam praeceptus esset. *Ergo* natura humana qua talis non est principium formale obligationis.

4. *Ex sanctione:* Lex naturae eiusque obligatio munita est sanctione tum in hac vita, tum praesertim in vita futura, quod postea probabitur; sanctio autem ab illo est, qui statuit legem eiusque imposuit obligationem, ut in legibus humanis apparet. *Atqui* natura humana hanc sanctionem neque statuere neque exsequi potest: *Non in hac vita,* quia non est domina bonorum vitae externorum, neque internorum: pacis, tranquillitatis, consolationis, conscientiae, siquidem haec bona supponunt iam obligationem adimpletam; sunt eius effectus et signum, non causa. *Non in altera vita;* nam de altera vita nihil disponere possumus; deficerent igitur motiva praecipua, praesertim in tentationibus. *Ergo* natura humana non est principium formale obligationis.

Neve dicas, sanctionem tandem probari ex obligatione; probatur quidem *etiam* ex obligatione; sed aliis quoque argumentis ex experientia deductis. — Certe autem non licet, obligationem reducere ad sanctionem internam sive ex ea tanquam ex causa sua ontologica explicare, ut Gizycki, Stange aliique censent; nam obligatio est causa sanctionis, haec autem illius est effectus et signum, ex quo tanquam ex causa *logica* exsistentia obligationis probari potest. Deinde aliud est obligatio obiective, i. e. active spectata et cognitio sensusque internus huius obligationis; haec potest adesse sine illa, sive quis per errorem obligationem ignoret, sive per malitiam et pravam consuetudinem vocem conscientiae exstinxerit. Confundunt igitur obligationem obiectivam (activam) et subiectivam (passivam).

Neque cum *Kant*, Herbart, Stange etc. (cfr. supra p. 47 sq.) *ratio nostra* autonoma statuenda est, ut possit „imperativum categoricum“ ex se producere; nam est solum norma, non fons obligationis; neque absolutam obligationem, neque distinctionem inter bonum necessarium et liberum, neque sanctionem ex se statuere, sed *obligationem iam exsistentem ostendit,* quia cognoscit, nos

dependere a iudice supremo, quare ipse Kant Deum supponit ut auctorem sanctionis (cfr. supra p. 49).

Neque cum *Schwarz, Ehrenfels, Wentscher* aliisque *voluntas nostra* fons obligationis habenda est, nisi in quantum obligationem obiectivam libenter suscipimus nostramque facimus; nam voluntas nostra aut cum aut sine ratione nos obligaret. *Si primum,* certe hoc sciremus; sed conscientia testatur, nos non per nostram voluntatem obligari, sed aliunde, velimus, nolimus; neque penes nos esse hanc obligationem recusare. *Sin alterum,* vita nostra moralis non ratione fundaretur, sed irrationalis esset. Deinde aut libere aut necessario voluntas nostra nos obligaret. Si *primum,* possemus quovis momento obligationem abicere, quod repugnat naturae absolutae ordinis moralis, conscientiae nostrae et persuasioni hominum. Sin *alterum,* tunc ipsa natura nostra nos obligaret, quod iam supra refutavimus. Accedit, quod voluntas nostra, utpote finita, ad malum inclinata, ex se impotens, neque absolutam obligationem, neque discrimen inter bonum liberum et necessarium, neque sanctionem statuere potest.

II. *Neque natura nostra socialis est principium formale obligationis moralis.*

Prob. 1. *Per exclusionem:* A. Si societas humana esset principium formale obligationis legis naturae — de hac enim agitur, non de legibus positivis, quarum obligatio saltem proxima sine dubio est ex ipsa societate —, obligatio tandem oreretur ex moribus, legibus et institutis, quibus auctoritas publica sese manifestat. *Atqui* a) constat ex omnium persuasione, mores et leges non obligare, nisi possibiles, honestae, iustae sint, imo nos nonnunquam ex lege naturae esse obligatos ad resistentiam saltem passivam, si mores vel leges quid inhonesti imponant (cfr. supra p. 114 sq.); ex quo apparet, leges et mores iam supponere obligationem praecedentem, ex qua ipsae dependent et cui conformari debent. b) Sunt actiones morales, quas vel ponere vel omittere obligamur ante ullam legem, de quibus nulla lex socialis est neque esse potest, siquidem agitur de honestate vel malitia prorsus individuali, e. g. malitia in sola cogitatione vel desiderio; vel actiones contra castitatem privatam et in occulto, quae prohibentur, etiamsi mores et leges eas non prohibent; c) Historia docet, saepe mores et leges fuisse inhonestas vel iniustas, quae certe in conscientia obligare non poterant, etiamsi vi externa obedientia extorqueretur; et ii laudantur et admiratione afficiuntur, qui talibus legibus fortiter resistebant, ita ut bonis et vitae ipsa renuntiarent ad honestatem servandam. *Ergo* principium formale obligationis non est natura humana socialis sive societas humana.

B. Si obligatio oreretur ex societate ipsa, hoc ius nos obligandi aut fundaretur in potestate aut in fine civitatis. *Atqui non primum;* nam tunc potentia et ius coinciderent; qui posset potestati resistere,

nullam haberet obligationem; esset vera tyrannis, homine indigna. *Non alterum;* nam obligamur multa facere vel omittere, quae extra finem societatis, i. e. extra bonum commune sunt; e. g. omnia officia privata; honestas, temperantia, religio privata. *Ergo* societas non est fons obligationis legis naturae.

2. *Ex attributis obligationis:* Obligatio legis naturalis servandae est absoluta omnesque alias quasi infinite superat. *Atqui* auctoritas societatis, „spiritus et voluntas communis populi" („der Volksgeist und Volkswille", sic Wundt et Paulsen aliique post Hegel), quae per linguam, mores, leges. instituta, religionem sese manifestant, aut concipitur ut summa individuorum, aut ut aliquid transcendens summam individuorum. — *Si primum,* non intelligitur, quomodo absoluta oreretur obligatio, siquidem singula individua per se *nullam* habent auctoritatem alios obligandi; naturâ enim aequalia sunt; et etiamsi per pactum alicui conferrent auctoritatem suam, haec auctoritas semper esset finita et relativa et *supponeret* iam *obligationem* praecedentem pactum vel inuendi vel saltem observandi. *Sin alterum,* haec auctoritas summam individuorum transcendens, siquidem debet esse realis, non pura abstractio, vel est auctoritas Dei personalis, ut nos affirmamus, vel esset ens aliquod absolutum cum societate humana identicum, cuius singula individua humana non essent nisi individuationes vel apparitiones. Sed tunc statuitur Pantheismus vel Panthelismus omnino absurdus (cfr. vol. II, p. 547 sq.), qui destruit ipsam libertatem voluntatis ac proinde totam moralitatem. *Ergo* obligatio legis moralis formaliter non oritur ex natura nostra sociali.

3. *Ex sanctione:* Obligatio semper coniuncta est cum aliqua sanctione; si igitur obligatio omnis moralis oreretur ex sola societate, etiam tota sanctio inde repetenda esset. *Atqui* nimis evidens est tum per propriam experientiam tum per testimonia historiae, civitatem non posse sanctionem statuere [1]): a) *sufficientem,* quia transgressores legis naturae saepe latent, vel possunt se subtrahere poenae, vel morte poenas effugiunt; b) *pro omnibus legis transgressionibus,* quia lex humana non punit nisi delicta externa, non interna, quae tamen sunt radices externorum; neque punit nisi delicta contra bonum commune, ac proinde nulla esset sanctio honestatis privatae. *Ergo* obligatio moralis non ex sola civitate sive natura sociali hominis derivari potest.

III. *Principium formale obligationis non est finis ultimus.*

A. *Non finis ultimus logice spectatus.*

Prob. 1. *Ex natura finis logice spectati:* Finis ultimus logice spectatus est summum bonum sine bonum commune, sicut ante actionem moralem eiusque obligationem per solam mentem tum legislatoris tum subditorum concipitur et ut appetendum proponitur (cfr. supra p. 77, 135). *Atqui* bonum ultimum hoc modo conceptum est quidem ratio eaque proxima, cur lex eiusque obligatio statuatur, non autem est lex et obligatio ipsa, quemadmodum salus publica in civitate est ratio, cur leges obligantes constituantur, sed non ipsa est lex, neque ante leges *decretas* subditi ad quidquam particulare per se obligantur, licet salus publica semper urgeat. *Ergo* finis ultimus logice spectatus non est iam ipsa obligatio.

[1]) Chollet, l. c. p. 50 sq. Morawski-Overmans, Abende am Genfer See, 1904, p. 1—29.

2. *Ex natura obligationis:* Obligatio oriri non potest, nisi ex voluntate aliqua superiore, ut patet in legibus humanis. *Atqui* ultimus finis summumque bonum logice spectatum non est voluntas, sed bonum aliquod per voluntatem producendum; est enim secundum alios utilitas privata vel socialis, secundum alios hominum perfectio, secundum nos gloria Dei formalis nostraque perfectio et felicitas. *Ergo* finis ultimus logice spectatus non est principium formale obligationis.

3. *Ex discrimine inter bonum necessarium et liberum:* Constat, non omne bonum morale nobis esse faciendum (cfr. supra p. 129). *Atqui* si finis ultimus esset ratio formalis obligationis, omne bonum morale esset faciendum, quamvis necessitas et gravitas obligationis pro rei natura maior vel minor esse posset, quia omne bonum in eo convenit, quod relationem ad ultimum finem habet. Debet igitur aliud principium obligationis supponi, quo bonum necessarium et liberum distinguatur.

B. *Non finis ultimus ontologice spectatus.*

Prob. 1. *Ex natura finis ontologice spectati:* Finis ultimus ontologice spectatus est ultimum in executione, i. e. terminus et effectus actus moralis. *Atqui* obligatio praecedit actionem moralem, est enim eius causa motiva sive moralis. *Ergo* finis ultimus ontologice spectatus non est ratio formalis obligationis.

2. *Ex qualitate obligationis:* Obligatio ad legem moralem est absoluta, quia sub omni conditione eodemque modo omnes obligat. *Atqui* finis ultimus, quamvis in se, i. e. *materialiter* consideratum, sit bonum absolutum, non tamen ab omnibus obtinetur, vel non eodem modo, sed plus minus perfecte pro numero et intensitate actuum moralium; bonum igitur summum *formaliter* consideratum pro singulis differt. *Ergo* finis ultimus non constituit ipsam obligationem.

Argumenta supra sub 2 et 3 posita etiam hic afferri possunt.

IV. *Principium formale obligationis est voluntas divina.*

Prob. 1. *Per exclusionem.* Ostendimus, exsistere obligationem moralem eamque absolutam, universalem, immutabilem (supra p. 131); haec autem obligatio formaliter constituitur aut per naturam nostram individuam (per rationem sive voluntatem), aut per naturam nostram socialem (per auctoritatem publicam), aut per ipsum bonum nostrum ultimum. *Atqui* vidimus, eam non constitui per naturam nostram individuam et socialem, neque per finem ultimum. *Ergo* non restat, nisi ut per Deum constituatur. Constituitur autem vel per divinam rationem vel per divinam voluntatem. *Atqui non primum;* nam ratio divina est quidem *norma* eaque proxima subiectiva (cfr. supra p. 135) obligationis, non tamen eius ratio formalis; secus omnia bona essent praecepta. *Ergo* ratio formalis obligationis exsistentis est voluntas divina.

2. *Ex natura obligationis:* Obligatio supponit voluntatem superiorem, quae habeat et ius et potestatem nos *absolute* obligandi *idque in conscientia.* *Atqui* non est voluntas praeter divinam, quae habeat a) *potestatem* nos obligandi, idque in conscientia; nam nulla voluntas attingit conscientiam nostram, ita ut voluntatem nostram ipsam liberam ligare possit; possunt homines nos, i. e. corpus nostrum quidem externe cogere, non tamen interne. — Neve dicas, etiam hominum leges conscientiam nostram obligare; nam vidimus, lege divina non supposita, leges humanas privari fundamento suo (supra p. 114). b) Neque est voluntas praeter divinam, quae *ius* habeat, nos in conscientia obligandi; nam ex natura nostra omnes aequales sumus, et si est differentia quoad naturam nostram *concrete* spectatam, haec differentia est extrinseca et accidentalis, neque ius ullum obligandi in *conscientia* confert, ut ex persuasione universali patet; neque enim homines intelligentia vel viribus praestantes eo ipso aliis imperare possunt (cfr. Exodus 2, 14). Deinde ius obligandi iam supponit in subditis *obligationem* obediendi, ac proinde non explicat originem obligationis moralis in genere. Neve obicias, tunc etiam ius divinum obligandi iam supponere obligationem obediendi; nam ius divinum non ab alio iure derivatur, sicut humanum, sed est prorsus absolutum, et obligatio obediendi in hominibus fundatur iam in dependentia absoluta naturae humanae a Dei natura, ratione et voluntate tanquam a causa sua efficiente, exemplari, finali. *Ergo* voluntas divina est principium formale obligationis

3. *Ex qualitate obligationis:* Obligatio moralis exsistit et est omnino absoluta. *Atqui* sola voluntas divina est principium absolutum rerum exsistentium: a) *absolutum,* quia non dependet ab ulla alia voluntate ratione decretorum suorum, ius suum imperandi non aliunde

derivat; b) *sola,* quia nulla voluntas creata per se nos obligare et liberam voluntatem nostram ligare potest; c) *rerum exsistentium,* siquidem etiam natura et ratio divina sunt principia absoluta, non tamen rerum ratione *exsistentiae;* haec enim dependet a sola voluntate libera divina. *Ergo* . . . Neve dicas, tunc obligationem moralem non iam in se necessariam esse, siquidem dependeret a *libera* Dei voluntate; nam distinguenda est *exsistentia* et *natura intrinseca* obligationis vel potius eius obiecti. *Natura* obligationis quidem est necessaria, in quantum natura humana, si exsistentiam accipit, tum in se tum ratione Dei et proximorum ita ordinari debeat, ut moralis inde ordo habeatur; sed *exsistentia* huius ordinis prorsus dependet a divina libera voluntate ac proinde etiam exsistentia obligationis.

4. *Ex distinctione boni necessarii et liberi:* Constat per conscientiam propriam et persuasionem hominum, non omnia bona nobis esse facienda, neque modo semper perfectiore, siquidem hoc vel impossibile esset, vel onus intolerabile nobis imponeret. *Atqui* debet esse principium, quod hanc differentiam inter bonum liberum et necessarium constituat; hoc autem principium, ut vidimus, non invenitur in sola norma honestatis, neque in solo fine ultimo, siquidem norma et finis ultimus solum *indicant,* quae plus vel minus bonitatis moralis continent, vel etiam quae actiones bonae sint omnino necessariae ad finem, quae non; non autem *praescribunt* absolute, quae *debeant* fieri, et quae solum *possint* fieri vel *suadeantur* fieri. *Ergo* debet voluntas aliqua accedere tanquam principium *determinans,* quae voluntas certe non est nostra individualis vel socialis, ut ostendimus, neque voluntas aliqua absoluta impersonalis, pantheistica, quae, utpote sibi inconscia et necessaria, neque legem et obligationem concipere, neque *libere* imponere potest. *Ergo* obligatio moralis non potest proficisci nisi a voluntate divina personali.

5. *Ex sanctione:* Omnis obligatio, ut efficax sit, supponit sanctionem, i. e. praemium bonis, poenam malis actionibus; nam homines per liberam voluntatem possunt a lege deficere et per inclinationes malas et difficultates legis implendae facile ab officio deterrentur, nisi per sanctionem propositam quasi aequipondium habeatur. *Atqui* sola divina voluntas potest sanctionem eamque efficacem pro lege naturali statuere atque exsequi: a) *internam;* haec enim consistit in pace conscientiae, quam, teste experientia, nemo nobis conferre potest, ne nos quidem ipsi, etiamsi velimus; b) *externam,* quia bona huius terrae, etiamsi ab hominibus vel a natura nobis offerrentur — et optimus quisque, teste historia, plerumque his bonis caret — non sunt sanctio sufficiens (cfr. vol. II, p. 445 sq.), bona autem vitae futurae solus Deus nobis conferre potest, vel etiam poenas aeternas infligere. Haec autem praemia et poenae per voluntatem divinam et statuun-

IV. *Principium formale obligationis est voluntas divina.*

Prob. 1. *Per exclusionem.* Ostendimus, exsistere obligationem moralem eamque absolutam, universalem, immutabilem (supra p. 131); haec autem obligatio formaliter constituitur aut per naturam nostram individuam (per rationem sive voluntatem), aut per naturam nostram socialem (per auctoritatem publicam), aut per ipsum bonum nostrum ultimum. *Atqui* vidimus, eam non constitui per naturam nostram individuam et socialem, neque per finem ultimum. *Ergo* non restat, nisi ut per Deum constituatur. Constituitur autem vel per divinam rationem vel per divinam voluntatem. *Atqui non primum;* nam ratio divina est quidem *norma* eaque proxima subiectiva (cfr. supra p. 135) obligationis, non tamen eius ratio formalis; secus omnia bona essent praecepta. *Ergo* ratio formalis obligationis exsistentis est voluntas divina.

2. *Ex natura obligationis:* Obligatio supponit voluntatem superiorem, quae habeat et ius et potestatem nos *absolute* obligandi *idque in conscientia.* *Atqui* non est voluntas praeter divinam, quae habeat a) *potestatem* nos obligandi, idque in conscientia; nam nulla voluntas attingit conscientiam nostram, ita ut voluntatem nostram ipsam liberam ligare possit; possunt homines nos, i. e. corpus nostrum quidem externe cogere, non tamen interne. — Neve dicas, etiam hominum leges conscientiam nostram obligare; nam vidimus, lege divina non supposita, leges humanas privari fundamento suo (supra p. 114). b) Neque est voluntas praeter divinam, quae *ius* habeat, nos in conscientia obligandi; nam ex natura nostra omnes aequales sumus, et si est differentia quoad naturam nostram *concrete* spectatam, haec differentia est extrinseca et accidentalis, neque ius ullum obligandi in *conscientia* confert, ut ex persuasione universali patet; neque enim homines intelligentia vel viribus praestantes eo ipso aliis imperare possunt (cfr. Exodus 2, 14). Deinde ius obligandi iam supponit in subditis *obligationem* obediendi, ac proinde non explicat originem obligationis moralis in genere. Neve obicias, tunc etiam ius divinum obligandi iam supponere obligationem obediendi; nam ius divinum non ab alio iure derivatur, sicut humanum, sed est prorsus absolutum, et obligatio obediendi in hominibus fundatur iam in dependentia absoluta naturae humanae a Dei natura, ratione et voluntate tanquam a causa sua efficiente, exemplari, finali. *Ergo* voluntas divina est principium formale obligationis

3. *Ex qualitate obligationis:* Obligatio moralis exsistit et est omnino absoluta. *Atqui* sola voluntas divina est principium absolutum rerum exsistentium: a) *absolutum,* quia non dependet ab ulla alia voluntate ratione decretorum suorum, ius suum imperandi non aliunde

derivat; b) *sola,* quia nulla voluntas creata per se nos obligare et liberam voluntatem nostram ligare potest; c) *rerum exsistentium,* siquidem etiam natura et ratio divina sunt principia absoluta, non tamen rerum ratione *exsistentiae;* haec enim dependet a sola voluntate libera divina. *Ergo* . . . Neve dicas, tunc obligationem moralem non iam in se necessariam esse, siquidem dependeret a *libera* Dei voluntate; nam distinguenda est *exsistentia* et *natura intrinseca* obligationis vel potius eius obiecti. *Natura* obligationis quidem est necessaria, in quantum natura humana, si exsistentiam accipit, tum in se tum ratione Dei et proximorum ita ordinari debeat, ut moralis inde ordo habeatur; sed *exsistentia* huius ordinis prorsus dependet a divina libera voluntate ac proinde etiam exsistentia obligationis.

4. *Ex distinctione boni necessarii et liberi:* Constat per conscientiam propriam et persuasionem hominum, non omnia bona nobis esse facienda, neque modo semper perfectiore, siquidem hoc vel impossibile esset, vel onus intolerabile nobis imponeret. *Atqui* debet esse principium, quod hanc differentiam inter bonum liberum et necessarium constituat; hoc autem principium, ut vidimus, non invenitur in sola norma honestatis, neque in solo fine ultimo, siquidem norma et finis ultimus solum *indicant,* quae plus vel minus bonitatis moralis continent, vel etiam quae actiones bonae sint omnino necessariae ad finem, quae non; non autem *praescribunt* absolute, quae *debeant* fieri, et quae solum *possint* fieri vel *suadeantur* fieri. *Ergo* debet voluntas aliqua accedere tanquam principium *determinans,* quae voluntas certe non est nostra individualis vel socialis, ut ostendimus, neque voluntas aliqua absoluta impersonalis, pantheistica, quae, utpote sibi inconscia et necessaria, neque legem et obligationem concipere, neque *libere* imponere potest. *Ergo* obligatio moralis non potest proficisci nisi a voluntate divina personali.

5. *Ex sanctione:* Omnis obligatio, ut efficax sit, supponit sanctionem, i. e. praemium bonis, poenam malis actionibus; nam homines per liberam voluntatem possunt a lege deficere et per inclinationes malas et difficultates legis implendae facile ab officio deterrentur, nisi per sanctionem propositam quasi aequipondium habeatur. *Atqui* sola divina voluntas potest sanctionem eamque efficacem pro lege naturali statuere atque exsequi: a) *internam;* haec enim consistit in pace conscientiae, quam, teste experientia, nemo nobis conferre potest, ne nos quidem ipsi, etiamsi velimus; b) *externam,* quia bona huius terrae, etiamsi ab hominibus vel a natura nobis offerrentur — et optimus quisque, teste historia, plerumque his bonis caret — non sunt sanctio sufficiens (cfr. vol. II, p. 445 sq.), bona autem vitae futurae solus Deus nobis conferre potest, vel etiam poenas aeternas infligere. Haec autem praemia et poenae per voluntatem divinam et statuun-

tur et exsequuntur. *Ergo* voluntas divina est principium formale obligationis. — Inde iam veteres peccatum habebant rebellionem contra Deum, dignam poena aeterna, ut celeberrimi poetarum Graecorum tragoediis suis ostendunt, inprimis Aeschylus in Prometheo, in Eumenidibus, et Sophocles in Oedipo Rege.

Coroll. I. *Sententia Evolutionismi.* Ex argumento sub II supra p. 137 sq. apparet, sententiam *Evolutionistarum* esse reprobandam. Nam 1^{0} eorum *supposita* sunt falsa: homines a brutis descendisse; initio nullam eos habuisse moralitatem; mores et ius tunc coincidisse; vidimus enim historiam culturae humanae contrarium testari (cfr. supra p. 20). 2^{0} *Explicatio* eorum obligationis est falsa.

Spencer[1]) enim docet, coactionem externam per leges associationis factas esse paulatim internam et actiones ipsas bonas et malas, non solum earum effectus; has autem dispositiones morales internas per hereditatem ad posteros esse traductas. — Sed per solam associationem i. e. per recordationem, poenam i. e. *malum physicum* ex natura actionis vel ab hominibus ortum cum aliqua actione aliquando coniunctum fuisse, haec actio non potest induere rationem obligationis in *conscientia*, neque naturam boni vel mali *moralis*; nam malum physicum et morale, coactio externa, imo etiam necessitas interna et obligatio in conscientia intrinsecus et toto genere differunt, ut apparet in brutis. Deinde coactio externa et obligatio in conscientia, malum physicum et malum morale non solum non semper sunt coniuncta, sed, saltem initio vitae moralis, saepius sibi opponuntur, siquidem plerumque bono aliquo physico renuntiandum est, ut morale habeatur et vice versa; unde potius associatio opposita orta esset, i. e. poena, quae est malum physicum, cum malo morali et bonum physicum cum bono morali associatum fuisset, quod repugnat et experientiae et ipsi Spenceri explicationi. Denique non verum est, dispositiones morales per hereditatem ad posteros transire, quemadmodum e. g. instinctus brutorum; constat enim per experientiam, unumquemque hominem ipsum virtutem labore suo acquirere debere, bruta autem ex nativitate iam possidere instinctum perfectum; neque raro accidit, ut filius deficiat a virtute parentum vel non imitetur peccata eorum.

Idem fere dicendum est contra *Wundt*[2]); neque principium celebre ab eo statutum „heterogoniae" ad originem obligationis explicandam quidquam valet. Quamvis enim per actus iteratos habitus acquiratur, hic tamen non in alia specie constituitur atque actus ipsi. Quemadmodum igitur per activitatem organicam non nova producuntur organa, sed organa iam possessa perficiuntur, ita etiam ex „imperativo externo", i. e. ex coactione per poenas non fit „imperativus internus", i. e. necessitas subiectiva per mores, neque ex hac postea „imperativus libertatis et idealis moralis"; esset, ut logici dicunt, transitus in aliud genus. Imo homines primitivi agentes ex imperativo externo per actus iteratos habitum acquisivissent obediendi semper melius

[1]) Cfr. Gutberlet, Ethik u. Religion, 1892, p. 231 sq. W. Schneider, Göttl. Weltregierung etc. p. 374 sq. [2]) Cfr. Gutberlet, Ethik u. Religion, 1892, p. 214 sq., ubi ethica a Wundt statuta egregie reprobatur. Straeter, Ein modernes Moralsystem, Phil. Jhrb., 1901, p. 140 sq.

ex *coactione externa*, ita ut, quum consuetudo fiat altera natura, non iam potuissent ad obligationem internam ac proinde ad moralitatem transire. Sententia igitur potius contraria fuisset statuenda. — Deinde cur bruta, quorum multae species, teste palaeontologia, antiquiores sunt genere humano per legem heterogoniae et crescentis energiae usque hodie non ad moralitatem pervenerunt, saltem illa quae in societate vivunt, ut apes, formicae, castores? Et si illa lex evolutionem humanam determinat, cur, crescente cultura externa, tot saepe regressus morales tum in singulis hominibus, tum in gentibus ipsis?[1]) Neque quidquam probat illud, quod lingua bonum morale verbis exprimat bono physico desumptis; hoc enim probat, res spirituales a nobis per analogiam ad sensibiles cognosci (cfr. vol. I, p. 356 sq.), non tamen probat, illas ex his oriri. Neque illud, quod infantes primum conceptum boni et mali physici, deinde moralis formant, probat nisi mentem nostram, ut possit evolvi et perfici, supponere cognitionem sensitivam, non autem probat, mentem ex sensatione tandem *physice* nasci. Quemadmodum igitur homines non nascuntur nisi ab hominibus et corpore et animo *perfectis*, ita etiam moralitas in singulis hominibus oriri non posset, nisi iam status moralis praecessisset; non igitur ab „ontogonia" morali ad eius „phylogoniam" concludere licet, quemadmodum similis conclusio ab ontogonia organica ad phylogoniam organicam non valet (cfr. vol. II, p. 206, 422 sq.). — Denique quum teste historia nunquam voluntas communis habeatur, sed homines mire inter dissentiant, ut apparet ex factionibus politicis et religiosis diversis, porro quum neque progressus infinitus generis humani unquam habeatur sive haberi possit — est enim et initium et finis (lex entropiae) culturae humanae — deficit principium formale (voluntas communis) et principium materiale (progressus infinitus), unde theoria ethica a Wundt constituta caret et fundamento et fine ultimo.

Denique neque *Paulsen*[2]) originem obligationis explicare potest. Supponit enim, iam bruta habere sensum obligationis internae, quae inclinationi naturali (Trieb) contraria sit, e. g. canis venatorius illicite venans. Sed evidenter Paulsen hic confundit *obligationem internam eamque in conscientia* cum pura *associatione* repraesentationum, i. e. cum recordatione *poenae*, quam canis olim venans subiit, quae assimilatio phantasmatum prorsus differt ab obligatione interna conscientiae, quae adest sine ulla recordatione poenae perpessae, etiamsi nulla poena timenda sit. Est igitur anthropomorphismus, brutis tribuere sensum moralem. Cur bruta, saltem ea, quae ab hominibus ab initio generis nostri domabantur, ut canes, equi, oves et boves, nondum pervenerunt ad moralitatem, quum tamen lex evolutionis etiam ipsis insit et exempla humana eis cotidie prae oculis sint, imo cum species illae brutorum, teste palaeontologia, multo antiquiores sint quam genus humanum? Constat tamen, bruta, ex quibus homines in terra sunt, neque ingenio neque moribus crevisse. — Deinde bruta domantur et edocentur ab hominibus *iam moralibus*, ut consuetudinem quandam agendi (Dressur) contra inclinationem et instinctum naturalem assumant, quae tamen consuetudo, teste experientia, perit,

[1]) Cfr. Gutberlet, l. c. p. 222.

[2]) Cfr. Gutberlet, Ethik u. Religion, 1892, p. 250 sq., quo loco systema morale a Paulsen propositum solide refutatur. Cfr. vol. I, p. 307 sq.

quando coactio externa cessat. Sed quis primos homines coegit, ut mores quosdam, i. e. quandam consuetudinem, a quibusdam bonis physicis abstinendi vel quaedam contra inclinationem naturalem faciendi, contraherent, quum omnes aequales essent et statui bestiarum, in quibus nulla talis coactio apparet, adhuc proximi? Numquid aliquis intelligentia et potentia praestans? Sed unde tunc eius intelligentia et moralitas? Deinde haec potentia potest quidem alios *coactione externa* determinare, non tamen in *conscientia* obligare. Unde igitur eius ius obligandi et officium obediendi in aliis, nisi praecedat iam alia obligatio? — Paulsen putat, mores hominum esse instinctus, quorum acquisierint conscientiam. Sed instinctus, quum sit facultas sensitiva, quomodo potest conscientiam sui ipsius *intellectualem* acquirere, nisi sensationem et intelligentiam confundas? Esset iterum transitus in aliud genus. Porro instinctus, quum ex natura sua bonum individui et speciei *sensitivum* spectet, mores humani inde orti non haberent obiecta nisi sensibilia, quod tamen verae moralitati repugnat. Et ille instinctus moresque inde orti, quomodo possent in hominibus ita mutari, ut, reiectis bonis sensibilibus, potius in bona *spiritualia* in genere contraria sensibilibus ferantur? Certe eiusmodi instinctus sui ipsius *conscius* et in bona *anorganica* tendens in se repugnat, neque unquam in brutis apparuit. — Porro si mores ex auctoritate sociali obligant, numquid *semper* eis obediendum est? Si affirmas, contradicis persuasioni communi (cfr. supra p. 12); si negas, iam concedis, mores et auctoritatem civilem non esse fontem proprium et unicum obligationis. — Denique si voluntas societatis esset principium formale obligationis, homo privaretur dignitate sua personali; civitas, quae non est nisi medium ad perfectionem nostram, fieret iam finis isque ultimus hominis, quod tamen repugnat persuasioni humanae, et destrueret omnem spem vitae futurae beatae, ita ut pessimismus tandem induceretur. — Paulsen expresse et Deum negat personalem et vitam futuram et voluntatis libertatem psychologicam (cfr. vol. I, p. 307 sq.). Sperat ipse quidem, finem totius evolutionis mundi esse bonum viventium; sed nisi Deus sit vitam futuram nobis collaturus, haec fides optimistica tum experientia cotidiana miseriarum vitae, tum testimonio historiae de sorte tristi plurimorum hominum, tum scientia ipsa naturali reprobatur, siquidem aliquando per legem entropiae omnia entia viventia peribunt — certe miserrimus finis mundi viventis et evolutionis: mors universalis.

Hisce etiam sententia reprobatur, quam statuit nuper Frank *Thilly* (Einführung in die Ethik, 1907, opus ex anglo ab Eisler interpretatum et Paulsen dicatum), siquidem Spencer et Paulsen in norma, obligatione et summo bono statuendis sequitur negatque libertatem voluntatis, fundamentum moralitatis.

Coroll. II. *Obligatio et motiva.* Si quaeritur, quae sit ratio obligationis active spectatae, i. e. cur Deus nos obliget, dicendum est: propter bonum universum tum divinum, quod est Dei gloria, tum humanum, quod est nostra perfectio et felicitas. Si vero quaeritur, quae sit ratio obligationis passive spectatae, i. e. *cur nos* obligati simus, respondendum est: *rationem formalem, proximam* esse voluntatem Dei ordinem moralem servari iubentis; rationem autem *materialem,* remotam esse tum bonum divinum, tum bonum nostrum illi subordinatum et necessario coniunctum. Ex hoc autem non sequitur, ut

iam supra monuimus, legem moralem etiam ex *motivo obedientiae* implendam esse, sed etiam ex aliis observari potest motivis tum obiectivis ex bono divino desumptis, e. g. ex reverentia erga Dei maiestatem, ex admiratione divinarum perfectionum, ex amore divinae bonitatis et sanctitatis; tum ex motivis subiectivis: ex desiderio felicitatis nostrae et spe vitae aeternae, vel ex timore poenae temporalis vel aeternae. Immo facile patet, motivum amoris et reverentiae filialis in se perfectius esse atque efficacius, quam motivum purae obedientiae, quamvis hoc praestet motivis per se subiectivis[1]).

III. *De ethica „laicali“.* Quum voluntas divina sit principium formale obligationis legis moralis, patet, moralitatem perfectam haberi non posse sine Deo. Quicunque igitur Deum negant, vel ethicam non in Deo tanquam ultimo fundamento suo collocant, privant eam vi et dignitate sua, siquidem tunc vel nulla est obligatio vel est solum apparens, deducta ex „imperativo categorico“ ipsius subiecti, vel ex lege civili, vel ex bono aliquo obtinendo per se prorsus impersonali. Certe non negamus, posse esse actus morales etiam in atheistis, sed imperfectos, neque, saltem si homines vulgares considerantur, vi sufficiente impositos, id quod experientia cotidiana ostendit. In illis regionibus, ubi fides in Deum iam deficit, etiam moralitas decrescit, ut numerus continuo crescens criminum, suicidiorum, dissolutionis matrimoniorum, abortus et liberorum illegitimorum manifestat (cfr. supra p. 20)[2]).

Neque principium „solidaritatis“, quod Léon Bourgeois anno 1895 ut fontem, normam et finem moralitatis statuit, quidquam probat. Nam haec solidaritas, orta ex gratitudine erga societatem propter innumera beneficia ab ea recepta, vix invenitur in familia vel in natione aliqua, ac proinde non est fundamentum universale. Porro antecessores nostri, quemadmodum nos ipsi, vix ex amore puro posteritatis, sed potius ex utilitate propria operabantur, ita ut ratio gratitudinis deficiat. Deinde principium solidaritatis tum ad bonum, tum ad malum nos impellit, e. g. moribus corruptis, unde non potest esse ultima ratio moralitatis, neque ex se obligationem neque sanctionem statuit, nisi ad leges et poenas externas confugias. Denique constat per historiam, evolutionem moralitatis et solidaritatis non eandem, imo oppositam fuisse; solidaritatem potius personalitati atque individualitati obnoxiam esse et religioni christianae ubique maxime obfuisse; inde Christi et tot martyrum mors et passio[3]). Neque quidquam probat, quod philosophi ethici recentes reiciant fidem christianam, eius tamen praecepta moralia retineant, quasi ex systematibus suis ethicis fluant. Nam subeunt, quin advertant, influxum religionis christianae, in qua nati et educati sunt et cuius vim effugere nequeunt[4]). Neque solum exemplar et adiumentum religio i. e. relatio ad Deum

[1]) Cfr. Gutberlet, Ethik u. Religion, p. 173.

[2]) Cfr. Gutberlet, l. c. p. 140 sq. Herder, Konversationslexikon, Art. Kriminalstatistik. Krose, Einfluss der Konfession auf die Sittlichkeit, 1900; Emile Pierret, L'esprit moderne, 1903, p. 38 sq.

[3]) Cfr. Bureau, l. c. chap. IX, p. 298 sq.

[4]) Recte Stange (Einl. in d. Ethik, II, p. 275): „Die Vertreter der modernen philosophischen Ethik, die mit Emphase die Parole ausgeben, dass das sittliche Ideal des Christentums durch ein neues, modernes, rein humanes Ideal ersetzt werden solle, reproduzieren insgesamt das durch das Christentum geschaffene sittliche Ideal.“ Similiter Taine apud Bureau, l. c. p. 292.

est vitae morali, sicut Stange censet[1]), sed eius est pars praecipua, immo fundamentum et finis, ita ut religione destructa etiam moralitas pessumdetur[2]).

Quid igitur obiciunt sententiae nostrae? 1. Nos docere ethicam *heteronomam*, quae indigna sit homine, neque vere morales nos efficiat, quemadmodum nemo satiatur, si alii comedunt (E. v. Hartmann). Sic quasi omnes ethici non christiani post Kant sentiunt[3]). — Certe, qui ex solo timore poenae legem impleret, hic minime moraliter ageret, sed ex heteronomia; sed qui legem Dei *suam ipsius* facit, sequitur veram et legitimam autonomiam (cfr. supra p. 90). Qui autem respuit omnem legem externam, hominem vel facit rebellem ac sceleratum, vel prorsus Deum, qui sibi soli est finis. Numquid igitur infans obediens parentibus, discipulus magistris, subditi legibus civitatis non moraliter agunt? Ceterum omnes adversarii tandem statuunt obligationem nobis ut hominibus *individuis* ab extra impositam: Rationalistae post Kant naturam humanam *universalem*, non individuam (*transzendentale* Vernunft oder Wille), vel ens absolutum in nobis (E. v. Hartmann), Eudaemonistae sociales vel Progressistae et Evolutionistae societatem humanam. Quemadmodum igitur (ut Hartmanni exemplum retineamus) nemo satiatur, si alii comedunt, neque si se ipsum dilaniat comedendo, sed eo quod cibum a se distinctum assumat suumque faciat sibi assimilando, ita etiam eo morales efficimur, quod actiones eorumque obiecta per voluntatem divinam nobis imposita libera voluntate amplectimur, voluntatem divinam quasi nostram facientes.

2. Nos ethicam fundare in revelatione divina ac proinde in principio supernaturali, id quod destruat ethicam *naturalem;* sic iterum omnes fere adversarii[4]). — Sed etiam nos distinguimus inter ethicam supernaturalem et naturalem, illam in revelatione divina, hanc in principio rationis ipsius fundantes. Unde igitur scimus, Deum nos obligare voluntate sua? Hoc scimus, ut supra probavimus: a) A priori: Ex exsistentia Dei ratione ipsa a nobis probata, et ex natura Dei sapientissimi et sanctissimi, qui producens ordinem naturae finemque omnibus rebus constituens non potest non velle, hunc ordinem servari. b) A posteriori: Ex exsistentia legis naturalis absolutae, universalis, immutabilis, quam omnes gentes admittunt et conscientia nostra manifestat; c) ex exsistentia sanctionis aeternae, quam omnes gentes statu-

---

[1]) Ibid. p. 278 sq.

[2]) Quod nostri praesertim temporis ostendit status moralis, fatentibus multis adversariis; sic. e. g. Jodl, antesignanus „culturae ethicae“: „Nirgends hat die Zerstörung der alten Glaubensvorstellungen, an welche man früher die sittlichen Ideale allein anknüpfen zu können gemeint hat, mit dem Aufbau und der Verbreitung einer neuen humanen Ethik gleichen Schritt gehalten. Die alten Götter wanderten aus, und auf dem verlassenen Herde wurde kein neues Feuer angezündet, höchstens die unstet flackernde Flamme des Genusses und des Zweifels. Aber ohne ein solches Feuer stetiger, wohlbegründeter Überzeugungen, ohne Hingabe des Einzelnen an ein Höheres kann die Menschheit nicht gedeihen“ (cfr. W. Schneider, l. c. p. 575). Similiter de Laveleye, scientiae oeconomicae et socialis peritissimus, apud Gutberlet, Ethik u. Religion, 1892, p. 141.

[3]) Cfr. W. Schneider, Göttl. Weltreg., p. 496 sq. Bureau, l. c. p. 410 sq.

[4]) Cfr. Bureau, La crise morale, 1907², p. 273 sq.

unt. Lex autem et sanctio supponunt, ut vidimus, voluntatem imperantem atque remunerantem vel punientem. Exsistit igitur *naturalis* quaedam revelatio divinae voluntatis tum obiective in rerum ordine, tum subiective in ratione nostra, quae in hoc ordine voluntatem auctoris naturae apprehendit, quemadmodum voluntatem legislatoris in codice scriptam cognoscimus. Lex enim naturae est promulgata per ordinem rerum exsistentium, inprimis per ordinem naturae nostrae. Neque haec voluntas Dei nos obligantis ad legem naturae arbitraria est atque mutabilis; nam eius norma proxima *in Deo* est divina natura immutabilis, in *nobis* est ipsa natura humana, finis autem est bonum universale; norma autem illa finisque hic in se, i. e. quoad *essentiam* suam omnino necessarius est atque immutabilis, unde neque per divinam voluntatem mutari potest, licet *exsistentia* nostra ordinisque mundi a libera Dei voluntate dependeat.

3. Si Dei voluntas esset principium formale obligationis, Deus *pro arbitrio* statueret discrimen inter bonum et malum, inter bonum vel malum maius et minus, inter bonum necessarium et liberum, quod repugnat et nobis ipsis (supra p. 27 sq.) et persuasioni hominum, et indifferentiam moralem intrinsecam induceret[1]). — Sed adversarii confundunt *normam* honestatis cum eius *obligatione*. Norma honestatis, ut iam diximus, proxima est natura humana, ultima divina natura ipsa (cfr. supra p. 80 sq.). Iam vero per relationem ad naturam humanam finemque nostrum bonum et malum tum logice tum ontologice intrinsecus in genere constituitur; prout autem actus alicuius vel eius obiecti relatio ad naturam et finem nostrum specifice diversa, vel omnino necessaria vel non necessaria, vel plus vel minus perfecta est, diversae species actus moralis et diversi gradus, necnon necessitas vel libertas actus moralis habentur. Voluntatis nunc divinae est, has relationes ratis habere, i. e. vetare malum intrinsecum, velle bonum, idque vel per *praeceptum*, si est *necessarium* ad statum *integrum* individui et societatis, vel per modum *suasionis*, si est bonum non necessarium, sed ad solam perfectionem accidentalem individui vel societatis pertinet. Deus igitur non *arbitrarie* obligat sive suadet, sed secundum rationes desumptas ex natura et fine hominis. Quicunque igitur voluntatem Dei tanquam principium formale ultimum obligationis non admittunt, neque *absolutum* eius valorem explicare possunt, eum repetentes ex sola ratione vel voluntate nostra finita vel ex societate humana, neque discrimen inter bonum necessarium et liberum retinere valent, sed omne bonum aequo modo, obiective saltem, esse necessarium, neque esse discrimen obiectivum inter maius et minus bonum affirmare coguntur.

4. Etiamsi Deus exsistat, attamen in eo ethicam fundari non posse, quia Dei exsistentia tandem ex lege morali probatur, et Deus tunc ut dominus supremus honoris, potentiae et vindictae cupidus haberetur, quod ipsi et moralitati verae repugnat. Sic inprimis Kant et post eum alii[2]). — Sed

---

[1]) *Stange* per errorem affirmat, hanc esse doctrinam catholicorum, non distinguens inter *philosophiam* et *theologiam* moralem, neque normam et obligationem *obiectivam* statuens moralitatis, neque gradus moralitatis obiectivos admittens (Einl. in d. Ethik, II, p. 95 sq.).

[2]) Grundlegung zur Metaphysik d. Sitten, 1791, p. 91: „Es würde ein grober Zirkel im Erklären sein, weil wir seine Vollkommenheit . . . von

Dei exsistentia, quamvis ex lege morali probari possit, tamen neque primo neque solum hoc modo probatur; circulus igitur illegitimus non adest. Certe, hoc argumentum valet contra Kant ipsum quia opinatur, ex solo ordine morali Dei exsistentiam ostendi posse (cfr. supra p. 49). Neque in Deo est honoris amor inordinatus, si obedientiam exigit a creaturis suis; secus enim non iam adesset ordo et finis omnino debitus (cfr. vol. II, p. 454 sq). Et si punit peccatores, hoc debet et suo honori et ordini morali ipsi, ne deficiat sanctio [1].

5. Sed nonne Deus ita ordinem mundi instituere poterat vel debebat, ut certo ordo moralis efficeretur? Aut *non voluit*, et tunc non potest esse causa et finis ordinis moralis, aut *non potuit*, et tunc moralitas ab eo non dependet (sic St. Mill). — Sed disiunctio non est adaequata; addendum enim est: Aut voluit quidem et potuit, attamen *supposita libera voluntate hominis*, quae nisi supponitur, nulla moralitas esse potest. Satis igitur est, ut Deus ex parte sua omnia statuerit, quae sufficiunt, ut homo *moraliter* ad suum finem efficaciter determinetur. — Quodsi Kant, ut ipse dicit, „scientiam sc. de Dei exsistentia prius destruere voluit sive debuit, ut fidei (in Dei exsistentiam) locum faceret" et litem continuam inter scientiam et fidem componeret, si quidem unaquaeque prorsus diverso modo de obiecto suo versaretur, eius intentio forte bona fuit atque laudabilis, attamen neque scientiae satisfecit, neque fidei utilitati fuit, eam privans fundamento rationali, simulque moralitatis et originem et finem subvertit; unde non mirum, quod ex Kantii doctrina etiam nostro tempore tot errores totque dissensiones in scientiam ethicam redundaverint [2].

6. Denique sunt qui obligationem divinam reiciant, quia censent fore, ut tunc homines vel non iam rebus mundanis providerent, neque suis viribus

unsern Begriffen, unter denen der der Sittlichkeit der vornehmste ist, allein ableiten können, und der uns noch übrige Begriff seines Willens aus den Eigenschaften der Ehr- und Herrschbegierde, mit den furchtbaren Vorstellungen der Macht und des Racheifers verbunden, müsste zu einem System der Sitten, welches der Moralität geradezu entgegengesetzt wäre, die Grundlage machen." [1]) Cfr. W. Schneider, l. c. p. 506 sq.

[2]) *L. Stein*, professor Bernensis, (An der Wende des Jahrhunderts 1900, p. 271) „Das Sittengesetz als das Grundgesetz der sittlichen Energie — der Parallelbegriff des Naturgesetzes von der Erhaltung der Energie — *ist noch nicht gefunden.* Der Robert Mayer der Moral soll noch erst geboren werden . . . Arbeiten wir unverdrossen an der Soziologie als an der Physik der Sitten, bis der Silberblick eines kommenden Genies dermaleinst aus dem erkannten Endzweck des Menschengeschlechtes eine Metaphysik der Sitten, ein allgemein-gültiges Sittengesetz herauslesen und formen wird." Sed quamdiu tunc exspectandum erit, usque dum ingenium illud apparet? Quomodo interdum vivendum est, ipso principio morali nondum cognito? Non igitur mirum, si hodie, religione contempta, tot homines de vita desperent sibique ipsi mortem inferant, si tot cives leges dispiciant civitatis, quippe quae non iam in ordine divino fundetur, sed in ordine ab hominibus solis constituto; si tot homines omnem ordinem moralem repudient seque ab omnibus legibus solutos habeant (Cfr. Weis, Apol. II², p. 434 sq.). — Similia testimonia de tristi statu scientiae moralis „laicae" vide apud Bureau, l. c. p. 347 sq. (Deherme, Payot, B. Malon, Séailles, Benj. Kidd, Melchior de Vogué, Fournière etc.).

confiderent, non solliciti nisi de Dei voluntate scrutanda, vel ab hominibus impiis sub praetextu voluntatis divinae deciperentur [1]); neque illos, qui obligationem divinam reiciunt, moribus peiores esse, quam fideles. — Sed a) voluntas Dei minime impedit curam rerum temporalium et progressum humanum; imo nos obligat ad laborem et usum rerum, utique moderatum, fini supremo non obnoxium; ethica autem „laica" hominem privat fine suo aeterno, neque felicitatem temporalem ipsam procurare potest. b) Si qui impii abutuntur religione et morali, hoc nihil probat contra eam, siquidem optima quaque re homines immorales abutuntur; tales autem impii relative pauci sunt. c) Profecto, etiam athei possunt esse morales, saltem externe, licet careant motivis maxime efficacibus et homine dignis. Unde certe saepius leges morales saltem interne offendunt, quam homines vere fideles et religiosi; et si mala vitae et tentationes graves eos afficiunt, saepius succumbunt sibique mortem adsciscunt, ut statistica suicidiorum docet (cfr. infra pars II, de officiis erga se). d) Neminem latet, totam occidentis culturam deberi religioni christianae, praesertim religiosis, qui, licet voto triplici Deo dicati, gentes barbaras scientiis artibusque imbuerint. Cfr. Montalembert, Les moins d'Occident 7 vol. 1860—1877. Ipse *Montesquieu* miratus est, quod religio, per se non intendens nisi futuram felicitatem, etiam temporalem in fidelibus produxerit. Neque ullum erat tempus, quo labor magis aestimatus meliusque moribus et legibus publicis ordinatus et cum arte coniunctus fuerit, quam medio aevo, quo fides florebat et religio christiana. (Cfr. Grupp, Kulturgesch. des Mittelalters. 1906²; Janssen, Gesch. des Deutschen Volkes I u. II¹⁸.) Quid quod *Goethe* aperte fatetur: „Das eigentliche, einzige und tiefste Thema der Weltgeschichte, dem alle übrigen untergeordnet sind, bleibt der Konflikt des Unglaubens und des Glaubens. Alle Epochen, in welchen der Glaube herrscht, unter welcher Gestalt er auch wolle, sind glänzend, herzerhebend und fruchtbar für Mitwelt und Nachwelt. Alle Epochen dagegen, in welchen der Unglaube, in welcher Form es sei, einen kümmerlichen Sieg behauptet, und wenn sie auch einen Augenblick mit einem Scheinglanze prahlen sollten, verschwinden vor der Nachwelt, weil sich niemand gern mit Erkenntnis des Unfruchtbaren abquälen mag." (Westöstl. Divan, Alttestamentliches). Similiter *Cicero* de nat. deor. I, 2, 4: „Haud scio, an pietate adversus deos sublata, fides etiam et societas generis humani et una excellentissima virtus, iustitia, tollatur." Tum historia culturae humanae, tum status socialis hodiernus confirmat verba *Christi*: „Quaerite primum regnum Dei et cetera omnia adicientur vobis." Anticlericalismum autem populis salutem non afferre, testatur historia recens gentium latinarum, quae sectis religioni inimicis seductae, ultimis saeculis ecclesiam christianam persequebantur, unde a statu olim florentissimo deficiebant, quod praesertim hodie in Gallia apparet (depopulatio per mollitiem, per delicta matrimonii: abortismum et divortium, alcoholismus, corruptio publica, antimilitarismus, scholarum et institutorum defectus et impietas, diminutio commercii publici et influxus politici, frequentes turbationes ordinis socialis ex defectu legislationis socialis, persecutio cleri et ecclesiae, expulsio et direptio monachorum et monialium tantum pietati, operibus misericordiae, iuventutis educationi se devoventium etc. Cfr. Bureau, La crise morale, 1907²;

[1]) Cfr. Bureau l. c. p. 416; 427 sq.

Goyau, L'école d'aujourd'hui, 1899; Fonsegrive, Les livres et les Idées; Morale et société, 1907; La crise morale, 1901. Émile Pierret, La patrie en danger, 1900; L'esprit moderne, 1903 aliique multi patriae suae vere amantes.

§ 3. De sanctione.

Cum lege et obligatione semper sanctio aliqua coniuncta est, unde investigandum, num et quae sanctio pro lege naturae sit statuta.

Sectio I: De natura sanctionis.

I. *Notio:* Vox sanctio hodie saepe usurpatur ad confirmationem sive approbationem legis alicuius per principem civitatis. Nos hoc loco alio sensu sanctionem intelligimus. *Active* enim significat, actum illum legislatoris, quo praemium pro lege observata, poenam pro lege spreta statuit; *passive* significat hanc ipsam mercedem vel poenam. Poena autem, quae statuitur, distinguitur *vindicativa*, cuius finis est, ordinem laesum restituere; *medicinalis*, quae nocentem corrigere debeat, *exemplaris*, quae alios ab eodem delicto deterreat. His in terris omnis poena, ex parte Dei saltem, triplicem hunc finem praesefert; poena autem humana, in lege irritante saltem (cfr. supra p. 116 sq.), potest esse solum exemplaris vel medicinalis.

II. *Proprietates:* Ut sanctio effectum suum obtineat, debet esse: 1. *efficax;* est autem efficax, si *ex se* sufficit, ut hominem moraliter determinet ad actionem moralem eliciendam. Iam vero efficacia sanctionis potest esse *relativa* et *absoluta;* est relativa, si sufficit pro certo individuo, eius dispositione, obiecto, fine actionis consideratis; sic homo morigeratus facilius praemio vel poena plus minus levi impellitur ad agendum, homo rudis atque agrestis fortiore indiget sanctione. Sanctio est absoluta, si tanta est, ut ex se capax sit, omnem hominem moraliter movendi ad actionem. Sic bonum infinitum promissum et malum aeternum propositum certe ex se sufficiunt ad omnes homines impellendos.

2. Sanctio debet esse *iusta,* i. e. poena culpam excedere non debet, unde praemium maius quam quis meruit potest esse, modo ne per hoc aliis iniusti quidquam fiat; non tamen poena maior; haec igitur et ratione mali physici quod infligitur, et ratione modi, quo applicatur, delicto est accommodanda, ita ut sufficiens quidem sit, non tamen excessiva; tunc enim finis poenae, sc. ordinem restituendi et nocentem corrigendi, non habetur, ex fine autem poena infligenda est.

III. *Relatio sanctionis ad legem et obligationem.* Sanctio per se cum lege et obligatione intime cohaeret, estque eius *effectus* primarius, siquidem lex proprie dicta et obligatio moralis nonnisi entibus liberis imponitur, qui possunt legem transgredi, imo magnam saepe in lege observanda difficultatem experiuntur. Est igitur in *genere* relatio necessaria inter legem moralem et sanctionem. Sanctio autem, si in se ipsa, i. e. in *individuo* spectatur, quum consistat in bono aliquo acquirendo vel amittendo, potest habere nexum *intrinsecum* vel *extrinsecum* cum actu morali, quem lex iubet vel vetat. Habet nexum intrinsecum, si sequitur actum ex eius natura vel naturali ordinatione; sic perfectio propria et pax interna habetur ex natura actus moraliter boni, bona autem alia, e. g. sanitas corporis, ex naturali aliqua ordinatione inde oriri possunt. Habet nexum extrinsecum, si sanctio dependet a causis actui morali prorsus extrinsecis; sic divitiae, honores saepe desunt homini bono, licet ea mereatur; sic leges civiles statuunt sanctionem, quae actui moraliter bono vel malo per se non inest, e. g. mulcta, carceres etc.

Sectio II. De exsistentia sanctionis.

Thesis IX: Exsistit sanctio legis naturalis.

St. qu. Sanctio spectatur tum activa tum passiva; utramque exsistere affirmamus, attamen non plenam in hoc mundo, sed in vita futura. — Adversantur nobis omnes, qui legem naturalem vel eius obligationem negant, vel qui saltem cum Kantio et plerisque recentibus philosophis negant, sanctionis in lege implenda rationem haberi posse vel debere.

A. *Exsistit sanctio activa.*

Prob. 1. *Ex libertate humana:* Constat, homines habere liberam voluntatem ac proinde neque physice neque psychologice, sed solum moraliter ad finem suum determinari posse. *Atqui* haec moralis determinatio fit eo quod bonum eis proponatur pro lege implenda, malum pro lege transgredienda. Bona enim et mala hominem, felicitatem suam semper et necessario appetentem, naturaliter inclinant et plus vel minus movent ad ea per actus suos obtinenda vel fugienda. *Ergo* sanctio ab auctore legis naturae statuenda erat, ut homines moraliter ad eam implendam moverentur.

2. *Ex natura legis moralis:* Lex naturae omnium legum est praecipua: a) quia est de fine ipso hominis mediisque ad hunc finem necessariis; b) est fundamentum omnium legum positivarum; c) est nonnunquam difficile ad observandum, si quidem obstant inclinationes naturae: „Nitimur in vetitum, cupimusque semper negata;" „Video meliora proboque deteriora sequor" (Ovidius). Quin immo nonnunquam bonis vitaeque ipsi est renuntiandum, ut lex observetur, e. g. militibus in bello, medicis, sacerdotibus, infirmos curantibus tempore pestis, martyribus. *Atqui* iam civilis lex supponit sanctio-

nem; a fortiori igitur lex naturae, eius fundamentum, et maxime necessaria eam supponit. *Ergo* sanctio legis naturae activa certe adest.

3. *Ex providentia divina:* Deus ea omittere non potest, quae saltem moraliter necessaria sunt ad finem primarium creationis obtinendum; secus enim non esset infinite sapiens, sanctus, potens, bonus. *Atqui* sanctio saltem moraliter necessaria est, ut vires humanae augeantur et difficultates in lege adimplenda certo vinci possint. Et haec necessitas adest: a) *Pro bonis hominibus*, ut *ordo iustitiae* servetur; „operarius enim dignus est mercede sua"; ut zelus amorque ordinis moralis augeatur neve animo deficiat in laboribus subeundis; ut ipse moraliter operans aliique magis ad bonum faciendum alliciantur. b) *Pro malis hominibus*, ut *ordo laesus* restituatur; ut a malo deterreantur seseque convertant; ut alii exemplo sceleris puniti a peccato arceantur, qui sunt tres fines poenae. *Ergo* sanctio legis naturae activa adesse debet.

B. *Exsistit sanctio passiva.*

Prob. 1. *Ex sanctione activa:* Ostendimus, exsistere sanctionem activam. *Atqui* haec requirit, ut etiam exsequatur; secus Deus non esset sapiens, sanctus et providens, neque finis legis, saltem ex parte Dei, efficaciter intenderetur. *Ergo* est etiam sanctio passiva.

2. *Ex experientia interna:* Constat per conscientiam nostram, nos ad bonum faciendum et malum vitandum non simpliciter obligari, sed nos etiam praemium accepturos vel poenas esse passuros idque a summo auctore legis. Porro constat, nos pacem et tranquillitatem conscientiae experiri, quotiescunque moraliter egimus dignitatemque nostram humanam et personalem integram servavimus; et eo maiorem hanc esse consolationem conscientiae experimur, quo maiores difficultates bene agendo superavimus; haecque adest quasi laus nobis interna, etiamsi nullus homo viderit sciatque, quid fecerimus, imo etiamsi homines nos vituperent atque persequantur (Apostoli laetantes, licet a summo concilio reprehensi et castigati, act. 5, 40—41). — E contra constat, nos cruciari interne, quando mali quid fecimus, non quia homines viderint, neque quia bonum externum inde amiserimus; imo etiamsi homines nos laudent bonisque nos cumulent. Sed bonum nobis internum, sc. perfectionem debitam nos amisisse sentimus; unde animi oritur perturbatio, metus iudicii supremi, angores remorsusque conscientiae, nonnunquam adeo vehementes, ut scelerati sibi ipsi mortem inferant. *Atqui* bonum illud internum, cuius signum et effectus est pax conscientiae, illudque malum internum, quod se manifestat per remorsus conscientiae, est ex natura actui bono vel malo coniunctus, est igitur sanctio eius naturalis. *Ergo* exsistit sanctio passiva.

3. *Ex persuasione hominum:* Omnibus hominibus persuasum est, bonum mereri laudem, etiamsi nullus videat sive remuneret; malum poena dignum esse, licet homines lateat et sub specie virtutis appareat, imo laudetur et honoretur. Porro apud omnes gentes constat, bonos saltem in vita futura a Deo praemia accepturos, sceleratos autem poenas passuros [1]). *Atqui* consensus hominum in re nobis tam gravi non potest esse erroneus; est enim vox naturae ipsius. *Ergo* etiam sanctio passiva admittenda est.

Sectio III. De obiecto sanctionis.

Thesis X: Sanctio imperfecta in hac vita, perfecta in altera vita est admittenda.

St. qu. Sanctio consistit in bono aliquo vel obtinendo vel amittendo. Haec bona possunt esse nobis interna et externa. Interna sunt, quae afficiunt et perficiunt animam et potentias nostras, e. g. perfectio intellectus per scientiam, voluntatis per habitus virtutum, corpus nostrum eiusque organa, ut sanitas et vita. Bona vero nobis externa sunt partim materialia, ut divitiae, partim spiritualia, ut honores, amicitia. Atque haec bona omnia in hac vita haberi vel amitti possunt. Bona animae solius *essentialiter*, i. e. semper ex actibus eius bene ordinatis habentur; bona corporis *naturaliter* quidem, i. e. ex intentione naturae cum illis in genere cohaerent, possunt tamen ex causis accidentalibus sive obiectivis (iniuria temporum) sive subiectivis (e. g. dispositio hereditaria) deficere; bona tandem externa dependent potius a voluntate aliorum hominum. Quaeritur igitur, num haec bona possint esse obiectum sanctionis.

Praeter hanc vitam vita futura habetur, in qua, si abstrahitur a corporum resurrectione, bona naturalia erunt praecipue cognitio naturalis perfecta Dei eiusque dilectio super omnia, necnon conversatio et amicitia cum animabus defunctorum et puris spiritibus (cfr. vol. II, p. 463 sq.). Quaeritur, num etiam haec bona vitae futurae possint esse obiecta sanctionis.

A. *Est sanctio in hac vita.*

Prob. 1. *Pro actibus moraliter bonis:* Actus moraliter bonus consistit in recta cognitione legis moralis et in conformatione voluntatis ad eam. *Atqui* ex his actibus oritur: a) perfectio aliqua naturalis rationis, in quantum verum rectumque supremi ordinis, i. e. relationem rerum ad ultimum finem cognoscit; simul etiam perfectio voluntatis habetur eaque secundum obiectum dignissima, et maxime

[1]) Cfr. Cathrein, Moralphilos. 1904⁴, I, p. 569—677, ubi plurimarum gentium antiquarum et recentium hac de re invenies testimonia prorsus concordia de sanctione ordinis moralis in vita futura.

necessaria, siquidem ultimo ipsi divinae voluntati conformatur. Quodsi hi actus saepe repetuntur, habitus inde acquiritur moraliter bene agendi, i. e. virtus, quae, omnibus fatentibus, hac in vita est summum pro nobis bonum. Quum vero ex bono possesso delectatio oriatur, quae est quies voluntatis in bono illo possesso, patet, ex hac perfectione rationis et voluntatis nostrae summam haberi eamque homine maxime dignam delectationem spiritualem, quae vocatur pax vel consolatio conscientiae, sine qua nulla vera felicitas adesse potest, etiamsi quis omnia alia bona possideret. Quod praesertim tempore mortis apparet, quando omnia bona sunt deserenda praeter illa essentialia, quae nemo nobis eripere potest. Unde tanta tranquillitas illorum morientium, qui haec bona sibi comparabant, terrena vero parvi aestimabant tanquam caduca et peritura, ita ut cum s. Aloysio moriente exclament: „Laetantes imus.“ — Et haec quidem bona: propria perfectio, pax conscientiae, *essentialiter* et semper cum actu moraliter bono cohaerent. b) Ex actibus moralibus habentur in *genere*, i. e. *naturaliter* etiam bona intrinseca corporis et quae ad ea procuranda vel conservanda necessaria sunt: vita longa, sanitas et fortuna quaedam privata ad vitam suam et familiae salutem sustentandam. Quisquis enim est bene morigeratus, temperat sibi tum quoad cibum et potum sumendum, tum quoad delectationes carnis admittendas, itaque et sanitatem corporis conservat et fortunae suae providet. Porro passiones suas: cupiditatem, invidiam, iram, odium coercet, conservans tranquillitatem animi, id quod etiam sanitati corporis maxime prodest. Neque sibi soli prodest, sed etiam familiae suae, ut bonus filius vel filia, ut bonus pater vel mater familiae, necnon civitati ut bonus civis per exemplum vitae et industriam suam. Licet haec bona per accidens abesse possint per iniuriam temporum (calamitates publicas vel privatas, morbos, mortem praematuram) vel per dispositionem individualem (e. g. ex hereditate, ex parte familiae etc.), attamen *per se* et *naturaliter* sive ex naturali effectu actus moralis illa bona habentur et plerumque etiam adsunt. c) Ex actibus moralibus etiam bona mere *externa* saepe habentur, ut iam ex eis, quae sub b) dicta sunt apparet. Vita enim sobria, continens, industriosa est medium efficacissimum ad bona temporalia acquirenda; neque quisquam est, qui hominem moraliter bonum: castum, laboriosum, continentem, iustum non diligat atque honore afficiat sibique amicum esse velit. — Hoc utique non impedit, quominus optimus quisque bonis vitae carere possit, praesertim si eius exemplum sceleratis displicet. Quot enim iusti persecutionem, privationem bonorum, mortem ipsam subire cogebantur, ut virtutem suam, summum bonum, retinerent! Sed hoc infortunium iustis non per se, sive ex natura actus moralis et virtutis, sed per accidens, i. e. ex perversione aliorum

hominum accidit. „In memoria tamen aeterna erunt iusti.“ *Ergo* iam in hac vita sanctio adest aliqua pro bonis hominibus.

2. *Pro actibus moraliter malis:* Actus moraliter malus adest, quando quis legem naturae eiusque obligationem et finem expresse cognosit, libere tamen ex mala voluntate mentis oculum in bona illicita, homine non digna, vel modo inordinato dirigit, et in his bonis felicitatem suam quaerit, spreto vero bono et fine suo ultimo. *Atqui* ex tali actu sequitur: a) tanquam effectus ei *essentialis* et *intrinsecus* privatio boni intellectus, qui a vero bono avertitur, et voluntatis, quae deficit a fine suo vero et ultimo. Si tales actus repetuntur, oritur *in mente* habitus falso iudicandi de bonis, ita ut homo quasi obcaecetur circa bonum et malum diiudicandum, neque iam viam rectam invenire possit. Inde Aristoteles tam acute monuit, libidinosum hominem non iam recte ratiocinari, siquidem quatuor termini sc. duo termini medii, unus a ratione, alter a passione subministratus, in eius ratiocinio adessent. Porro etiam in *voluntate* habitus talis inducitur, qui vitium vocatur, ita ut homo subditus fiat passionibus et deterior quam ipsa bruta, quae instinctui naturali recto semper obediunt. Quare iure meritoque iam Aristoteles dicit, „hominem a lege et iure semotum ac seiunctum omnium animalium deterrimum esse . . . esse sceleratissimum et immanissimum animal sine virtute et ad res venereas cibumque profligatissimum“ [1]). Ex hac autem privatione perfectionis debitae oritur remorsus conscientiae, tristitia interna, etiamsi bona externa abundant; porro despectus sui ipsius ac tandem desperatio talis, ut sceleratus vitam ipsam abiciat, sperans, se hoc modo quietem invenire posse. Patet, hoc malum, quod *essentialiter* cum peccato cohaeret, omnium facile *summum* esse, quia hominem ipsum intrinsecus, eius animam et potentias immediate afficit eumque ultimo privat fine. Recte enim Augustinus: „Iussisti, Domine, et sic est, ut omnis animus inordinatus poena sit sui ipsius.“

b) Ex actu immorali sequuntur etiam saepe et ex naturae ipsius tendentia mala *corporis*, siquidem intemperantia et luxuries sanitatem corporis subruunt, morbos excitant et tandem vitam ipsam destruunt. Porro bona familiae dissipantur et mala multa inde in ipsam civitatem redundare possunt (bella, seditiones etc.; carceres et domus insanorum hodie ubique fere abundant incolis). Etsi mala haec non semper neque omnia adsunt, omnis tamen actus immoralis, praesertim si frequenter fit, tendentiam habet ex natura sua, illa mala producendi.

c) Ex actu immorali saepe etiam bona externa amittuntur. Et certe, intemperans, luxuriosus, libidinosus amittit bona sua et fami-

[1]) De re publica, I, 2 (1253, 30).

liae; iniustus, infidelis, fur, calumniator etc. poenas iam civiles (mulctam, carceres) patitur et ab hominibus despicitur. *Ergo* certe iam hac in vita sanctio aliqua legis naturalis habetur.

At nonne saepe homines boni, imo optimi mala vitae patiuntur: morbos diuturnos, privationem bonorum, amicorum, immo persecutionem mortemque ipsam? Et homines scelerati nonne saepe abundant sanitate corporis, divitiis, honoribus? Unde multi deducunt, vel non esse sanctionem, vel non esse Deum hominibus providentem (cfr. Psal. 72; Job c. c. 5, 6, 38 sq.; vide vol. II, p. 640 sq.). Ad hanc difficultatem solvendam, statuimus:

B. *Sanctio in hac vita non est perfecta.*

Prob. 1. *Ex natura sanctionis perfectae:* Sanctio perfecta ea est, quae ex se sola sufficit, ut omne malum, quod ex actu moraliter bono nobis oriri possit, compenset, et omne bonum, quod ex actu immorali in nos redundare possit, longe superet. *Atqui* in hac vita tale bonum sive malum non invenitur vel saltem ut tale non cognoscitur: *Non intrinsecum animae*, quia bona vel mala spiritualia (virtus, pax conscientiae), quamvis in se sint maxima, non tamen ab omnibus satis cognoscuntur et aestimantur et multo minus ab homine animali sentiuntur, quam bona vel mala physica corporis vel externa, praesertim si passiones oriuntur et magna mala imminent. Certe tunc vita ipsa pretiosior esset, quam illa bona intrinseca, siquidem ex suppositione in sola hac vita haberetur tota sanctio; patet tamen, etiam vitae ipsi ad honestatem servandam esse renuntiandum. Neque malum *intrinsecum corporis:* sanitas, vita, etc., neque a fortiori bona extrinseca sufficiunt, quia omnia illa bona nonnunquam spernenda sunt ad bonum honestatis intrinsecae tuendum. *Ergo* sanctio huius vitae non sufficit (cfr. vol. II, p. 445 sq.).

2. *Ex natura felicitatis nostrae:* Homo desiderat felicitatem perfectam, quae consistit in bono omnibus bonis finitis maiore, cuius amissio est per consequens malum infinitum. *Atqui* tale bonum omnibus finitis maius non potest esse nisi bonum infinitum, quod hac in terra non invenitur, ut patet. *Ergo* hac in terra non est sanctio sufficiens, i. e. bonum, quod certo superet omne bonum ex peccato ortum et omne malum compenset ex virtute redundans[1]).

3. *Ex experientia:* Constat, homines bene morigeratos saepe mundi malis per totam vitam premi, imo optimum quemque pati debere; porro constat, homines immorales nonnunquam per totam vitam divitiis et honoribus abundare, et, licet forte pace interna careant, vocem tamen conscientiae deliciis obruere et quasi opprimere possunt; et si mala vitae patiuntur, quovis momento per suicidium ex vita egredi possent, nisi esset iam sanctio post hanc vitam.

[1]) Cfr. vol. II, p. 444.

Atqui et in se et Dei providentiae repugnat, non esse plenam sanctionem. *Ergo* sanctio huius vitae non est perfecta.

C. *Est sanctio completa in altera vita*[1]).

Prob. 1. *Ex divina providentia:* Deus, utpote infinite sapiens, sanctus et potens, sanctionem perfectam legis naturae statuere debet, ne deficiant motiva sufficientia ad hominem efficaciter impellendum. *Atqui* sanctio perfecta non habetur in vita temporali, ut modo probavimus. *Ergo* debet haberi in vita aeterna (cfr. vol. II, p. 443 sq.).

2. *Ex desiderio felicitatis perfectae:* Desideramus felicitatem nostram perfectam eamque tanquam praemium virtutis. *Atqui* felicitas perfecta consistit in possessione omnium bonorum idque modo perfecto. Tale autem bonum non est nisi bonum infinitum ipsum cognitione perfecta et amore puro possidendum, quod certe in hac vita haberi non potest (cfr. vol. II, p. 444 sq., 457 sq., 465 sq.). — Ex alia parte peccatum est inobedientia contra voluntatem divinam ac proinde privatio boni divini, i. e. boni in se infiniti, quasi malum infinitum. *Atqui* eiusmodi malum infinitum non potest puniri nisi privatione boni infiniti (cfr. vol. II, 448 sq.), quod non habetur in hac, sed in altera vita. *Ergo* etiam pro peccato sanctio perfecta in altera vita est statuenda.

3. *Ex consensu hominum:* Omnibus gentibus et optimo cuique homini semper persuasum erat, esse vitam futuram, in qua boni remunerentur, mali puniantur (cfr. vol. II, p. 449; supra p. 141). *Atqui* hic consensus est signum veritatis (cfr. vol. I, p. 228 sq.); porro regula extrinseca de moribus iudicandi, ut bene advertit Cicero cum Aristotele, non ex hominibus perversis, sed morigeratis est deducenda (cfr. vol. II, p. 449). *Ergo* sanctio perfecta in altera vita habetur[2]).

[1]) Cfr. W. Schneider, l. c. p. 462 sq.

[2]) Quid quod ipse Wundt fatetur: „Dieser Gedanke, dass eine Welt hoffender und strebender Wesen einer Vernichtung geweiht sei, durch die sich alles vorangegangene Denken und Trachten schliesslich als zwecklos erweisen würde, ist dem Menschen stets *unerträglich gewesen und wird es bleiben*" (Logik, 1893², I, p. 80). Et Paulsen: „Vielleicht ist eine genügende Befestigung *ohne transzendentale Sanktion* ursprünglich nicht möglich, und hierin hätten wir dann die teleologische Notwendigkeit einer religiösen Metaphysik, die wir ja tatsächlich überall als die ursprüngliche Grundlage des Glaubens und Lebens der Völker, ihrer Sitte und ihres Rechtes finden, und die mit so grosser Entschiedenheit den neuen Wahrheiten (?) zu widerstreben pflegt" (System der Ethik, 1900⁵, II, p. 217). Uterque tamen negat et animae immortalitatem individualem et Dei exsistentiam personalem, sine quo vitae futurae sanctio esse nequit. Numquid igitur ordo moralis, omnium nobis maxime necessarius, in sola fictione fundandus est? (Cfr. Schiller, Die Hoffnung, die Worte des Glaubens; vol. II, p. 445; Goethe, vol. II, p. 445; Maxime du Camp et George Sand apud W. Schneider, l. c. p. 477.)

Neve dicas cum Kant omnibusque fere recentioribus philosophis ethicis (e. g. E. v. Hartmann, Jodl, Th. Ziegler, Wundt, Paulsen etc.), sanctionem tum ex parte Dei, tum ex parte nostra potius destruere moralitatem, quippe quae ut „autonoma" ex se ipsa, non ex motivo felicitatis consequendae vel amittendae (Lohnsucht) observari debeat. Nam a) Deus proponens sanctionem directe intendit legis observationem, non ipsam sanctionem; neque intendit, ut homines ex motivo felicitatis suae legem adimpleant; sed pro debilitate voluntatis nostrae per passiones agitatae, bono vel malo proposito, nos adiuvat, ut facilius et certius legem adimpleamus, si non ex amore erga ipsam legem saepe duram, saltem ex bono cum ipsa coniuncto, quod tamen bonum a Deo et in Deo tandem quaerendum est. b) Quum Deus ipse per sanctionem nos efficaciter ad bonum impellere et a malo avocare voluerit, nobis etiam licet, ex motivo felicitatis vel timoris legem implere, quamvis hoc motivum non sit perfectum. Requiritur tamen, ut spes felicitatis vel timor poenae aeternae affectum internum ad peccatum expellant. Nimium igitur requirunt, qui moralitatem ex se sola implendam esse docent; hoc enim motivum, si a Deo abstrahimus, neque dignissimum esset, neque satis efficax ad legem saepe duram observandam; onus imponunt hominibus, quod ne ipsi quidem ferre valeant[1]). (Cfr. supra p. 145.)

Quid sentiendum sit de *malis mundi*, quae et bonos et malos homines opprimunt, vide vol. II, p. 640 sq. Quicunque Deum providentem hominibus vitamque futuram admittit, facile illam difficultatem ex sorte inaequali temporali bonorum et malorum ortam solvet; qui autem Deum personalem negant et sanctionem futuram, necessario cum Pessimistis hunc mundum in se pessimum esse et „carnevali exsistentiae nostrae" finem quam celerius imponendum esse iudicabunt.

Caput II: De conscientia morali sive de causa finali extrinseca actus moralis.

Non sufficit, ut lex exsistat moralis eiusque obligatio et sanctio, sed oportet eas cognoscamus et ad nostras actiones applicemus. Hoc fit per rationem nostram; actus autem huius applicationis, vocatur *conscientia* moralis (συνείδησις), quae proinde est *iudicium practicum de moralitate actuum nostrorum.* Quum autem hi actus sint obiectum voluntatis nostri ac proinde eius finis, conscientia exhibet finem voluntatis moralis, eumque non intrinsecum, nam hic est terminus ipsius actus voluntatis, sed *extrinsecum*, in quantum est terminus actus cognoscendi et per rationem voluntati proponitur amplectendus (cfr. supra p. 77, vol. II, 381). Conscientia igitur potest vocari causa finalis actus moralis extrinseca. Notandum est, conscientiam *moralem*,

[1]) Non immerito Schiller, licet paulisper exaggerans, Die Weltweisen (in fine): „So übt Natur die Mutterpflicht, Und sorgt, dass nie die Kette bricht, Und dass der Reif nie springet. Einstweilen, bis den Bau der Welt Philosophie zusammenhält, Erhält *sie* das Getriebe Durch Hunger und durch Liebe." Cfr. Gutberlet, Ethik und Religion, p. 107 sq. Kneib, Die Jenseitsmoral im Kampfe um ihre Grundlagen, 1906.

de qua hic sermo est, non confundendam esse cum conscientia psychologica, quae est ipsa immediata cognitio actuum cognoscendi et volendi actu nobis immanentium (cfr. vol. I, p. 143 sq.). Iam vero tres potissimum quaestiones de conscientia solvendae sunt: Eius *exsistentia*, eius *natura*, eius *auctoritas*.

Sect. I. De exsistentia conscientiae.

Thesis XI: Exsistit conscientia moralis eaque per se uniformis in omnibus hominibus, per accidens solum variabilis.

St. qu. 1. In hac thesi exsistentiam conscientiae moralis in genere probamus, nondum inquirentes expresse, quid in se sit. Solum supponimus, eam esse normam subiectivam actus humani, qua huius moralitas, i. e. conformitas vel difformitas quoad regulam obiectivam morum, naturam et finem hominis (cfr. supra p. 80 sq.), cognoscitur. — Affirmamus, hanc normam subiectivam, i. e. conscientiam quoad leges morales earumque applicationem in omnibus hominibus in genere eandem esse, ita ut homines in actionibus humanis diiudicandis consentiant, si agitur de relationibus essentialibus naturae humanae; in relationibus autem individualibus potest esse diversitas sive ratione subiecti agentis, sive obiecti vel modi actionis.

2. Adversantur nobis a) ii, qui cum materialistis conscientiam omnino negant vel cum affectionibus organicis confundunt; ita omnes Hedonistae (cfr. supra p. 32 sq.); nostris temporibus Max Nordau, Stirner, Nietzsche[1]). Neque multum differt Münsterberg, qui explicat conscientiam ex affectionibus organicis circa cor, quae cum ideis moralibus per associationem coniunctae sunt[2]). b) Alii negant, conscientiam quoad essentiam uniformem esse in omnibus hominibus, et sunt Evolutionistae, qui pro tempore et statu culturae principia moralia ac proinde etiam conscientiam intrinsecus mutari affirmant; sic Darwin, Spencer, Jodl, Wundt, Paulsen, Thilly, Eisler aliique plurimi recentes[3]).

I. *Exsistit conscientia moralis*[4]).

Prob. 1. *Ex exsistentia legum moralium:* Ostendimus, ordinem legesque morales exsistere (cfr. supra p. 23 sq). *Atqui* illae leges inutiles essent, nisi nobis innotescerent et ad actus nostros applicarentur; hoc autem fit per conscientiam moralem. *Ergo* exsistit conscientia.

[1]) Vocant conscientiam bonam vel malam affectionem ex bona vel mala comestione (!), vel falsificationem continuam („lange, beherzte Fälschung", „konventionelle Lüge" etc.). [2]) Gutberlet, Ethik und Religion p. 182[4] sq.
[3]) Cfr. Cathrein, Die katholische Moral, 1907, p. 507 sq.; cfr. supra p. 18 et p. 30. [4]) Cfr. W. Schneider l. c. p. 452 sq.

2. *Ex experientia nostra interna:* Conscientia psychologica nobis testatur, nos, quando deliberate agimus, *ante actum* reflectere in relationem actus liberi ponendi cum norma morum nosque formare iudicium de liceitate vel illiceitate actus, quod iudicium saepe *sequuntur* affectus spontanei plus minus vehementes tum voluntatis tum etiam organorum. — Porro *post actum* iudicamus, nos bene vel male fecisse idque nobis tribuendum esse laudi vel vituperationi, praemio vel poenae, indeque iterum affectiones illae voluntatis et organorum habentur: consolatio conscientiae, quae vultus hilaritate sese manifestat; remorsus conscientiae, qui tristitia quadam et timore externe sese produnt et animam saepe vehementer cruciant, ita ut multi potius mortem praeferant continuis illis tormentis. *Atqui* illa iudicia ante et post actum moralem et affectus immediate inde producti, omnibus fatentibus, est conscientia moralis. *Ergo* certo exsistit.

3. *Ex persuasione hominum:* Constat per historiam, omnes gentes conscientiam moralem statuisse, ipsamque iudicem moralitatis habuisse, cui qui non pareant, poenas daturi essent tum temporales tum aeternas [1]). Cogita furias veterum. Iure *Cicero:* „Et virtutis et vitiorum sine ulla divina ratione grave ipsius conscientiae pondus est; qua sublata omnia iacent [2])." „Poenas luunt, non tam iudiciis, quam quod eos agitant insectanturque furiae, non ardentibus taedis, sicut in tabulis, sed angore conscientiae [3])." Audi etiam *Stagiritam,* dicentem: „Qui multa et atrocia facinora admiserunt, propter improbitatem vitam oderunt ac fugiunt sibique manus afferunt. Et vitiosi homines et improbi quaerunt, quibuscum dies totos traducant, se ipsos autem fugiunt; multa enim gravia atque horrenda recordantur, taliaque altera, cum soli sunt, exspectant; tantisper autem, dum cum aliis sunt, obliviscuntur; et cum sit nihil in eis amabile, nullo erga se amoris affectu commoventur [4])." *Atqui* hic consensus omnino vox naturae humanae vocandus est. *Ergo* exsistit conscientia moralis.

II. *Conscientia moralis per se uniformis est in omnibus.*

Prob. 1. *Ex natura conscientiae:* Conscientia moralis applicat normam moralitatis ad singulos actus humanos. *Atqui* tum norma moralitatis tum eius applicatio per se eadem est pro omnibus hominibus omni tempore: a) *Norma;* nam norma subiectiva est ratio humana,

[1]) Cfr. Schmidt. Ethik der Griechen, I, p. 215 sq. Cathrein, l. c. p. 498 sq. Willmann, Phil. Propädeutik, 1904, II, p. 158 sq. K. Werner, System d. christl. Ethik, 1850 I, p. 211 sq., 421 sq., 449 sq.

[2]) De natura Deor. III, 35.

[3]) De leg. I, 14. Cfr. Juvenalis, satyr. XIII. Sophocles, Oedipus, v. 673 sq., 1584 sq.; Aeschylus, Agamemnon v. 962 sq., Septem ante Thebas, 878 sq.; Schiller, Die Kraniche des Ibikus. [4]) Eth. Nicom. IX, 4 (1166 b, 10).

obiectiva est ipsa natura humana tum absolute et relative, tum abstracte et concrete spectata (cfr. supra p. 75 sq.); natura autem humana et ratio humana eadem est in omnibus hominibus, neque quisquam probavit, eam decursu saeculorum intrinsecus immutatam fuisse (cfr. vol. I, p. 367 sq.) [1]). b) *Applicatio* huius normae per se et quoad essentiales hominum relationes etiam eadem est; nam fit per rationem humanam, quae eadem est omnibus; deinde etiam relationes essentiales naturae nostrae eaedem sunt ubique et omni tempore: relatio partis rationalis in nobis ad sensitivam; relatio hominis ad Deum, filiorum ad parentes, subditorum ad praepositos, hominum inter se ratione proprietatis, vitae, integritatis servandae. *Ergo* conscientia moralis per se uniformis est in omnibus hominibus.

2. *Ex testimonio historiae et culturae gentium:* Constat, apud omnes gentes easdem leges morales viguisse, quae vitam humanam quoad essentiales suas relationes dirigunt, easque in genere observatas fuisse, transgressiones autem, e. g. furtum, homicidium, periurium, adulterium fuisse punitas. Et si qui homines vel etiam gentes quaedam illas leges non observant, ratio est vel error quidam ex falsa traditione ortus, vel consuetudo prava ex actibus immoralibus contracta, ac proinde non per se, sed per accidens. Exceptio autem non tollit, sed firmat regulam. Cfr. supra p. 123; porro vide, quid Plutarchus, Cicero aliique veteres sentiant, vol. I, p. 225; II, p. 528 sq. — Idem constat, testibus missionariis aliisque hominibus fide dignis quoad gentes feroces, quae hodie adhuc exstant, quidquid Lubbock, Spencer aliique opinionibus Darwinisticis praeoccupati dixerint [2]). *Ergo* conscientia moralis apud omnes gentes per se eadem est.

[1]) S. Thomas, de veritate, qu. 16 a. 3.

[2]) Cfr. W. Schneider, Einheit und Allgemeinheit des sittl. Bewusstseins, 1895. Borchert, Der Animismus, 1900, p. 218 sq. Audi, quid *Livingstone,* fide dignissimus, per 20 annos missionarius (protestans) in Africa de gentibus nigris referat: „Alle Afrikaner, die wir angetroffen haben, sind so fest von ihrem künftigen Dasein überzeugt, wie von ihrem gegenwärtigen Leben, und wir haben keine gefunden, denen der Glaube an das höchste Wesen nicht eingewurzelt war. . . . Ihr Begriff vom sittlich Schlechten unterscheidet sich in keiner Weise von dem unserigen; doch glauben sie, dass sie nur niedere Wesen, nicht dem höchsten Wesen verantwortlich sind. Böse Reden, Lügen, Hass, Ungehorsam gegen die Eltern und Vernachlässigung derselben werden von den Einsichtigern unter ihnen als Dinge bezeichnet, die sie ebensogut wie Diebstahl, Mord und Ehebruch als sündhaft kannten, bevor sie etwas von den Europäern oder ihrer Lehre wussten. Die einzige neue Zutat zu ihrem Sittengesetz ist dies, dass es verkehrt sei, mehr als ein Weib zu haben. Dies war ihnen vor der Ankunft der Europäer nie in den Sinn gekommen, nicht einmal in Form eines Zweifels" (Neue Missionsreisen in Südafrika übersetzt von Marten, 1874) p. 242. — Aliquid simile missionarii referunt de aliis gentibus paganis.

3. *Ex absurdis:* Si conscientia moralis per se esset mutabilis, deberet alia fieri progressu culturae, ut Positivistae docent, vel moribus legibusque mutatis, ut Historici exaggerati censent, vel intrinseca naturae nostrae mutatione, ut Evolutionistae, priores simul sententias complectentes, opinantur. *Atqui* a) ex *progressu culturae* sequitur solum, conscientias *perfectiores* fieri ac proinde leges morales melius cognosci et applicari, non autem eas in se immutari. Deinde constat, progrediente cultura externa, conscientias et moralitatem non semper perfectiores factas esse, imo plerumque deteriores, ut status rerum florentissimus omnium gentium, e. g. Graecorum et Romanorum testatur. Denique si conscientia statui culturae conformanda esset ac proinde cum illo alia fieret, quidquid tunc mos publicus ferret, per conscientiam approbandum et sequendum esset, siquidem status culturae esset norma obiectiva conscientiae; neque nobis liceret, unquam de moribus depravatis iudicium ferre, quia norma conscientiae nostrae pro statu praesenti alia esset; sed hoc ab omnibus absurdum habetur. Nobis enim persuasum est, etiam veteribus vel hominibus barbaris non licuisse sive licere, infantes occidere, carnem humanam comedere, fornicari, se ipsum occidere etc., licet haec crimina ab aliquibus ex conscientia erronea fieri potuerint. b) Neque *moribus et legibus* mutatis conscientia alia fit; nam leges et mores ex conscientia hominum sunt diiudicandi ratione moralitatis et liceitatis suae, sicut et cultura, ita ut saepe conflictus inter leges publicas et conscientiam subditorum adfuerit (cfr. supra p. 115), in quo conflictu obligatio ex conscientia habebatur absoluta, non autem auctoritas legum. c) Neque conscientia intrinsecam subit evolutionem, siquidem sententia Evolutionismi falsa est et historiâ refutatur, quia moralitas hominum decursu temporis non continuo crescit, sed saepe decrescit. *Ergo* conscientia per se immutabilis est.

III. *Conscientia moralis per accidens variabilis est*[1]).

Prob. 1. *Ex factis historiae:* Constat, aliquas actiones, quae contra legem naturae sunt, ab aliquibus hominibus vel gentibus nonnullis licitas esse habitas, e. g. polygamia, servitus, occisio hostium, infantium debilium, fornicationem inter non maritatos etc. *Atqui* neque apud *omnes* gentes, neque *eodem modo* illae actiones habebantur licitae. *Ergo* conscientia moralis variabilis est non per se, i. e. in genere, sed per accidens, i. e. per causas, quae non ex ipsa natura humana oriuntur, sed extrinsecus ad eam accedunt. — Quae autem hae causae sint, iam videamus.

[1]) S. Thomas, de veritate, qu. 17, a. 2.

2. *Ex causis erroris:* Conscientia moralis consistit in applicatione legum moralium ad actus humanos. *Atqui* in hac operatione error potest irrepere: a) Ex parte *intellectus*, qui in conclusionibus remotis ex primis principiis moralibus deducendis errare potest sive ex infirmitate naturali, sive ex ideis quibusdam praeconceptis; sic non tam facile ex natura matrimonii deduci potest, non licere polygamiam, siquidem haec bonum coniugii, i. e. eius finem principalem, propagationem generis humani, non impedit (cfr. supra p. 30 et 123). Porro etiamsi intellectus principia moralia bene habet perspecta, attamen potest errare in eis applicandis ad singulas actiones; sic est quidem de iure naturae, unicuique suum reddere, sed potest esse, ut non liceat reddere, e. g. deposita arma ad hominem iniuste interficiendum. b) Ex parte *voluntatis;* potest esse, ut antecessores legem naturae contra conscientiam transgressi sint, quae transgressio tunc per consuetudinem et traditionem ita confirmata est, ut posteri iam non reflectant de malitia actus vel eam negligant; permagna enim est vis opinionis publicae et pauci ei resistere valent ex infirmitate intellectus vel voluntatis; sic e. g. leges olim vigentes per constantem violationem in desuetudinem abierunt. — Porro potest esse, ut quis spe boni alicuius vel timore mali commotus *nolit* reflectere in actus moralitatem, sibi persuadens, se recte facere; „quod enim volumus, credimus libenter." — Accedit, quod *exempla malorum* non minus, imo magis quam bona trahant ad alios imitandos, si ratio aliqua delectationis vel utilitatis adest; et sic facile tota societas corrumpitur et falsa principia agendi stabiliuntur, praesertim si homines potentes exempla exhibeant. Ita certe initio polygamia, occisio infantium, servitus (Sklaverei), fornicatio, paederastia etc. cum mala conscientia inducta sunt, sed paulatim per consuetudinem et traditionem, accedente morum continua depravatione, conscientia quasi obruebatur atque tandem obmutuit, quemadmodum consuetudo peccandi, teste experientia, iam in singulis hominibus conscientiam quasi exstinguere potest. *Ergo* conscientia moralis variabilis est, idque non vi naturae suae, sed per accidens, i. e. vi causarum extrinsecarum, inprimis ex influxu voluntatis illegitimo, quemadmodum omnis tandem error intellectus ultimo ad influxum voluntatis reducendus est (cfr. vol. I, p. 117).

Coroll.: Quodsi historia docet, multas gentes contra leges naturae, sicut in decalogo Mosaico (excepto tertio mandato) habentur, peccasse, inde non illico concludendum est, illas gentes illas leges non cognoscere vel aliquando non cognovisse, vel earum conscientiam non solum imperfectiorem, sed *per se* aliam fuisse, quam nostram. Potius concludendum est, homines leges illas offendisse sive contra conscientiam suam, sive ex conscientia erronea. Idem dicendum est de nationibus barbaris. Quodsi ex legis transgressione frequenti concluderetur, eam non exsistere neque in conscientia hominum fuisse, omnia fere principia moralia, omnesque leges essent delendae. Quid

tunc posteri de nostrae aetatis conscientia iudicaturi essent, quum leges morales hodie toties offendantur. Numquid iure censebunt, nostram conscientiam non prohibuisse mendacia, furta, suicidia, duella, abortum, abusum matrimonii, fornicationem, prostitutionem etc., quae crimina hodie tam frequentia sunt? Transgressio igitur legis naturae nondum conscientiae absentiam probat, sed voluntatis liberae malitiam; aliud enim est conscientia legis, aliud eius transgressio.

Sect. II. De origine et natura conscientiae moralis[1]).

Expositio.

1. Postquam ostendimus, conscientiam moralem exsistere, investigandum est, quid sit et quomodo oriatur. Iam diximus supra, conscientiam moralem distinguendam esse a psychologica. Porro conscientia moralis, duce s. Thoma[2]) et Bonaventura[3]), potest considerari: a) *Obiective* pro re, ad quam conscientia applicatur. Iam vero eius obiecta sunt illa, quae usque modo exposuimus, sc. norma et finis noster, deinde principia moralia, quae ex eis immediate formantur, necnon leges morales inde derivatae, porro applicatio harum legum ad singulos actus eorumque obiecta et circumstantias; denique obligatio et motiva, quae ad agendum impellunt. Inde vocatur conscientia, i. e. simul scire, quia *simul* cum actu morali *scimus* eius relationem ad principia moralia, necnon *motiva* ad agendum[4]). b) Conscientia moralis potest etiam *subiective* considerari, in quantum est in nobis, et sic nunc a nobis spectatur. Iam vero subiective aut est *potentia* aut *actus*; et si est actus, est vel actus *intellectus* vel *voluntatis* vel *utriusque* simul. Quarum sententiarum quaeritur, quae sit vera.

2. Fuerunt, qui conscientiam haberent potentiam propriam distinctam ab aliis facultatibus, *sensum moralem*, quia etiam homines rudes immediate et certo sine reflexione scientifica per conscientiam sciunt, quid rectum sit, quid non. Ita sentiebant aliqui iam antiquitus, teste s. Thoma[5]), postea inprimis Shaftesbury, Hutcheson, Reid cum schola Scotica, Jacobi etc. (cfr. supra p. 46 et 53 sq.). — Alii non quidem potentiam novam statuebant, sed conscientiam habebant actum eumque *intellectus* sui generis, non ex deliberatione ortum, sed immediatum et a priori in nobis productum, tanquam imperativum categoricum inexplicabile, ut Kant sentiebat (cfr. supra p. 47 sq.), vel tanquam ideae exemplares sive iudicium syntheticum a priori, cuius rationem reddere non possimus, ut Herbart, Stange[6]) cum aliis docent (cfr. supra p. 56 sq.);

[1]) Cfr. S. Thomas de veritate, qu. 16 et 17. Werner, System der Ethik, 1850, I, 415 sq. Simar, Die Lehre vom Wesen des Gewissens in der Scholastik des 13. Jhrh., 1885; Cathrein, Gewissen und Gewissensfreiheit, 1906; Appel, Die Lehre der Scholastiker von der Synteresis, 1891.

[2]) L. c. qu 17, a. 1. [3]) II Sent. D. 39, a. 1. qu. 1.

[4]) Cfr. S. Thomam, de veritate qu. 17, a. 1; S. Theol. I, qu. 73, a. 13; II Sent. dist. 24, qu. 2, a. 4.

[5]) De veritate, qu. 16 et 17, a. 1. S. Theol. I, qu. 79, a. 12 et 13.

[6]) Einltg. in die Ethik, II, p. 241: „Das Gewissensurteil selbst ist ein besonderes geistiges Faktum, welches keine weitere Analyse zulässt. . . . Die Funktion des Gewissens ist als eine eigentümliche *synthetische* Funktion zu betrachten“ (wie Raumanschauung und Kausalität) p. 241. „Ein neuer

alii autem actum *voluntatis* eumque cognitioni omni praecedentem a priori statuunt, ut Schwarz, Wentscher aliique (supra p. 60 sq.). Vocantur etiam Idealistae, vel Intuitionistae, vel Rationalistae, quia formam et plerique cum Kant etiam materiam moralitatis ex sola ratione vel voluntate nostra derivant.

3. Alii autem illum actum conscientiae sive rationis sive voluntatis non immediatum et primitivum habent, sed paulatim ortum, quin leges morales universales et immutabiles supponant; *empirice* ex solis factis experientiae per inductionem vel associationem (alii ex delectatione, alii ex utilitate propria vel publica, alii ex progressu culturae) et formam et materiam moralitatis deducunt: materiam ex bonis privatis vel publicis, formam i. e. obligationem primum ex auctoritate humana, deinde ex motibus voluntatis vel etiam organorum, paulatim cum illis actibus per consuetudinem et hereditatem coniunctis. Sic sentiunt Empiristae, Positivistae, Evolutionistae (supra p. 18 et 132 sq.)[1]) Alii tandem actum conscientiae *logice* derivant ex processu aliquo dialectico eo, quod intellectus leges morales cognitas applicet ad factum particulare, ita ut conclusio habeatur ex praemissa aliqua universali, quae est lex aliqua moralis; e. g. malum est furari, et ex praemissa altera particulari, e. g. si Petro hanc pecuniam abriperem, furarer. *Ergo* malum esset, si Petro pecuniam eriperem; non igitur hoc faciam. Haec igitur est sententia scholasticorum, quae in scholis christianis (etiam protestantium usque ad Kant) communis fuit. Supponit haec doctrina quasdam leges universales morales, universales et immutabiles, quae sicut aliae veritates necessariae, non ex experientia qua tali per inductionem vel associationem formantur, licet indigeant experientia, ut intellectus inde ideas universales formet et ex his principia illa universalia deducat, e. g. principia identitatis, contradictionis, rationis sufficientis, causalitatis etc. (cfr. vol. I, p. 392 sq., 512 sq.). Haec

Maassstab (sittliches Ideal) wird nur dann gewonnen, wenn in einer einzigen Persönlichkeit die schöpferische Kraft der Vernunft sich als mächtig erweist und — in einer für uns gänzlich unkontrollierbaren Weise — im Bewusstsein des Menschen ein neuer Maassstab geboren wird,“ p. 268.

[1]) Sic Paulsen, System d. Ethik[5], I, 341 sq.: „Wir erklärten das *Gewissen* in seinem Ursprung als *das Bewusstsein von der Sitte oder das Dasein der Sitte im Bewusstsein des Individuums.* Die Autorität, mit der es spricht, ist die . . . der Eltern und Erzieher . . . die Autorität des Gesetzes und der Obrigkeit . . . die Autorität der Götter . . . Indem der einzelne an dieser so sanktionierten und geschützten Norm sein Handeln misst, . . . entstehen jene *Gefühlserregungen*, die vor der Tat als abmahnendes oder antreibendes Gewissen, nach der Tat als Gewissensunruhe oder innere Billigung empfunden werden. Der *Inhalt* des Gewissens ist mannigfaltig . . . wie die Sitten. . . . Die *Form* aber ist überall dieselbe: ein Wissen um einen höhern Willen, durch den sich der Eigenwille des Individuums innerlich gebunden weiss. Überall wird zuletzt dieser höhere Wille als der . . . einer göttlichen Macht gedeutet“. (Cfr. Die Kultur der Gegenwart, Systemat. Philosophie, 1907, p. 290.) Paulsen cum Spencer iam brutis tribuit conscientiam primitivam, e. g. cani, qui sequens inclinationem naturalem illicite venatur, unde conflictus inter naturam et assuetudinem per homines habeatur, qui conflictus, forma primitiva conscientiae, per evolutionem in homine perficiatur. (Cfr. Cathrein, Die katholische Moral, 1907, p. 507 sq.) *Münsterberg:* „Das Gebot oder Verbot wird in abstrakter Form gelehrt, der Lernende aber setzt es sofort in sich in Vorstel-

autem ipsa principia moralia tum maxime suprema, tum immediate inde derivata (cfr. supra p. 118 sq.) vocantur a scholasticis (praeeunte s. Hieronymo et Glossa per errorem Gregorio Naz. tributa) *synteresis* (cfr. supra p. 15), eaque *obiective* spectata; *subiective* autem haec synteresis dicitur illa naturae nostrae dispositio, qua facile, immediate et certo illa principia moralia formemus, quando necessitas operandi nos urget [1]. Ad hanc synteresim, quae conscientia fundamentalis vocari potest, accedit mentis reflexio et applicatio ad facta singularia, quae applicatio *conscientia sensu proprio* vocatur. Quae quamvis formaliter in actu aliquo consistat, attamen per actus repetitos — et cotidie innumeri fere eiusmodi actus eliciendi sunt, si modo morali vivere volumus — transit in *habitum*, ita ut, obiecto actus moralis proposito, quasi immediate et certo de eius moralitate iudicemus, quemadmodum etiam in aliis scientiis practicis per habitus acquisitos, id quod initio difficile et per diligentem reflexionem fiebat, nunc facile, sponte, certo quasi per modum instinctus efficitur.

4. Scholastici vero in hoc inter se dissentiebant, quod alii cum s. Thoma synteresim solum in *mente nostra*, ut summa principia practica mentem illuminantia, alii cum Durando, s. Bonaventura, Alexandro Hal., Alberto M. eam etiam vel primario in *voluntate* nostra residere docebant, in quantum eam instiget atque promoveat ad bonum faciendum [2]. — Ni fallor, utraque sententia coniugenda est, siquidem actum voluntatis nostrae certe cognitio boni et mali et legum moralium praecedere debet, id quod Bonaventura [3]) eiusque asseclae minime negant. Deinde non minus constat, voluntatem nostram ita esse institutam atque dispositam, ut quando bonum morale proponitur, illico motum spontaneum, naturalem, utique nondum liberum (cfr. vol. II, p. 352) experiatur ad bonum faciendum, in quo finis noster habetur. A fortiori haec inclinatio naturalis supponenda est, quia constat, appetitum sensitivum, bono vel malo sensitivo proposito, illico excitari, quare bonum morale in genere cum difficultate aliqua naturali coniunctum est. Et hoc etiam s. Thomas minime negat [4]), imo saepius affirmat, unde potius lis de verbo

lung und Gefühl um: „Du sollst nicht morden" wird vom Bewusstsein einfach so aufgenommen, dass mit der Vorstellung des Mordens Unlust verbunden wird. Auch diese Verbindung ist lediglich *Assoziation*, da jene spezifischen Gefühle nur die Empfindung von bestimmten, in die Herzgegend lokalisierten, mit Zirkulationsstörungen verbundenen Vorgängen in dem Blutgefässapparat und den Respirationsmuskeln sind" (apud Gutberlet, Ethik u. Rel., p. 183). Wundt: „Der philosophische Vorgang, dessen Abschluss die Selbstbeurteilung (Gewissen) bildet, ist zunächst *kein Urteilsprozess*, sondern er tritt, ehe er sich zu diesem entwickelt, in der Form *gefühlsstarker Vorstellungen* auf, an die namentlich unmittelbar *Affekte* der Billigung und Missbilligung geknüpft sind" (Ibid. p. 186). — Similiter sentit Thilly l. c. p. 49 sq.

[1]) Immerito igitur Fr. Thilly, sicut alii multi, scholasticis tribuit opinionem, quasi ideas morales innatas vel saltem potentiam propriam moralem (synteresim) statuant (l. c. p. 66).

[2]) Simar, Lehrb. d. Moraltheol., 1893 [3], p. 105 sq. (§ 37); Die Lehre vom Wesen des Gewissens, p. 27. [3]) II. Sent. dist. 39, a. 1, qu. 1 et 2.

[4]) S. Theol. I, qu. 79, a. 12: „Synteresis dicitur instigare ad bonum et murmurare de malo, in quantum per prima principia procedimus ad inveniendum et iudicamus inventa."

quam de re esse videtur. Haec synteresis vocatur etiam „scintilla" conscientiae, quia nunquam exstinguitur, sicut scintilla gliscit sub cinere, secundum s. Thomam, quia continet suprema principia moralia, i. e. practica, quae nunquam possunt exstingui [1]); secundum s. Bonaventuram, quia conscientia mediante synteresi voluntatis ipsam movet.

Thesis XII: Conscientia formaliter considerata non est potentia propria, sed est actus primario rationis, secundario voluntatis, quo leges morales ad actus nostros singulos adhibentur et voluntas nostra ad bonum impellitur.

St. qu. 1. Reicimus sensum moralem tum materialem (Robinet), tum spiritualem (Reid etc.). Porro actum conscientiae statuimus esse *rationis*, non intellectus, ut indicemus, eum non esse cognitionem immediatam, sed mediatam, logice derivatam, i. e. amplectimur sententiam scholasticam. Dicimus, conscientiam *primario* esse actum rationis, ut sententiam Voluntarismi ethici a multis modernis (Wundt, Paulsen, Höffding, Münsterberg etc.) propositam refutemus, quae conscientiam primario ex voluntate repetit; dicimus, eam *secundario* esse actum voluntatis, ut purum intellectualismum et determinismum scholae Kantianae reiciamus, voluntati partes suas vindicantes.

2. Adversarii nostri sunt ii, quos supra in Expositione enumeravimus: Rationalistae et Empiristae.

I. *Conscientia formaliter considerata non est potentia propria sive materialis sive spiritualis.*

Prob. 1. *Ex ratione sufficiente:* Ut sensus moralis sive materialis sive spiritualis statuatur, deberet ratio sufficiens adesse. *Atqui* nulla videtur adesse ratio sufficiens: a) Non ad ideas et principia moralia formanda; nam ad hoc sufficit ratio nostra per abstractionem directam et reflexam (cfr. supra p. 11), sicut alias ideas et principia theoretica et practica (e. g. artium) inde format. b) Neque ad leges morales singulis actibus applicandas; nam ad hoc sufficit eadem ratio per ratiocinia sua, quemadmodum iudex in tribunali leges generales applicat ad casus particulares, vel artifex quicunque leges artis ad opus suum. c) Neque ad immediatam et certam moralitatis cognitionem, quia haec in quaestionibus moralibus difficilioribus vel prorsus novis non adest, et in rebus obviis haec facilitas et certitudo facile explicatur tum ex illatione *quasi immediata* ex supremis principiis, e. g. non esse furandum, peierandum etc., tum ex consuetudine moraliter agendi cotidie exercita; consuetudo enim, ut dicunt, fit altera natura. *Ergo* sensus moralis superfluus est.

[1]) Cfr. Grabmann, Die Lehre des hl. Thomas von der scintilla animae (Jhrb. für Philos. u. spekulat. Theologie, 1900, p. 413 sq.).

2. *Ex absurdis:* Si adesset sensus moralis, quo actuum moralitatem tam facile et certo cognosceremus, quam res corporeas per sensus externos, non posset explicari, cur homines in quaestionibus moralibus tam saepe dissentiant, imo opposita statuant, cur tam difficile nonnunquam sit, veram moralitatem investigare, ut ex casibus moralistarum apparet. *Ergo* non adest sensus moralis.

Sensus autem moralis materialis (Robinet) a fortiori reiciendus est, quia moralitas actionum est res spiritualis, quae sensibus prorsus est impervia, nisi appetitum sensitivum, toties superiori oppositum, cum voluntate confundas vel hominem bestiis compares. Haec opinio forte ex eo orta est, quod cum actibus conscientiae in genere etiam motus organici cohaerent, qui tamen eorum effectus sunt vel naturalis reflexus actuum spiritualium in functionibus organicis, ut sunt rubor vultus: signum pudoris, excitatio nervorum, motus sanguinis, palpitatio cordis: signum irae vel etiam timoris etc. Constat per experimenta, theoriam affectuum materialisticam a Lange, Iames, Sergi, Ribot, Herzen statutam, quae motum ipsius animi cum motibus nervorum confundit, esse falsam, quia motu animi iam cessante motus organicus saepe crescit vel perdurat et vice versa[1]. Confundunt igitur effectum cum causa, quod idem fere dicendum est de theoria conscientiae, quam Münsterberg docet (cfr. supra p. 159 et 165, nota 1).

II. *Conscientia non est actus immediatus rationis autonomae.*

Prob. 1. *Ex natura rationis:* Ratio est principium manifestativum, non imperativum. *Atqui* per conscientiam nobis obligatio imponitur, non tanquam a nobis profecta, sed a voluntate eaque superiore nobis imposita (cfr. supra p. 140 sq.). *Ergo* conscientia non est actus rationis autonomae.

2. *Ex natura actus moralis:* Actus moralis procedit ex deliberatione mentis in relationem actus ad naturam et finem hominis, in motiva et obligationem agendi. *Atqui* actus conscientiae praecise resultat ex hac deliberatione. *Ergo* non est actus immediatus, i. e. ex aliis deductus est, non rationis autonomae, cuius rationem reddere non possimus.

3. *Per exclusionem:* Si conscientia esset actus rationis nostrae autonomae, ex ea aut solum forma aut materia et forma actus moralis deducenda esset. *Atqui* si *primum,* nesciremus, ad quam materiam forma haec per se universalis esset applicanda, e. g. quando furtum, quando legitima possessio, quando iusta, quando iniusta hominis interfectio esset, nisi norma moralitatis obiectiva praeter rationem iam *supponeretur;* neque sciretur, num et quando actio quaedam sit obligatoria, quando solum permissa vel laudabilis, siquidem ex

[1] Cfr. Gutberlet, Der Kampf um die Seele, 1904[2]: Altes und Neues über das Gefühl; Psychophysik, 1905, p. 22 sq.

imperio rationis autonomae per se universali hoc non apparet, nisi dicas, eam prorsus arbitrarie, sicut bonum et malum, ita et praeceptum et non praeceptum statuere, quod omnium persuasioni repugnat, et omnem moralitatem intrinsecam destrueret. — Sin *alterum,* mens nostra et obiecta ipsa formaliter constitueret moralia, quod tamen repugnat ipsi conscientiae testanti, discrimen inter bonum et malum non a nobis esse, neque ullo modo a nobis dependere. Porro mens nostra, statuendo hoc discrimen, aut modo conscio aut inconscio hoc facit. Si *primum,* deberemus nos cognoscere tanquam auctores boni et mali formalis et obligationis, quod tamen, ut vidimus, ipsi conscientiae repugnat et persuasioni hominum; sin *alterum,* non possemus reddere rationem actus moralis, sc. normae, finis, motivorum, quod iterum conscientiae repugnat et persuasioni communi et destrueret prorsus dignitatem actus moralis, omnium tamen praestantissimi. — Deinde si ratio nostra ipsa statueret moralitatem actus et materialem et formalem, hoc faceret cum vel sine ratione. Si *primum,* supponeretur iam alia norma praeter rationem nostram, quae igitur non iam autonoma esset; sin *alterum,* moralitas tota prorsus irrationalis esset atque arbitraria et libertinismus completus, scepticismus moralis universalis induceretur. *Ergo* actus conscientiae non oritur ex ratione nostra autonoma.

III. *Actus conscientiae non est actus immediatus voluntatis autonomae.*

Prob. 1. *Ex natura voluntatis:* Ea est natura voluntatis, ut supponat obiectum per intellectum propositum. *Atqui* si voluntas ex se produceret moralitatem sive quoad materiam sive quoad formam, esset actus voluntatis ante ullam cognitionem. *Ergo* actus conscientiae non oritur ex voluntate autonoma.

2. *Per exclusionem:* a) Voluntas ex se producens actum moralem, i. e. producens et discrimen internum inter bonum et malum, et obligationem ipsam, aut ageret cum ratione aut sine ratione. Si *primum,* tota moralitas esset irrationalis, quod repugnat et in se et cum persuasione hominum; sin *alterum,* voluntatem iam praecederet ratio, et tunc haec sententia in priorem recidit. *Ergo* . . .

b) Voluntas producens moralitatem et obligationem aut esset voluntas individualis, aut aliqua transcendentalis. Si *primum,* tota nostra moralitas esset arbitraria iuxta illud Iuvenalis: Sic volo, sic iubeo, stat pro ratione voluntas; esset sententia libertinismi moralis, quam Stirner, Nordau, Nietzsche etc. statuunt. Sin *alterum,* haec voluntas transcendentalis esset aut auctoritas vel opinio publica; sed tunc haec sententia recidit in subsequentem et se ipsam destruit; aut esset voluntas aliqua *realis* omnibus hominibus communis, aut

voluntas entis absoluti cum nostra voluntate realiter *identici*. *Atqui* utraque haec sententia pantheismum inducit et repugnat conscientiae nostrae et persuasioni hominum. *Ergo* . . .

3. *Ex experientia nostra:* Experimur et nos et alii homines, nos nullo modo voluntate nostra producere discrimen inter bonum et malum et obligationem ipsam, sed discrimen illud hancque obligationem esse obiectivam atque a nobis independentem, neque posse nos, etiam si vellemus, ea ullo modo immutare. Porro possumus rationem reddere, cur hoc vel illud faciamus vel debeamus, hancque rationem non esse voluntatem nostram vel hominum autonomam, i. e. omni rationi praecedentem, sed testatur conscientia, nos voluntate aliqua superiore eaque absoluta obligari et ab ea aliquando iudicandos esse. *Ergo* actus conscientiae non oritur immediate ex voluntate autonoma.

IV. *Actus conscientiae non est formatus ex sola experientia.*

Prob. 1. *Ratione originis:* Leges morales, quae sunt fundamentum iudicii moralis, ex experientia aut per inductionem aut per associationem formatae sunt. *Atqui* omnis *inductio* supponit iam principium universale, quo innitatur. Quemadmodum igitur inductio scientifica theoretica iam supponit principium rationis sufficientis vel causalitatis (cfr. vol. I, p. 80, 205 sq.), ita etiam inductio moralis supponit iam principium supremum saltem morale; secus ex obiectis non moralibus moralitas efficeretur, quasi ex nihilo aliquid fieret. — Porro etiam *associatio* supponit, iam aliquam in associatis inesse moralitatem vel saltem relationem ad eam; secus nulla esset ratio, cur ex associatis nullo modo in se moralibus iterum moralitas quasi ex nihilo oreretur; esset idem ac si ex actibus sensitivis fieret intellectualis, ex actibus videndi actus tangendi etc. *Ergo* leges morales ex sola experientia hauriri ac proinde hoc modo conscientia formari nequit.

2. *Ratione obiecti:* Si obiectum actus conscientiae haberetur ex sola experientia, esset aut bonum iucundum, aut bonum utile aut bonum morale. *Atqui* iucundum et utile possunt etiam rationem boni et mali moralis induere, unde supponunt iam bonum morale ut normam; si autem bonum morale iam supponitur, non iam ex experientia sola, sed aliunde diiudicandum est. Historia igitur docet, quid factum sit, non, quid faciendum fuerit; supponit igitur normam moralem. *Ergo* . . .

3. *Ratione obligationis:* Obligatio, si ex sola experientia oreretur, repetenda esset, aut ex auctoritate humana (parentum, morum, legum), aut ex auctoritate divina, i. e. ex revelatione divina sive interna sive externa, aut ex actibus voluntatis nostrae cum quibus-

dam obiectis perceptis ex associatione et traditione vel hereditate coniunctis, ut Positivistae, Associonistae, Evolutionistae docent. *Atqui* obligatio, quam conscientia imponit, non derivatur ex auctoritate humana, quia haec iam supponit obligationem obediendi in conscientia (cfr. supra p. 12 et 137). — Neque ex revelatione divina interna vel externa, quia haec quoad praecepta legis naturae non exsistit. Neque ex associatione motuum et affectuum voluntatis cum quibusdam obiectis sive ideis, quia debet prius constare, illos motus et affectus revera esse morales; saepe enim affectus immorales obiectis quibusdam naturaliter excitantur; „nitimur in vetitum, cupimusque semper negata.“ Quare ex his affectibus moralis conscientia effici nequit, immo conscientia debet prius de eorum moralitate iudicare. Confundunt ergo effectum cum causa ipsa; ex motibus autem per se non moralibus ipsa moralitas oriri nequit. *Ergo* actus conscientiae ex sola experientia repeti non potest.

Reicienda igitur est sententia, quam Kant, Fichte, Hegel, Herbart, Stange multique alii de conscientia proponunt, eam repetentes ex ratione nostra, quasi ex se imperium categoricum, vel legem moralem, vel ideas exemplares, vel functiones quasdam syntheticas a priori produceret. — Similiter sententia, quam Schwarz, Ehrenfels, Wentscher aliique propugnant, conscientiam ex decreto voluntatis a priori oriri. Denique opinio eorum, qui eam ex auctoritate humana derivant, sicut Positivistae et Evolutionistae; praesertim quum hi falso supponant, iam in brutis aliquam inveniri moralitatem, ex qua humana per evolutionem orta sit. Confundunt *timorem* ex coactione externa mere sensitiva, e. g. in cane venatorio ortum ex recordatione poenae aliquando pro illicita venatione perpessae, cum *obligatione ex conscientia* spirituali in homine, quae prorsus sibi sunt opposita, ita ut mutuo sese excludant. Nequit igitur haec ex illo ullo modo oritur, quemadmodum neque ex functione mere vegetativa unquam sensitiva vel intellectualis oriri potest. — Neque iuvat quidquam cum Paulsen, Achelis, Stange, Thilly etc. recurrere ad viros ingenio praestantes, qui novas ideas morales exemplares ex se producant; nam semper recurrit quaestio, num illae novae ideae sint vere morales, quo iure quis eas proferat, aliisque imponat. Numquid novae ideae, quas Marx, Lassalle, vel Stirner, Nietzsche, Haeckel aliique excogitabant quasque tot homines admirantur, recipiendae sunt? Quis de hac re iudicabit? An tempus, an potentia, an numerus credentium? Sed quid interea erit de hominum moralitate? Confugium igitur ad viros illos praestantes non est nisi confessio palliata ignorantiae. Neve ad Evangelia Jesu appelles, ut Paulsen [1]) aliique. Certe doctrina evangelica eiusque moralitas, praesertim vero Christi vita et exemplum, fatentibus omnibus, admirabilis est, neque superari potest. Sed Jesus ipse docet, se de *coelo* venisse, se *non ex ratione sua autonoma* evangelica praecepta hausisse, sed a Patre in coelo accepisse, seque non venisse, ut legem antiquam solveret, sed *adimpleret* [2]).

---

[1]) System d. Ethik. I, p. 61 sq., II, p. 217 sq. Thilly, l. c. p. 209.

[2]) Joh. 7, 16; 5, 17 sq. Matth. 5, 17 sq. Non igitur verum est, quod Thilly affirmat: „Als Christus die allgemeine Bruderliebe predigte und die altjüdische

V. *Actus conscientiae est mediatus et primarie actus rationis.*

Prob. 1. *Per exclusionem:* Ostendimus sub II et III, actum conscientiae non esse actum immediatum, functionem mere syntheticam intellectus vel voluntatis; est igitur actus mediatus, deductus ex aliis actibus prioribus. Porro ostendimus sub IV, eum non esse deductum ex sola experientia, neque primarie ex motibus voluntatis. *Ergo* est actus mediatus isque proxime rationis.

2. *Ex experientia:* Ipsa conscientia nostra testatur, nos debere reflectere, priusquam agamus, in normam moralitatis eamque applicare ad actum nostrum, ut videamus, eum conformem esse regulae morum. — Porro quotiescunque constat, aliquem leges morales non cognoscere sive ex errore, sive ex dispositione mentis (infantes, dementes), vel non posse eas ad actum applicare ex mentis perturbatione vel imbecillitate, eum dicimus non moraliter agere, sed modo mere naturali et spontaneo. *Atqui* leges morales cognoscere easque ad actum praesentem applicare, supponit quandam ratiocinationem plus vel minus perfectam. *Ergo* actus conscientiae est actus mediatus rationis.

Idem s. Thomas deducit ex nomine conscientiae a con-scire, quia simul cum actu conscientiae adest et cognitio legis moralis et applicatio eius ad actum sive futurum sive praesentem sive praeteritum [1].

VI. *Actus conscientiae secundario est actus voluntatis.*

Prob. 1. *Ex relatione inter intellectum et voluntatem:* Voluntas ex se ordinata atque inclinata est ad obiecta per intellectum sub ratione boni et mali ei proposita appetenda vel fugienda, et quo maius bonum vel malum ei obicitur, eo fortior motus voluntatis primoprimus (Gefühl, Regung, Anmutung) evadit, ita ut etiam motus correspondens in appetitu sensitivo organisque oriatur, e. g. delectationis spiritualis, timoris, verecundiae etc. [2]. *Atqui* hi motus voluntatis ex una parte iudicium practicum mentis per se impotens ad agendum adiuvant atque confirmant, ex altera parte voluntatem liberam valde inclinant atque impellunt, licet non necessitent, ad bonum faciendum, siquidem sunt iam ipsius motus, quasi gressus spontanei ad finem hominis. *Ergo* actus conscientiae secundario est etiam actus voluntatis.

2 *Ex divina providentia:* Constat, nos moraliter agendo saepe vel plerumque experiri difficultatem, quae oritur ex naturali incli-

Auffassung Gottes und sein Verhältnis zu den Menschen *änderte*, da fand eine *absolut notwendige* Änderung der Moral statt." L. c. p. 209.

[1] De veritate, qu. 17, a. 1.

[2] Cfr. vol. II, p. 350 sq. Willmann, Philos. Propädeutik, II, Emp. Psychologie, 1904. p. 157 sq.

natione appetitus sensitivi in bona sensibilia, moralibus in genere opposita; et haec inclinatio perversa per se prior est atque vehementior quam appetitus spiritualis iuxta illud Ovidii: „Video meliora proboque, deteriora sequor" [1]. *Atqui* repugnat divinae providentiae, eam nobis non quasi aequipondium dedisse per voluntatis aliquam in bonum morale inclinationem; secus bonum morale, licet non physice, sed moraliter plerisque hominibus impossibile esset propter sensualitatem nobis innatam. *Ergo* cum actu rationis associantur motus voluntatis naturales, qui conscientiae vim suam atque efficaciam tribuant, inde a s. Bonaventura scintillae conscientiae, quasi igniculi vocati.

3. *Ex experientia:* Quando bonum morale per conscientiam nobis proponitur, experimur simul affectum cordis et cum ipso saepe etiam motum organicum, sive delectationem spiritualem in bono proposito sive aversionem cordis a malo cognito, quo affectu impellimur ad bonum faciendum et malum vitandum. Etiam illi, qui conscientiam non audiunt, non possunt tamen non amare virtutem atque admirari, licet eam non sequantur propter affectum ad malum. — Post actionem autem experimur gaudium de re bene gesta vel tristitiam de peccato commisso *Atqui* hi affectus sunt signa atque effectus immediati iudicii practici mentis de actione nostra. *Ergo* simul cum eo constituunt conscientiam actualem adaequatam, licet secundario.

Scholion: 1. S. Thomas conscientiae tribuit tres potissimum functiones [2]: *testificari* bonum vel malum, *ligare vel instigare* ad agendum, *excusare vel accusare vel remordere*, quarum actionum aliae rationi potissimum: testificari, accusare; aliae magis voluntati conveniunt: ligare, instigare, remordere. Unde patet Spinozae definitionem falsam esse: „Conscientiae remorsus est tristitia, concomitante idea rei praeteritae, quae praeter spem evenit" [3]. Haec enim conscientia non esset nisi subsequens, quae sine antecedente esse non potest. Sic etiam mercator haberet malam conscientiam, qui pecuniam perdidit, vel homo, qui cibo comesto malum capitis vel stomachi experitur.

2. *Errores* conscientiae ex nostra doctrina facile explicantur; possunt enim oriri: a) Ex *intellectu*, in quantum principia formalia non recte formavit, vel in quantum ea non recte applicat in deliberatione, quod utrumque potest fieri sine culpa ex errore (ideae praeconceptae, institutio etc.) vel ex dispositione anormali mentis vel corporis (amentia, hypnosis etc.), vel cum culpa, si quis ex passione vel difficultate non sufficienter reflectit. b) *Ex voluntate*

[1] Metam. 7, 17. Similiter Cicero: „Sunt enim ingeniis nostris semina innata virtutum, quae si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam naturae ducerent. Nunc autem simul atque editi in lucem et suscepti sumus, in omni continuo pravitate et in summa opinionum diversitate versamur, ut paene cum lacte nutricis errorem suxisse videamur." Tusc. III, 1; cfr. de finibus etc., II, 22.

[2] S. Theol. I, qu. 79, a. 13.

[3] Eth. III, prop. 59.

eaque libera, quia habitum malum contraxit, vel ex passione agit, quae iudicium mentis corrumpit; quod enim volumus, credimus libenter; vel ex voluntate non libera, quia deficiunt motus spontanei voluntatis sive ex indole naturali ut in „idiotia morali" (moral insanity)[1], licet intellectus appareat sanus, ac proinde stimulus naturalis voluntatis deest; sive ex dispositione anormali organica, quae motum appetitus sensitivi vel impedit et per consequens etiam motum spontaneum voluntatis ipsi correspondentem, ut fit saepe in dementia paralytica et senili, vel motum sensitivum modo anormali excitat et per ipsum etiam motum spontaneum ipsius voluntatis, ut fit in tentationibus, praesertim vero in hominibus scrupulosis, qui vano timore peccandi ex nervorum dispositione orto cruciantur[2]).

Sect. III: De auctoritate conscientiae.

Expositio.

1. Ratione *materiae:* conscientia triplex distinguitur: antecedens, concomitans, subsequens. a) *Antecedens* est, quod actum moralem praecedit, et est conscientia *ligans*, quando actum iubet vel vetat; vel *permittens*, si actum neque iubet neque vetat, sed permittit; vel *consulens*, si actum suadet. Atque haec conscientia antecedens est conscientia proprie dicta, a qua moralitas subiectiva actus tota dependet. b) Conscientia *concomitans* est ea, quae actum concomitatur et easdem habet functiones, quas antecedens, cuius est quasi continuatio neque realiter ab ea differt. c) Conscientia *consequens* est ea, quae sequitur actum moralem, et est vel iustificans, excusans, praemians quoad actus moraliter bonos vel permissos; vel est accusans, condemnans, puniens quoad actus moraliter malos.

2. Ratione *formae* conscientia distinguitur a) vera et erronea. *Vera* est, quae obiective cum norma morum concordat; *erronea*, quae ei non conformis est. Erronea potest esse vincibiliter et invincibiliter erronea; illa est, quae reflexione debita facile removeri posset; quae reflexio, si cum intentione omittitur, ut peccandi libertas adsit, vocatur ignorantia crassa et supina. Invincibilis est ignorantia, si deest possibilitas reflexionis, sive physica, e. g. in infante, sive moralis, e. g. in adulto, sed rudi et agresti.

b) Distinguitur conscientia certa, probabilis, dubia. *Certa* est, quando quis regulam morum et actus relationem ad eam habet bene perspectam ex rationibus evidentibus; *probabilis* est, quando adsunt rationes eae quidem pro vel contra moralitatem actus, sed non convincentes; *dubia* est, quando vel nullae rationes pro vel contra adsunt, est dubium *negativum;* vel quando pro et contra rationes adsunt, est dubium *positivum;* et potest esse dubium *iuris*, si de exsistentia legis dubitatur; habetur dubium *facti*, si applicatio dubia est.

[1]) Krafft-Ebing, Lehrb. d. Psychiatrie, 1903[7], p. 639.

[2]) Cfr. libella in hac re perutilia: Bessmer, Störungen im Seelenleben, 1907[2]; Grundlagen der Seelenstörungen, 1906.

c) Distinguitur conscientia anxia, laxa, tenera, perplexa. *Anxia* est, quae nimis stricta est, ita ut peccatum appareat, ubi nullum est, vel grave, ubi solum leve adest; vocatur etiam *scrupulosa*. *Laxa* e contra est conscientia, quae nimis lata est, ita ut neget obligationem, ubi adest, vel levem habeat, quae gravis est. *Tenera* est conscientia, quae est quidem bene formata, sed habet specialem sensum gravitatis sive omnis, sive certi cuiusdam peccati, ac proinde est conscientia hominum, qui ad perfectionem aspirant. *Perplexa* est conscientia, quando quis in necessitate agendi constitutus ex utraque parte officia sibi opposita videt, quae simul observari non possunt, e. g. obedientia erga parentes vel propositos aliquid mali imperantes.

Thesis XIII: Non licet operari nisi cum conscientia moraliter certa.

St. qu. Certitudo distinguitur metaphysica, physica, moralis (cfr. vol. I, p. 121 sq.). Ad moraliter agendum solum requiritur certitudo moralis, quae legibus moralibus (veracitate hominum) fundatur, licet etiam in quaestionibus moralibus metaphysica vel saltem physica adesse possit certitudo, quando de primis principiis moralibus agitur et de factis sensibus omnino obviis. — Porro haec certitudo potest esse formalis, i. e. obiectiva simul et subiectiva (cfr. vol. I, p. 122). Hic requiritur saltem certitudo subiectiva, modo ne oriatur ex ignorantia vincibili sive culpabili. Denique distinguitur certitudo directa et indirecta; illa rationibus rei ipsius nititur, haec vero rationibus aliunde desumptis ex principiis quibusdam reflexis; etiam haec certitudo indirecta sufficit, si directa haberi nequit.

I. *Non licet operari nisi cum certa conscientia.*

Prob. 1. *Ex natura conscientiae:* Conscientia sola pro nobis est praeco veritatis moralis, dux et magistra in via ad finem nostrum; est igitur idem pro nobis, quod pilotus pro navi periclitante, stella rectrix vel acus magnetica pro nautis. *Atqui* nisi certa sit conscientia, magistra haec et dux in via nobis non esset utilis, immo facile in errorem induceret, neque nos obligare posset; nam lex non certo promulgata non obligat. *Ergo* conscientia nostra ad moraliter agendum certa esse debet.

2. *Ex natura actus moralis:* Actus moralis omnium est dignissimus atque perfectissimus, tum *origine*, quia oritur ex rationis deliberatione et libera voluntate simul; tum *natura*, quia eius norma est natura humana adaequate spectata; tum *fine*, quia habet finem absolutum, nobis omnino necessarium et infinitum sc. Dei gloriam

et nostram aeternam felicitatem. *Atqui* repugnat, talem actum fieri ex dubia vel solum probabili cognitione; est autem obiectum conscientiae moralis. *Ergo* conscientia moralis debet esse certa.

3. *Ex communi persuasione:* Omnibus persuasum est, iter non esse suscipiendum, quin viam certo cognoscamus, nullum opus nobis necessarium atque gravissimum sine certa cognitione esse aggrediendum. *Atqui* actus moralis est iter ad finem nostrum absolutum, est opus omnium primum atque gravissimum. *Ergo* conscientia debet esse certa. Quare erat iam axioma Stoicorum: Quod dubitas, ne feceris" [1]; et Ciceronis: „Bene praecipiunt, qui vetant quidquam agere, quod dubitant, aequum sit an iniquum" [2]). Quod idem Apostolus Paulus (Rom. 14, 23): „Quod non est ex fide, peccatum est."

II. *Sufficit tamen certitudo moralis eaque etiam indirecta.*

Prob. 1. *Ex natura certitudinis:* Certitudo moralis eaque etiam indirecta, est vera certitudo, licet imperfecta, si comparatur cum metaphysica (cfr. vol. I, p. 130 sq.). *Atqui* ostendimus, requiri certitudinem ad moraliter agendum, non certam quandam atque determinatam. *Ergo* sufficit certitudo moralis.

2. *Ex necessitate:* Saepe nobis impossibile est, certitudinem metaphysicam vel physicam habere, praesertim, ut patet, in re morali, ubi tantus est influxus, imo regnum proprium voluntatis liberae, quae, licet leges quasdam sequatur, potest tamen eas negligere atque deficere a recto. Accedit, quod saepe pro utraque parte rationes probabiles adsint, ita ut intrinseca certitudo haberi nequeat. Tandem fit nonnunquam, ut officia opposita simul adimplenda adsint, ita ut conscientia perplexa haereat, et nisi confugiat ad principia quaedam reflexa, nullam certitudinem neque moralem, neque directam acquirere possit. *Ergo* sufficit certitudo moralis eaque etiam indirecta ad moraliter agendum, ne nimia, imo impossibilis obligatio nobis imponeretur, neve necessario peccandum sit.

III. *Etiam conscientia invincibiliter erronea nos obligat* [3]).

Prob. 1. *Ex natura conscientiae:* Conscientia nobis est dux atque magistra in vita morali eaque unica. *Atqui* etiam conscientia, si saltem de facto invincibiliter errat, est talis dux atque habetur, licet ex errore, tanquam praeco voluntatis divinae eique voluntas nostra est conformanda, e. g. si quis censeret, mentiendum esse, ne homo vel patria pereat. *Ergo* sequenda est.

[1]) Plinius, ep. I, 18.
[2]) De offic. I, 9.
[3]) S. Theol. I, II, qu. 19 a. 5 et 6; de veritate qu. 17, a. 4.

2. *Ex necessitate:* Quodsi conscientiae nostrae sine culpa erranti obedire non liceret, inde sequeretur, neque conscientiae rectae esse obediendum, quia et errans et vera *subiective* eodem modo nos obligat. Neve dicas, primo errorem per reflexionem esse repellendum; nam qui habet conscientiam invincibiliter erroneam, ne dubitat quidem de suo errore ac proinde reflexionem instituere non potest; ad impossibile autem nemo tenetur. — Neque dixeris, tunc nunquam constare de obiectiva veritate conscientiae; nam error est per accidens, semper, saltem postea, corrigi potest, neque in omnibus potest conscientia errare, siquidem in supremis principiis et in eorum immediata applicatione error esse non potest, e. g. parentibus esse obediendum. *Ergo* conscientia erronea est sequenda.

Quum conscientia nobis dictet, quid sit faciendum et cur operandum sit, nobis quasi Dei voluntatem revelat; est enim promulgatio legis divinae in mente nostra, non quidem modo supernaturali et mystico, sed modo naturali per ordinem exsistentem (cfr. supra p. 146 sq.). Propterea lex naturalis etiam dicitur scripta in cordibus nostris (Rom. 2, 14—16) et conscientia ipsa „vox Dei" vocatur per *analogiam* ad revelationem decalogo in monte Sinai factam. Immerito igitur philosophi recentiores nobis exprobrant, quod moralitatem et obligationem in Dei revelatione supernaturali fundemus; nam actionem moralem quoad eius materiam proxime repetimus ex dictamine conscientiae, tanquam norma subiectiva, ex natura nostra humana tanquam norma obiectiva, ex fine nostro tanquam principio ultimo ontologico; *obligationem autem* i. e. *formam moralitatis* ex Dei voluntate *naturaliter per ordinem exsistentem nobis manifestata.*

I. *De formatione conscientiae in genere.*

Quum conscientia sit magistra nobis proxima et dux in vita morali, patet, magni esse momenti, eam bene esse formatam tum quoad rationem, tum quoad voluntatem. a) Quoad *rationem* igitur oportet leges morales earumque normam et fundamentum cognoscantur, sc. natura et finis hominis necnon exsistentia Dei personalis, ultimo nos obligantis. Patet igitur, quanti facienda sit sana philosophia et recta institutio ad conscientiam formandam. Deinde requiritur, ut conscientia leges morales ad actus singulos applicare sciat, quod praesertim fit per bonam *educationem* et *rectum usum libertatis* in vita cotidiana instituenda, ut facilitas agendi acquiratur. Ne igitur conscientia nimis *larga laxaque* fiat, ita ut actiones humanas vix legibus subordinet, peccata ipsa tanquam scrupulos inanes despiciens; neve nimis *angusta* sive *scrupulosa*, quae et licita habeat vetita et vitam reddat nimis difficilem ac molestam. Acquirenda igitur est *recta* conscientia tum quoad principia moralia tum quoad eorum applicationem, et haec recta conscientia paulatim per virtutum exercitium reddenda est *tenera*, quae est medium efficacissimum perfectionis.

b) Quoad *voluntatem.* Inprimis curandum est, ne passiones perversae voluntatem sibi subdant et paulatim crescentes habitus perversos, i. e. vitia producant. Nihil enim magis mentem obfuscat eiusque iudicium corrumpit.

quam mala concupiscentia non frenata. Est igitur adlaborandum, ut passiones malae refraenentur et, quantum fieri potest, eradicentur; hoc praesertim fit per disciplinam et assuefactionem ad obedientiam, temperantiam, continentiam, laborem moderatum tum ex parte parentum et institutorum, tum ex parte nostra ipsa per exercitium quotidianum. — Deinde passiones bonae sunt nutriendae atque confortandae: amor veri, boni, iusti, pulchri, devotio, pietas, amor in Deum et proximos, misericordia, compassio cum miseris, sensus ordinis, harmoniae, artium pulchrarum, necnon munditiei corporalis et spiritualis, affectus ad laborem et recreationem moderatam atque convenientem etc. — Hoc praesertim spectat ad parentes et institutores, ad scholas privatas et publicas. Maximi autem momenti est, ut exempla virtutum exhibeantur; „verba enim docent sed exempla trahunt;" virtus enim, quasi ipsa in homine ea ornata apparens, amore sui et admiratione animos sponte attrahit et ad imitationem impellit. Hoc igitur modo conscientia tum recte instituitur tum affectibus corroboratur.

c) Non parum confert ad passiones malas reprimendas sive coercendas et bonas promovendas corporis nostri constitutio, quare et haec ipsa minime negligenda est. Constat ex pathologia, dispositionem corporis sive per hereditatem sive per vitam propriam incontinentem talem fieri posse, ut inde inclinationes perversae oriantur, non absolute quidem, sed moraliter quasi invincibiles, quae etiam mentem obscurant paulatim eiusque iudicia infitientur; inde etiam defectus conscientiae et tandem idiotismus moralis oritur, qui quamvis ordinem moralem apprehendat, eum tamen prorsus negligit sine remorsu conscientiae, neque timet nisi coactionem externam (cfr. supra p. 174). Deinde etiam sine ulla culpa ex infirmitate corporis (nervorum, sanguinis etc.) cogitationes et motus inordinati (tentationes) oriri possunt, siquidem motus quidam nervorum, quemadmodum certis cogitationibus, phantasiis et actibus appetitus excitantur, ita etiam ipsi ex lege correlationis illas iterum actus phantasiae, appetitus, intellectus et voluntatis, utique spontaneos, non liberos, excitant. Unde *scrupulosi*, sive ex infirmitate mentis, sive ex falsa institutione, hos motus naturales, i. e. passiones non liberas, ex quadam infirmitate potius corporali ortos, facile confundunt cum actibus liberis, in quibus solis peccatum formale inesse potest. Similiter saepe confundunt conscientiam subsequentem cum antecedente, quae sola peccatum constituit; subsequens autem per se peccatum non efficit, sed factum manifestat atque punit. Corpus autem per se peccatum non efficit, sed factum manifestat atque punit. Corpus igitur ita curandum est, ut neque per defectum infirmum reddatur, neque per excessum passiones perversae excitentur vel confortentur. Iure igitur Iuvenalis: „Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano; posce animum fortem"[1].

II. *De formatione conscientiae dubiae in specie.* *(De Probabilismo.)*

1. *Expositio:* Ostendimus, non licere agere, nisi certa adsit cognitio de liceitate actionis nostrae, i. e. de eius conformitate cum regula morum, unde ante actionem eius liceitas investiganda est. Sed potest esse, ut duplex officium, quorum unum alterum simul excludit, adimplendum nobis appareat, ita ut collisio obligationum habeatur et conscientia fiat perplexa, e. g. praeceptum superioris ad malum faciendum (cfr. act. ap. 5, 29). Quid tunc faciendum? Patet, hoc dubium resolvendum esse eo, quod officium gravius adimpleamus, quemadmodum apostoli praecepto divino praedicandi evangelium potius quam humano non praedicandi obediebant. Quodsi non apparet, quale officium gravius sit, licet alterutrum facere, si agendum est. Quodsi nobis non necesse sit agere, ab utroque abstinendum est[1].

[1] Sat. 10, 357. Cfr. librum perutilem Foerster, Jugendlehre, 1905.

2. Saepe accidit, ut etiam post diligentem inquisitionem dubium remaneat, utrum actio aliqua honesta sit an inhonesta, praecepta an libera. Dubium autem potest esse iuris vel facti; est *iuris*, si non constat de legis exsistentia vel ambitu, e. g. num lex delictum aliquod puniat; est *facti*, si non constat de obiecto certo legis, e. g. num hoc vel illud delictum, quod certo lege punitur, revera factum sit. Possunt quidem pro alterutra vel etiam pro utraque parte rationes adesse plus vel minus probabiles, sed non convincentes, ita ut alterutra opinio possit esse *magis vel minus probabilis* quam altera, vel etiam utraque *aeque probabilis*. Ex hoc igitur dubio per se *theoretico* oritur dubium *practicum*, utrum actio liceat necne, situe praecepta an libera. Ab opinione probabili distinguenda est opinio *tuta*, quae favet legi, et minus tuta, quae favet libertati; utraque potest esse plus vel minus probabilis, ita ut tuta possit esse minus probabilis, minus tuta autem in se magis probabilis.

3. Ad solvendum hoc dubium quinque potissimum „systemata moralia" vel „principia moralia"[2] statuta sunt:

a) Primum *Tutiorismus absolutus;* innixus axiomate: In dubio pars tutior eligenda est, docet, nonnisi certam sententiam eamque legi faventem esse sequendam. Haec sententia a *Sinnichio* Lovaniensi († 1666), Pascal († 1662) et Jansenistis statuta, rigorismum exaggeratum inducens, fuit communiter refutata et ab Alexandro Papa VIII condemnata (1690): „Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam".

b) A tutiorismo absoluto non multum distat *Tutiorismus mitigatus;* docet licere sequi probabilissimam sententiam libertati faventem; sic effugiunt quidem ecclesiae iudicium, attamen, quum sententia probabilissima ipsis sit moraliter certa, vel incidunt in tutiorismum absolutum, vel si sententiae probabilitatem retinent, permittunt agere cum conscientia solum probabili, non certa, quod ab omnibus reicitur. Hanc sententiam professores Lovanienses 17. et 18. saec. necnon Henricus a s. Ignatio Carmelita († 1719), et Cardinalis Gerdil († 1802) propugnabant.

c) *Probabiliorismus* docet, sententiam probabiliorem libertati faventem sequi licere, etiamsi tuta probabilis sit: Qui probabilius agit, prudenter, i. e. licite agit. Hanc sententiam, praesertim postquam aliquae opiniones laxiores probabilistarum a P. P. Alexandro VII et Innocentio XI 1665, 1666, 1669, 1680 censuratae fuerunt, plerique moralistae, praesertim ex ordine Theatinorum

[1] Ex hoc principio Linsenmann († 1898), Lehrbuch der Moraltheologie, § 34—38, reiectis aliis principiis moralibus, omnia dubia practica resolvenda esse censet (cfr. Lehmkuhl, Theol. moralis, 1885², I, 80).

[2] Principium morale, ut patet, hoc loco alio sensu accipitur ac principium *moralitatis*, quod supra p. 80 sq. explicavimus.

et Dominicanorum, necnon multi ex Societate Jesu (duce Thyrso Gonzalez generali societatis) usque ad S. Alphonsum, scientiae moralis quasi reformatorem, amplectebantur. — Sed quum, omnibus fatentibus, ex conscientia *certa* sit agendum, haec probabilioritas sola vel non sufficit ad moraliter agendum, vel tanquam certitudo moralis habetur, et tunc redit tutiorismus et rigorismus.

d) *Aequiprobabilismus* docet, licere sequi sententiam etiam aequiprobabilem, faventem libertati, quamvis altera aequiprobabilis faveat legi. Hanc sententiam s. *Alphonsus* saltem ex anno 1762 in sua „Theologia morali" statuit contra probabiliorismum tunc fere ubique receptum, eamque contra acerrimos adversarios (Patuzzi, Concina etc.) defendit. Nititur duplici potissimum axiomate: Lex dubia non obligat, quia ad essentiam legis pertinet eius promulgatio. Dubium tamen strictum supponitur, quod adest, quando utraque opinio, i. e. pro lege et pro libertate, aeque probabilis est. Aliud axioma est: Melior est conditio possidentis, i. e. libertatis respectu legis supervenientis. Hoc axioma est quasi applicatio prioris. — Praecipua difficultas huius doctrinae in eo est, quod vix possibile sit, decernere, quando utraque opinio (pro et contra legem) *aeque* probabilis sit. Sententiam s. Alphonsi sequuntur plerique, inprimis omnes moralistae ex Congregatione SS. R., ut Könings, Marc, Aertnys (Vindiciae Alphonsinae), Jansen, de Caigny, Ter Haar, Wouters aliique; deinde alii praecipui auctores, ut Gousset, Scavini, Simar, E. Müller, Pruner etc.

e) *Probabilismus* docet, licere sequi sententiam etiam minus probabilem, dummodo vere probabilis sit, i. e. ratione solida fundetur, etiamsi opinio tuta probabilior sit. Hanc sententiam, quam iam tribuunt s. Antonino († 1459) et Dominico Soto († 1560), Barthol. *Medina* ex ordine S. Dominici in Commentario suo ad Summam S. Thomae 1577 expresse proposuit eaque testibus Vasquez et Suarez, quasi communis fuit ex illo tempore tum apud Dominicanos tum apud Jesuitas usque ad medium saeculum XVII. Tunc aliquae sententiae laxiores, a quibusdam probabilistis propositae, ab ecclesia reiectae fuerunt. Praesertim Jansenistae rigidiores, duce Pascal (Lettres à un provincial), „laxismum" Jesuitarum acerrime persecuti sunt, ita ut probabilismus ex illo tempore a plerisque desereretur[1]). Hodie vero plerique iterum moralistae, praesertim ex societate Jesu, probabilismum defendunt, quorum praecipui sunt: Gury-Ballerini, Palmieri, Lehmkuhl, Génicot, Göpfert, Noldin, Schiffini, Cathrein, Arendt, Frins aliique. — Axiomata, quibus Probabilistae sententiam suam probant, eadem sunt ac aequiprobabilistarum. Differunt ab eis eo, quod legem dubiam non stricte interpretantur, sed late, quia, quotiescunque nondum adsit certitudo, veritas oppositae sententiae nondum exclusa sit ac proinde dubium exsistat. Hoc tamen dubium non solum negativum, i. e. sine ratione positiva, sed positivum esse debet. Porro axioma: Melior est conditio possidentis, non solum applicant ad legem, cuius exsistentia et obligatio ipsa dubia est, sed etiam ad legem, quae certo exstitit, cuius tamen *continuata* exsistentia vel applicatio positive dubia est. Quum ad moraliter agendum opinio minus probabilis admittatur, patet, periculum sententiae alicuius laxioris posse adesse, non vi systematis, sed ex dispositione vel opinione singulari fautorum eius. Quamvis igitur *theoretice* sententiae probabilismi et aequiprobabilismi, quae hodie solae in usu sunt, differant, *practice* tamen, ni fallor, plerumque

[1]) Cfr. Pilatus (Dr. Naumann) 1905, Der Jesuitismus XI—XV.

concordant, siquidem vix possibile erit, obiective semper sententias aeque probabiles statuere.

4. Patet, has sententias probabilismi et aequiprobabilismi non esse excogitatas, ut moralitatem deprimant[1]), quasi minimum ostendant, quod quis possit facere; sed confessariis praesertim usui esse debent, ne nimia onera humeris humanis imponant. Rigorismus enim homines non ad perfectionem deduceret, sed potius deterreret, ut historia Jansenismi docet. Accedit, quod auctores horum systematum, omnibus fatentibus, erant viri vel sancti vel saltem virtutibus christianis exornati. — Addendum est totum hoc principium morale ad solam liceitatem actuum spectare, non ad alios effectus inde ortos. Quod si hi effectus certo obtinendi sunt, neque probabilismus neque aequiprobabilismus adhibendus est, sed tutiorismus absolutus. Unde a) non licet *sacramenta* solum cum probabili materia vel forma administrare, quia certus effectus omnino producendus est: sanctificatio animarum; b) non licet haec systemata adhibere, si agitur de *fine nostro absoluto;* unde ad res per se indifferentes, quae obiectum legis positivae esse possunt, non ad obiecta intrinsecus mala adaptantur; c) neque in *rebus iustitiae* commutativae; sic non licet medico probabile remedium adhibere, si melius vel certius habet; nec iudici, accusatum condemnare, si solum probabilis est eius culpa. (De tota hac quaestione multum disputata praeter libros iam citatos, confer *Noldin,* Moralsystem, Kirchenlexikon, Herder, B. VIII, 1893 col. 1861 sq.; Lehmkuhl, Theol. mor. I, 59 (1885^{2}); Cathrein, phil. moralis, 1902^{4}, p. 169 sq; Leimbach, Untersuchungen über die verschiedenen Moralsysteme, 1894; Vindiciae Alphonsianae, 1874^{2}; de Caigny, Apologetica de aequiprobabilismo Alphonsiano; Arendt, Apolog. de aequip. Alph. crisis 1897; Wouters, De minusprobabilismo, 1905; Lehmkuhl, Probabilismus vindicatus, 1906).

III. *Principia quaedam ad conscientiam indirecte formandam.*

Ut principium morale probabilitatis facilius rectiusque applicetur, quaedam principia statuuntur auxiliaria ab omnibus fere admissa.

1. *In dubio melior est conditio possidentis,* quod principium proprie in iustitia commutativa diiudicanda adhibetur, et significat, ei rem aliquam esse adiudicandam, qui eam possidet, donec evidenter probetur, eam esse alterius. Sed inde hoc principium etiam ad quamcumque materiam applicatur, in qua lex et libertas humana sibi opponuntur. Si igitur dubium est, num lex aliqua exsistat vel talem habeat extensionem, praevalet libertas, siquidem ea legem praecedit. Si vero lex certo exsistit vel exstitit, aequiprobabilistae censent, legem non obligare, si aeque probabilis est opinio, legem adhuc

[1]) Hoc non pauci auctores protestantes prorsus immerito et verae doctrinae ignari cum Herrmann, Harnack, Hoensbroech etc. affirmant (Cfr. Cathrein, Die kath. Moral, 1907, p. 524; Pilatus (Dr. Naumann) Quos ego! 1903, XII et XIII Brief; Der Jesuitismus, 1905, XI sq. Heiner, Der Jesuitismus, 1902^{4}, p. 73 sq. Mausbach, Die kath. Moral, 1902^{2}; Die ultramontane Moral nach Graf v. Hoensbroech, 1902. — Neque K. Werner (Christl. Ethik, I, p. 430 sq.), nimis favens probabiliorismo, in hac re satis recte sentire videtur, forte ex sententia sua de natura conscientiae, quam duce Günther, quasi Dei ipsius *immediatam* manifestationem in nobis habet (l. c. 417 sq.)

exsistere vel obligare, et non iam exsistere neque obligare; probabilistae vero docent, sufficere probabilitatem *positivam*, veram, licet minorem, legem non iam exsistere; si vero dubium solum *negativum* adest, legi parendum est, quia est in possessione legitima.

2. *Legi certae satisfit per impletionem vere probabilem, extra materiam iustitiae.* Si quis igitur ea facit, quae lex imperat eo modo, quo probabiliter legi satisfacit, operatur cum *probabilitate iuris;* si vero probabiliter constat, aliquem eam quae lex praescribit actionem praestitisse, operatur cum *probabilitate facti;* supponitur semper, post diligentem inquisitionem dubium saltem positivum (vel strictum) remansisse. — Materia iustitiae commutativae excipitur, quia ibi non solum agitur de liceitate actus, sed de effectu certo extrinseco (in aliis) producendo, quare in hac re diversae sententiae habentur.

3. *In dubio standum pro praesumptione, vel ex communiter contingentibus est iudicandum*, quia, quod consuevimus facere certo modo, certo tempore vel loco, in dubio supponendum est, etiam in hoc casu factum esse, licet non certi simus, e. g. de opere quodam praestito. Unde aliud axioma: *In dubio standum est pro valore actus.*

4. *Factum non praesumitur, sed probandum est,* e. g. delictum accusati ante tribunal; similiter: *Nemo praesumitur malus nisi probetur.*

5. *In dubio favores sunt ampliandi, odia restringenda,* modo ne iura aliorum vel salus publica laedatur.

6. *In dubio pars tutior sequenda,* si agitur de fine absoluto consequendo vel de validitate effectus certo producendi (cfr. supra 181)[1].

Caput III: De voluntate eiusque actu, sive de causa physica actus moralis.

Postquam causam moralem et finalem actus moralis exposuimus, eius tandem causa physica est explicanda. Alii auctores eam iam initio ethicae tractant, synthetice totam hanc scientiam exponentes; nobis tamen melius videbatur, methodum analyticam adhibentes, ab exsistentia moralitatis proficisci et deinde eius causas investigare. Primum autem causas morales et finales exposuimus, quia *natura* praecedunt causam physicam, cuius sunt causa motiva. Potest autem causa physica remota et proxima considerari: *remota* est potentia appetendi in homine tum sensitiva tum spiritualis (voluntas), *proxima* est sola voluntas spiritualis, in quantum est libera. Haec igitur causa physica adaequata nobis est explicanda. Deinde effectus huius causae est considerandus, isque iterum duplex: *proximus,* qui est actus *moraliter bonus* et *malus* (peccatum) et quae eum immediate sequuntur: *meritum* et *demeritum; remotus* sunt habitus, qui ex actibus moralibus repetitis acquiruntur: *virtutes et vitia,* quibus pertractatis tota ratio moralitatis patet.

[1]) Cfr. Lehmkuhl, Theol. mor. p. 82.

A. De causa efficiente actus moralis.

§ 1. De causa physica remota actus moralis.

Sect. I: De appetitu sensitivo sive de passionibus.

I. *De natura passionum*[1]):

1. Duplex in nobis est *potentia* appetendi (cfr. vol. II, p. 347 sq.): alia *sensitiva*, quae sequitur immediate cognitionem sensitivam et in bona sensibilia materialia fertur, alia *spiritualis*, quae sequitur per se cognitionem intellectualem et in obiecta fertur saltem praecisive immaterialia, sc. in quantum ab intellectu proponuntur. Quotiescunque igitur bona vel mala sensibilia per cognitionem sensitivam exhibentur, potentia sensitiva appetendi excitatur, ut obiectum bonum, i. e. conveniens sibi appetat, malum fugiat. Quum autem illa obiecta diversa sint in se, diverso modo ad animal appetens referuntur. In illa potentia appetendi diversae inclinationes fundamentales (Anlagen und Triebe) supponendae sunt, quae omnes finem habent vitam organicam conservandi et perficiendi tum in individuo tum in tota specie[2]). Inde nascuntur diversi appetitus: cibi et potus convenientis (Nahrungstrieb), sese defendendi (Schutztrieb), vires suas exercendi (Tätigkeits-, Kunst-, Nachahmungs-, Spieltrieb), sese propagandi (Geschlechtstrieb), in societate quadam vivendi (Geselligkeitstrieb)[3]). Hi appetitus etiam in brutis plus minus apparent.

2. Ex hoc multiplici appetitu, obiecto per sensationem proposito, actus oriuntur, quibus appetitus in obiectum bonum tendit, malum fugit. Illi actus neque sunt mere spirituales, ut nonnulli (Hagemann, Th. Lipps etc.) opinantur, neque mere physiologici, i. e. motus nervorum atque musculorum, ut James, C. Lange, Sergi, Münsterberg, Ribot etc. docent[4]), sed vere psychophysici, i. e. simul ab anima et organis ut a principio uno adaequato orti, unde non mirum, quod motibus nervorum et musculorum sese manifestant; e. g. hilaritas vel tristitia vultus, rubor ex ira vel verecundia, frequentiores venarum pulsus, motus respirationis, cordis ex gaudio, pauciores ex tristitia, contractio vel dilatatio vasorum corporis. Attamen hi motus saepe non sunt nisi signa et effectus actuum ipsorum appetendi, siquidem cum ipsis non coincidunt, neque quoad tempus, neque quoad intensitatem et obiectum, ut ex experimentis a Binet, Courtier, Vaschide institutis apparet[5]). Ex hac

[1]) Cfr. Gutberlet, Psychophysik, 1905, p. 587: „Die Gefühle"; Der Kampf um die Seele, 1903[2], p. 313 sq.: „Altes und neues über das Gefühl". Surbled, La vie affective, 1900; Janvier, Les passions, 1905; Lepidi, Opusc. phil., 1900: La passion. Elie Blanc, Dictionnaire philosophique, 1906: Art. Passion; Eisler, Philos. Wörterbuch, Art. „Gefühl"; Nahlowsky-Ufer, Das Gefühlsleben in seinen wesentlichen Erscheinungen und Beziehungen, 1907[3]; hic tamen auctor Herbart sequitur.

[2]) Cfr. Cicero, de finib. bon. et mal. 5, 9 sq.

[3]) Cfr. Willmann, Propäd. Philosophie, 1904, II, p. 59 sq.

[4]) Surbled, La vie affective, 1900. Cfr. Gutberlet, Kampf um die Seele, 1903[2], p. 313 sq.: Neues und Altes über das Gefühl. [5]) Ibid. 363.

natura psychophysica illorum actuum elucet, cur hypnotizatus, si ei talis actio suggeritur, e. g. eum dolorem stomachi, vel dulcedinem cibi experiri, externe ita se gerat, quasi re vera has affectiones patiatur; cur vice versa, quando in catalepsi certa dispositio membrorum alias ex affectibus naturaliter orta habetur, etiam affectus illi adesse videantur; sic pugno ei contracto speciem irascentis, manibus in modum orantis ei iunctis speciem orantis eius vultus et habitus corporis prae se fert.

3. Hi igitur motus psychophysici appetitus a veteribus vocantur *passiones*, quia anima corporata in organis suis patitur influxum aliquem vel immutationem ex obiecto appetitus sive realiter sive intentionaliter (in phantasia et memoria) praesenti [1]. Accedit, quod hi motus appetitus antecedunt voluntatem liberam eamque quasi invitam ad obiectum suum inclinant. Iure igitur s. Thomas: „Omnis motus appetitus sensitivi dicitur passio“ [2]. Falso autem Cartesius [3]. et post ipsum Spinoza passiones confundit cum perceptionibus et animae soli tribuit. Idem dicendum est de sententia Leibnitii et Herbartii eorumque discipulorum [4]. Quodsi hae passiones vehementiores sunt, vel in habitum transierunt, vocantur etiam *affectus* (Leidenschaften); qui si habent obiectum malum, appellantur *vitia*, quae Kant immerito cum passionibus confundere videtur.

II. *De divisione passionum:*

1. Passiones possunt distingui ratione *obiecti* sui et ratione *modi*, quo obiectum respiciunt. Ratione *obiecti* tot passiones distinguuntur, quot sunt obiecta specifice diversa. Hanc obiectorum diversitatem iam supra indicavimus, diversas tendentias (Triebe) potentiores appetendi in genere enumerantes. Atque hae passiones ratione obiecti sui specifici a recentioribus philosophis et paedagogis plerumque vocantur *qualitativae* (cfr. vol. I, p. 351 sq.).

2. Ratione *modi* passiones, duce s. Thoma, iterum distinguuntur, prout pertinent ad appetitum concupiscibilem, qui obiectum in se solo respicit, et ad appetitum irascibilem, qui obiectum arduum, difficile obtinendum vel declinandum respicit. Atque hoc modo sex passiones (Gefühle) tribuuntur appetitui concupiscibili: *amor* (Lust) et *odium* (Unlust); *desiderium, fuga; gaudium, tristitia.* Appetitui autem irascibili quinque adscribuntur: *Spes, desperatio; timor, audacia; ira.* Has omnes passiones s. Thomas I, II, qu. 22—48 quoad rationem formalem, causas et effectus, sana psychologia et experientia innixus, miro modo explicat. Etsi distinctio realis inter appetitum concupiscibilem et irascibilem a multis non admittitur, haec tamen distinctio optime inservit ad passiones illas distinguendas, et s. Thomas ipse monet, illas passio-

[1] Cfr. Aristoteles, Eth. Nic. lib. II totus. S. Theol., II, II, qu. 22 tota; vide vol. I, p. 489. Lepidi, Opusc. philos., 1900: La passion, p. 182 sq. Otten, Die Leidenschaften, Jahrb. f. Philos. u. spek. Theologie, 1887/88. Mausbach, Divi Thomae doctrina de voluntate et appetitu sensitivo, 1888.

[2] S. Theol. I, II, qu. 35, a. 1

[3] Passiones animae I, 27: Passiones sunt „perceptiones aut sensus aut commotiones animae, quae ad eam speciatim referuntur, quaeque producuntur, conservantur et corroborantur per aliquem motum spirituum“.

[4] Cfr. vol. II, p. 348.

nes mutuo se supponere neque adaequate distingui [1]). Hae autem passiones a recentioribus plerumque vocantur *formales*, quae, ut patet, qualitativas iam supponunt neque ab eis realiter differunt, siquidem *modum* indicant, quo passiones qualitativae obiectum suum respiciunt (cfr. vol. II, p. 352). Fundamentum et radix omnium passionum est *amor* (Lust), ex qua etiam odium, ortum ex privatione boni amati, nascitur. Nimis longum est, omnes illas passiones distincte exponere, unde lectores remittimus ad quaestiones s. Thomae modo citatas.

III. *Relatio passionum ad voluntatem* [2]).

Passiones sunt eae quidem in appetitu sensitivo, attamen maxime spectant etiam ad voluntatem, quae est facultas appetendi spiritualis. Quum enim uterque appetitus in eadem anima simul sensitiva et intellectuali radicetur, duplici modo passiones etiam voluntatem respiciunt:

1. Ut *causa eius materialis*, in quantum eam *modo spontaneo* excitant, quemadmodum sensatio excitat actum intellectus, simplicem apprehensionem, per quam conceptus primitivi formantur. Obiectum igitur materiale tunc uterque appetitus habet commune, attamen formale differt. Sic quando quis famem experiens delectatur modo sensitivo cibo sive realiter sive intentionaliter (per phantasiam) proposito, etiam voluntas hanc delectationem approbat ut vitae conservandae convenientem, i. e. ex ratione utilitatis vel iucunditatis licitae.

2. Ut *effectus* actus voluntatis, siquidem ex eo potest iterum nasci motus appetitus sensitivi circa idem obiectum, sed modo sensibili ei proposito; sic qui cogitat de necessitate vel utilitate ciborum, potest motum sensitivum in cibos sumendos vel etiam respuendos experiri. Imo etiam ex amore vel aversione voluntatis respectu obiectorum pure spiritualium potest motus sensitivus oriri, si illa obiecta per similitudinem corporalem sive in imagine reali (artibus pulchris) sive in phantasia modo apto repraesentantur, ut psalmista: „Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum“ (ps. 83, 3). Unde tanta vis artium, poesiae, orationis tropis et metaphoris apte ornatae ad cor movendum, ad devotionem augendam; praeludia ante meditationem [3]).

3 Passiones igitur tum ut causa, utique materialis, tum ut effectus se habent ad voluntatem nostram. Immo nisi motus quidam sensitivi praecessissent, voluntas nostra vix in actus suos potuisset exire, quemadmodum nullus fuisset actus intellectus, nisi praecessisset sensatio. Passiones igitur voluntati quasi primam offerunt materiam, circa quam versetur, acceptando

[1]) L. c. qu. 25 tota. Cfr. Kirschkamp, Der Geist des Katholizismus etc., 1894, p. 8 sq. Gutberlet, l. c. p. 375 sq., qui, recensens modernorum divisiones passionum miro modo diversas, divisionem Aquinatis omnibus praefert. Neque arridet divisio in sex passiones, quas Wundt, Völkerpsychologie, 1904², I, 1, p. 44 sq.) proponit: „Lust- u. Unlust-, erregende und beruhigende, spannende und lösende Gefühle“. S. Thomae doctrinam de passionibus diligentius explicatam vide apud Rietter, Die Moral des hl. Thomas von Aquin, p. 157 sq.

[2]) Gardair, Les passions et la volonté, 1892.

[3]) Immerito inde nova facultas affectuum fuit statuta ad has passiones voluntatis simul et appetitus sensitivi explicandas (Gemüt); cfr. vol. I, 558 sq.; II, 272 sq.

vel recusando motus appetitus sensitivi; dico primam materiam, non unicam, quia voluntas habet etiam obiecta pure spiritualia. Errat igitur Kant, qui ex systemate suo falso motus sensitivi appetitus habet unicam materiam „imperativi sui categorici". Passiones igitur a veteribus considerantur ut igniculi et scintillae, quibus voluntas inflammetur; duce Platone, comparant eas cum equis ferocibus, quibus frenatis voluntas evehitur ad finem suum, quibus non coercitis voluntas ipsa subiugatur et praeceps in vitia ruit.

IV. *Relatio passionum ad moralitatem* [1]).

1. Quum passiones non oriantur ex libera voluntate, non possunt esse sive moraliter bonae sive malae per se [2]), per accidens tamen pertinent ad moralitatem, primo quia excitant voluntatem, cuius fiunt materia quasi prima, circa quam versetur; sunt enim motus illi primo-primi, qui voluntatem inclinant ad actus naturae rationali vel conformes, e. g. compassio cum miseris, vel difformes, e. g. intemperantia, ira, egoismus. Secundo, sunt bonae vel malae moraliter, in quantum sunt effectus plus minus praevisi et voliti ex actu voluntatis libero praecedente, e. g. passiones irae vel incontinentiae ex ebrietate. Errant igitur Stoici, Manichaei, Reformatores cum Baio, qui passiones naturales habebant peccata nec compatibilia cum homine sapiente et iusto; similiter errant, qui has passiones cum Materialistis et Naturalistis (Rousseau, M. Nordau, Stirner, Nietzsche etc.) prorsus aestimant bonas, sicut sunt in brutis. Sed cum Peripateticis, ducibus Platone et Aristotele, censendum est, eas per se esse moraliter indifferentes; fieri autem per approbationem voluntatis liberae morales, easque bonas, si cum natura rationali in se et quoad modum conveniunt, malas, si vel per se vel quoad modum naturae rationali opponuntur [3]).

2. Ideo passiones minime sunt spernendae, siquidem moralitatem humanam valde impedire et valde promovere possunt. *Impediunt,* si quis nescit, passiones refrenare, unde tota fere vis educationis et institutionis in eo est, ut infantes et adolescentes assuefiant ad se coercendos, et vita perfecta primario consistit in passionibus recte ordinandis, secundum illud Epicteti: „Sustine et abstine," vel iuxta placitum Ciceronis: „Ratio praesit, appetitus obtemperet" [4]). *Promovent* vero moralitatem, quia, si ei sunt conformes, vim naturalem voluntatis valde adaugent et facilitatem et delectationem in virtute colenda conferunt, in quo summa hominis moralis perfectio invenitur. Respuenda igitur est Kantii sententia, qui passiones etiam per rationem ordinatas reprobat, ne ex inclinatione naturali bonum faciamus (cfr. supra p. 52).

Sect. II: De appetitu spirituali.

I. *Natura eius:* Voluntas considerari potest, ut potentia *naturalis* et ut potentia *libera.* Ut est potentia naturalis, actus eius *necessario* excitatur, et quasi pondere suo in obiectum fertur, quotiescunque bonum vel malum ei

---

[1]) Cfr. Weber, Zwangsgedanken u. Zwangszustände, 1903. Surbled, La morale dans ses rapports avec la médecine et l'hygiène 1892—1898, 4 vol., opus egregium. [2]) S. Theol. I, II, qu. 24, a. 1. [3]) S. Theol. l. c. qu. 24, a. 2.
[4]) Cfr. Walter, Ciceronis phil. mor. p. 33 sq.

proponitur, sive sit bonum physicum vel morale, verum vel apparens. Differt ab actu appetitus sensitivi per hoc, quod eius obiectum est spirituale vel obiectum materiale est quidem idem, quod etiam appetitus sensitivus habet, attamen modo spirituali appetitum (cfr. supra p. 185, vol. II, p. 351 sq.). Hic igitur actus pertinet ad solam animam eamque rationalem, licet eum, ut supra diximus, actus appetitus sensitivi vel praecedat vel subsequatur (ex quadam redundantia vel resonantia naturali, ut ait s. Thomas). Propterea etiam cum omni actu voluntatis, sicut cum omni actu intelligendi, quidam motus nervorum sive cerebri, sive nervi sympathici, sive nervorum motricium spontaneorum vel reflectoriorum habentur, qui a materialistis et sensistis saepe cum motibus ipsius voluntatis perperam confunduntur.

II. *Divisio:* Actus voluntatis naturalis spontanei similiter dividuntur, sicut actus appetitus sensitivi, unde etiam nomina inde acceperunt, quemadmodum in genere obiecta spiritualia a nobis per analogiam ad materialia cognoscuntur et nominantur. Distinguuntur igitur hae *passiones* voluntatis ratione *obiecti formalis* secundum diversitatem specificam obiectorum ipsorum, quae possunt pertinere: 1. Ad *vitam corporalem,* et tunc obiecta materialia eadem sunt quae appetitus sensitivi, obiectum autem formale voluntatis est eorum honestas et utilitas, appetitus vero sensitivi est eorum iucunditas sensibilis. 2. *Ad vitam spiritualem,* eamque a) *Individuam,* et tunc distinguitur *bonum pulchrum,* intellectum et sensum simul spectans (cfr. vol. I, p. 552 sq.); *bonum verum,* quod ad intellectum solum pertinet; *bonum morale,* quod in ordinatione actionum nostrarum ad naturam nostram constat, e. g. temperantia, continentia, fortitudo, mansuetudo, labor, industria etc. b) Ad naturam nostram *socialem,* quae vitam in familia et societate humana spectat (e. g. obedientia, amor proximi, iustitia, misericordia, fidelitas etc. c) Ad naturam nostram *religiosam,* quae relationem ad Deum (pietatem, humilitatem, fidem, spem, caritatem, cultum etc.) continet (cfr. vol. II, p. 352). — Secundum *modum* tendendi passiones voluntatis eaedem distinguuntur, quae sunt appetitus sensitivi. Hae igitur passiones voluntatis vocantur etiam *formales,* illae *qualitativae,* et relatio inter eas eadem intercedit, quae est inter sensitivas.

III. *Relatio passionis voluntatis ad eius libertatem et ad moralitatem.*

1. Passiones voluntatis supponunt quidem aliquam cognitionem intellectualem, ut obiectum habeant; ignoti enim nulla cupido; sed praecedunt *deliberationem* mentis ac proinde non sunt liberae (cfr. vol. II, p. 363 sq.), neque morales per se sunt, sicut passiones sensitivae, cum quibus saepe ita coniunguntur, ut interdum cum ipsis confundantur. Attamen quum sint iam motus, licet imperfecti, ipsius voluntatis spiritualis, magis in eam influunt, quam passiones sensitivae, ita ut voluntatem ipsam iam quasi in via ad finem suum constituant et illuc certe ducerent, sicut instinctus bruta, nisi accederet mentis deliberatio in hunc motum primo-primum, qua per ipsius voluntatis determinationem vel approbatur et ad finem perducitur, vel reprobatur et exstinguitur. Signum organicum huius diversitatis sunt musculi certo modo formati, quibus motus organici, motus spirituales semper concomitantes, iam coepti impediantur (gestreifte, nicht glatte Muskeln, Hemmungsvorrichtungen).

2. Inde est, quod homines non deliberantes, sicut infantes vel insani (certis ideis „fixis" praeoccupati), porro hypnotici, imo saepe et homines mente quidem sani, sed passionibus abrepti, motibus voluntatis primo primis obsecundantur, sicut bruta instinctui. Patet, has passiones voluntatem tum ad bonum tum ad malum morale posse inclinare et quasi instigare, prout naturae et fini nostro conveniunt vel repugnant. Si *primum*, voluntatem valde iuvant ad moraliter agendum, ita ut facile et cum delectatione bonum faciat (Die „schöne Seele", Schiller); constituunt synteresim secundum sententiam s. Bonaventurae (cfr. supra p. 166, 172) et in eis gratia supernaturalis inspirationis fundatur. Sin *alterum*, plerumque, licet non semper, orti sunt ex appetitu sensitivo et difficiliorem reddunt actum moralem; constituunt tentationem ad peccatum, ad quam vincendam maior vis et intentio voluntatis liberae requiritur. Quamvis motus illi ad bonum per se praeferendi sint, attamen motus ad malum, licet multi eis succumbant, utique libere, ad peccatum seducti, *indirecte* non parum facere possunt ad bonum morale promovendum et virtutem exercendam, siquidem voluntatem humanam liberam eiusque vim et resistentiam magis evocant atque confortant, quam inclinationes naturales ad bonum, sicut navis contra impetum aquae vecta maiorem vim et intentionem requirit, et arbor ventis agitata profundiores agit radices; „virtus enim in infirmitate perficitur" (II Cor. 12, 9); et „beatus, qui suffert tentationem" (Jacob. 1, 12). Noli vero inde cum Pantheistis nonnullisque aliis concludere, tentationes, imo et peccata omnino necessaria esse, ut inde maiora bona et perfectio mundi habeatur; neque enim sunt facienda mala eaque moralia, quae sunt sola mala atque absoluta, ut inde bonum eveniat; neque Deus posset illa peccata permittere, nisi liberam nobis contulisset voluntatem et peccata etiam summo bono, i. e. gloriae Dei vel per misericordiam Dei in conversione peccatoris vel per eius iustitiam in peccatore impoenitente puniendo subordinari possent.

3. Qui igitur vitam moralem degere et ad perfectionem pervenire volunt, adlaborare debent, ut primum praecaveant, quantum possint, passiones malas eo quod sensus externos (oculos, aures, tactum etc.) et internos (phantasiam et memoriam) refrenant, ne appetitus sensitivus et cum eo motus primo-primi voluntatis in obiecta nobis non convenientia excitentur; deinde ne motus-primo-primi spirituales ex cognitione intellectuali (e. g. ex infidelitate, ex dubio de principiis moralibus, vel ex superbia, inobedientia, invidia etc.) oriantur et, si orti sunt, ut consideratione bonorum oppositorum quam primum exstinguantur; haec igitur est via *purgationis* per ascesim externam et internam. — Deinde oportet affectiones ad bonum in nobis frequentius excitemus, praesertim spirituales, considerando bona spiritualia: verum, bonum, pulchrum, iustum, bonum sociale, devotionem erga parentes, praepositos, Deum, ita ut tandem virtutes acquiramus, quibus passiones malae, etsi non plene, ita tamen reprimantur, ut non iam ad gravem defectum pelliceant; et haec est via *illuminativa*, qua paulatim ad perfectionem ascendimus. — *Denique* anhelanda est contemplatio veritatis summae, quae est in Deo, non quidem per intuitionem naturalem, ut Neo-Platonici et Mystici somniantur, sed per modum cognitionis abstractivae, saltem in hac vita; porro vita divina perfecta, despectis bonis terrenis, nobis imitanda proponitur, ut similitudo cum Deo habeatur infinite perfecto,

in qua Plato cum Pythagoraeis, imo et Aristoteles [1]) et post ipsos Stoici et Neo-Platonici, necnon Christiani finem verum hominis collocant (Matth. 5, 48; Gal. 4, 19), et haec est via *unitiva*, qua vita moralis absolvitur.

Sect. III: De libera voluntate sive de causa physica proxima actus moralis.

I. *De exsistentia et natura voluntatis liberae.* Voluntatem liberam exsistere probavimus vol. II, p. 363 sq., unde hanc quaestionem fundamentalem pro re morali hic supponimus. Libertas autem voluntatis consistit in activa indifferentia, qua omnibus ad agendum positis, voluntas possit agere vel non agere; ipsa igitur sibi determinat et exercitium et modum et finem actus. Conditio necessaria et intrinseca libertatis est deliberatio praecedens in actum eliciendum ratione finis et circumstantiarum, praesertim vero respectu normae moralitatis. Respectu *finis* tres actus potissimum habentur, qui tamen non semper realiter inter se distincti sunt: *amor*, qui est complacentia in fine per cognitionem proposito; *intentio*, quae est desiderium efficax finis et propterea adhibendi media ad eum consequendum; *fruitio* sive *gaudium* est quies voluntatis in fine obtento. Respectu *mediorum* ad finem etiam tres actus, licet non semper realiter distincti, enumerantur: *Electio*, qua media apta ad finem eliguntur; *consensus*, quo voluntas illa media approbat; *usus et imperium*, quo usus mediorum intimatur vel ipsi voluntati vel aliis potentiis voluntati subditis, qui actus est formaliter quidem ab intellectu, moraliter i. e. causaliter a voluntate [2]).

II. *Divisio actuum liberorum:* Actus voluntatis liberae distinguuntur: 1. Ratione *subiecti: eliciti* et *imperati;* illi sunt actus ipsius voluntatis, hi aliarum potentiarum, in quas voluntas habet potestatem vel *absolutam*, e. g. in membra, vel *relativam*, e. g. in motus appetitus sensitivi, sive quoad *exercitium*, e. g. in actus intellectus, sive quoad *exercitium* et *specificationem;* e. g. in motum organorum (cfr. vol. II, p. 359 sq.).

2. Ratione *qualitatis:* voluntarium positivum (directum), quod consistit in actus liberi positione; *negativum*, quod consistit in eius omissione *deliberata*.

3. Ratione *perfectionis:* voluntarium *perfectum*, quod ex plena deliberatione in obiectum, finem, circumstantias actus et ex libertate a passionibus contrariis procedit; *imperfectum*, quod ex deliberatione et libertate imperfecta oritur.

4. Ratione *obiecti:* voluntarium *in se*, quod directe quis vult; *in causa*, sive *in alio*, quod quis indirecte vult; effectus autem ex voluntario in causa secutus imputatur: a) si fuerit praevisus; b) si aderat potentia et obligatio eum evitandi; e. g. effectus ex ebrietate, tentationes ex lectione non necessaria libri lascivi, ex conversatione periculosa, ex usu effrenato sensuum ortae. Non imputantur; a) si actio in se est honesta vel saltem indifferens; b) si effectus bonus aeque immediatus ex ea sequitur; c) si adest ratio proportionata permittendi effectum malum; e. g. tentationes ortae ex studio vel exercitio debito medicinae, scientiae moralis; occisio innocentium in bello iusto.

5. Ratione *status:* Voluntarium *actuale*, quod est obiectum actus praesentis; *virtuale*, quod virtute actus praeteriti fit; *habituale*, quod virtute consue-

[1]) Metaph. I, 2; XII, 7. Cfr. supra p. 64, vol. II, p. 471.
[2]) Cfr. S. Theol. l. c. qu. 11—17; Frins, De actibus humanis, 1897, I, 347 sq.

tudinis fit; *interpretativum*, quod naturaliter cum re volita coniunctum est, quin tamen directe cognoscatur sive intendatur (cfr. supra p. 77 sq.).

6 Ratione *modi*: Voluntarium *simpliciter*, quod hic et nunc appetitur; *secundum quid*, quod non appetitur, sed appeteretur, si quaedam non obstarent. *Involuntarium simpliciter*, quod hic et nunc non volumus; *involuntarium secundum quid*, quod quis de facto vult, non tamen vellet, sub aliis conditionibus; est igitur per se voluntarium simpliciter, e. g. qui cogitur a praedonibus, pecuniam suam dare.

III. *Impedimenta actus liberi* [1]).

Quum actus liber procedat ex deliberatione mentis et ipsius voluntatis determinatione, eius libertas potest minui vel etiam tolli per defectum deliberationis vel propriae determinationis. Defectus deliberationis semper consistit in aliqua ignorantia, defectus propriae determinationis in aliqua passione. Unde pauca de his impedimentis libertatis dicenda sunt, quia eo ipso etiam impedimenta sunt moralitatis actus.

A. *Ignorantia.*

1. *Ignorantia* [2]) est carentia scientiae; est *negativa* in eo, qui non est capax cognoscendi, e. g. in infante; *privativa* in eo, qui deberet eam habere, e. g. in discipulo; *positiva* in eo, qui errat cognoscendo. Ignorantia est *iuris*, si quis legem non cognoscit; est *facti*, si quis factum, ad quod lex applicandum est, ignorat.

2. Porro ignorantia distinguitur *vincibilis*, si diligentia adhibita removeri potest; est *invincibilis*, idque *physice*, si vires deficiunt ad eam deponendam; *moraliter*, si tanta est difficultas ad eam deponendam, ut maior pars hominum eam vincere nequeat. Quodsi quis per suam culpam ex negligentia ignorans est, dicitur ignorantia *culpabilis* eaque vel *leviter* vel *graviter* pro natura culpae. Si valde gravis fuit negligentia, ignorentia dicitur *crassa* vel *supina*; et si ex intentione fuit contracta, vocatur *affectata*.

3. Denique distinguitur ignorantia *antecedens*, quae mentis deliberationem antecedit; *concomitans*, quae actionem liberam comitatur; *subsequens*, quae eam subsequitur. — Quaeritur, qualis sit eius influxus in moralitatem actus liberi (cfr. supra p. 174 sq. de conscientia).

B. *Passio.*

1. *Passionem* [3]) vidimus esse motum vel appetitus sensitivi vel etiam ipsius voluntatis deliberationem mentis praecedentem ac proinde non liberum. Atque hic motus appetitus potest voluntatem vel instigare ad actum eliciendum vel ab eo retrahere, ita ut in primo casu actum voluntatis intensiorem, in altero infirmiorem reddat.

---

[1]) Cfr. Huber, Hemmnisse der Willensfreiheit, 1904. Seitz, Willensfreiheit u. modern. psychol. Determinismus, 1902. Cfr. vol. II, p. 362 sq.
[2]) S. Theol. I, II, qu. 6 a. 8. Aristot. Eth. Nic. III, 1.
[3]) Arist. l. c. III, 2. S. Theol. l. c. a. 6 et 7.

2. Passio distinguitur *antecedens*, si voluntatis determinationem praecedit, ita ut in eam influere nitatur, et haec antecedens potest ipsa in actione perdurare, ita ut sit etiam concomitans; *subsequens* est, quae est effectus actionis liberae vel intentus vel cum actione libera naturaliter coniunctus; e. g. amor Dei ex meditatione ortus; tentatio ex aspectu rei turpis nata. — Quaeritur, num et quomodo influat in moralitatem actus liberi.

IV. *De moralitate actus liberi.*

Thesis XIII: Voluntas, in quantum est libera, est causa physica proxima actus moralis; ignorantia autem et passio antecedens minuunt vel etiam auferunt eius moralitatem.

St. qu. 1. Actus, qui eliciuntur a voluntate, vocantur in genere *voluntarii*; qui si antecedunt deliberationem, vocantur etiam *spontanei*, et sunt proprie passiones ipsius voluntatis, motus primo-primi; si oriuntur ex mentis deliberatione vocantur *liberi*, et in his solis moralitas invenitur, non in spontaneis sive in passionibus. Voluntas igitur, in quantum est libera, est causa physica actus moralis eaque *proxima*, siquidem etiam actus spontanei sunt causa, attamen remota, quia voluntatem inclinant atque disponunt et confortant.

2. Adversantur nobis, qui passiones quoque habent formaliter morales, ut Manichaei, Stoici, et aliquo modo Reformatores, Kant, Schelling aliique recentes, radicem malam in voluntate humana („böser Grundwille") statuentes. — Porro eos, qui ex opposito neque actus liberos voluntatis habent morales, saltem non malos, siquidem ut Deterministae vel Pantheistae actus omnes voluntatis habent necessarios, a natura ipsa determinatos, sicut Spinoza aliique, velut Materialistae et Naturalistae bonum habent, quidquid a natura fit; unde actus spontanei et liberi ipsis iidem per se sunt; e. g. Nietzsche („Jenseits von Gut und Bös").

I. *Voluntas, in quantum est libera, est causa proxima physica actus moralis.*

Prob. 1. *Ex natura actus moralis:* Actus moralis ille est actus voluntatis, qui fit secundum normam moralem, i. e. secundum naturam et finem hominis; supponit igitur *deliberationem* praecedentem, qua actus eiusque obiectum cum natura humana adaequate spectata comparetur et ad finem hominis saltem indirecte et impliciter referatur (cfr. supra p. 80 sq.). *Atqui* solus actus *liber* voluntatis supponit hanc *deliberationem*; non spontaneus, qui ex sola cognitione obiecti qua talis oritur, ut fere in brutis per instinctum [1]). *Ergo* voluntas ut principium actus liberi est causa physica proxima et propria actus moralis.

---

[1]) S. Theol. I, II, qu. 6, a. 2. Cfr. vol. II, p. 363 sq.

2. *Ex testimonio conscientiae:* Constat unicuique per conscientiam, modo bene sit formata, i. e. neque nimis larga neque nimis angusta, actus primo-primos i. e. passiones illico in nobis oriri proposito obiecto, priusquam de eius moralitate cogitavimus, e. g. motus sensualitatis, superbiae, invidiae etc. Porro nemo hos motus habet per se morales sibique imputat, priusquam deliberate eis consenserit; secus quovis quasi momento peccaremus et homines sanctissimi essent peccatores (Rom. 7, 23 sq.); „nitimur in vetitum, cupimusque semper negata“ (Ovidius). Sed omnem consensum habemus tanquam actum moralem nobisque imputamus. *Ergo* voluntas libera est causa propria actus moralis.

II. *Ignorantia antecedens minuit vel aufert actus moralitatem.*

Prob. 1. *Ex natura actus moralis:* Actus moralis supponit deliberationem praecedentem. *Atqui* ignorantia sive iuris sive facti antecedens actum voluntatis excludit deliberationem vel *totaliter*, et tunc nulla est libertas ac proinde nulla moralitas in actu, vel *ex parte*, et tunc saltem perfecta moralitas adesse nequit. *Ergo* ignorantia antecedens minuit vel aufert moralitatem actus.

2. *Ex testimonio conscientiae:* Constat, nos et alios et nos ipsos a peccato excusare, si legem non cognovimus, quam actus offendit, vel si ex errore putavimus, actum legi non subesse, e. g. mendacium ad patriam salvandam. Ita etiam iudices in tribunali illos absolvunt, qui ignoranter aliquid contra legem fecerunt.

III. *Etiam passio antecedens minuit vel aufert actus moralitatem.*

Prob. 1. *Ex natura actus moralis:* Actus moralis supponit deliberationem. *Atqui* passio actum liberum praecedens iam instigat voluntatem ante deliberationem ad rem faciendam vel non faciendam; minuit igitur directe vim libertatis; indirecte autem etiam influit in rationem ipsam; quod enim volumus, credimus libenter, ac proinde etiam vim deliberationis minuit. Immo tanta potest esse intensitas passionis, e. g. metus, tristitiae, irae etc., ut mens perturbata non iam possit deliberare, et voluntas passione abrepta nequeat resistere. *Ergo* passio antecedens vel minuit vel etiam aufert moralitatem actus.

2. *Ex experientia interna et externa:* Quando passione abrepti aliquid fecimus, nos ipsos excusamus a peccato saltem gravi, et sic omnes homines iudicant et tribunalia decernunt. *Ergo* passio antecedens vel minuit vel aufert actus moralitatem.

Coroll.: I. Patet, ignorantiam antecedentem debere esse invincibilem, saltem in ipso agendo; si enim vincibilis est, prius ignorantia propria deliberatione vel aliorum consilio deponenda est; secus ignorantia est culpabilis

nobisque effectus inde secutus merito imputatur, e. g. medicus ex negligentia aegrotis medicinam nociferam exhibens. Ignorantia subsequens non influit in actum praeteritum, sed potest moralitatem actus subsequentis immutare. Quod diximus de ignorantia, valet etiam de errore et inadvertentia. Confer, quae supra p. 177 diximus de formatione conscientiae.

II. Aliquid simile de passione dicendum est. Passio *subsequens* non facit moralem per se actum praeteritum, sed potest esse effectus malus ex illo, si erat praevisus et potuit et debuit evitari, e. g. tentatio ex lectione libri immoralis minime necessaria. Deinde haec passio culpabilis nobisque imputabilis potest nunc fieri causa materialis actus subsequentis liberi, i. e. peccati. Patet, eam tunc non minuere moralitatem actus, siquidem in se iam est peccatum.

B. De effectibus actus moralis.

Duplex effectus actus moralis distingui potest: proximus et remotus; *proximus* ille est, quem actus semper et per se sive physice sive moraliter producit; hic effectus potest considerari tum in subiecto agente, tum in societate humana, tum respectu Dei ordinisque universalis; multiplex igitur est et diversus pro actu bono et malo. Effectus autem *remotus* ille est, qui oritur ex effectu proximo et immediato et cum ipso physice vel moraliter coniunctus est sc. virtus et vitium. Primum igitur de effectu proximo agamus.

§ 1. De effectibus proximis actus moralis.

Quum actus moralis vel bonus sit, vel malus, de utroque singillatim tractandum est.

Sect. I: De effectu proximo actus moraliter boni.

I. *De effectibus directis.*

Effectus directus actus moralis habetur:

1. *In individuo agente;* nam a) quum quovis actu potentia animaque nostra ipsa physice perficiatur, actu morali, qui omnium certe est praestantissimus et apex activitatis humanae, homo maxime perficitur, siquidem et manifestat et auget dignitatem naturae rationalis, qua omnibus aliis rebus antecellimus. b) Porro homini confert *imperium* in passiones animae, quia, considerata natura nostra ad malum proclivi, actus moralis semper fere est victoria in adversam inclinationem naturae inferioris reportata eamque reddit subditam rationi et voluntati; haec autem victoria, quo maior erat vis passionum, eo splendidior est, neque comparanda cum victoriis, quas exercitus in hostes patriae reportat. Se ipsum enim impugnare, maxima pugna, seipsum vincere maxima victoria [1]). c) Deinde haec victoria homini confert pacem et consolationem conscientiae, quae omnibus certe est praeferenda. Recte enim

[1]) Cfr. Schiller, Der Kampf mit dem Drachen.

s. Augustinus: „Non solum tertium coelum . . . verum etiam in ipso homine laetitia quaedam bonae conscientiae paradisus est.“ [1]) (Cfr. supra p. 154).

2. *In societate:* nam a) iam eo ipso, quod membrum aliquod civitatis actu morali melius fit atque perfectius, bonum aliquod in totam redundat civitatem; b) actus quivis bonus ex natura sua bonitatem suam diffundit in alios homines, praesertim, quando quis opera misericordiae, humanitatis, iustitiae exercet; c) omnis actus bonus exhibet aliis praeclarum exemplum et ad imitationem excitat.

3. *Respectu Dei;* nam actu morali voluntas Dei impletur, perfectio divina manifestatur, homo ipse Deo magis magisque assimilatur, unde quasi speculum vivum divinae perfectionis efficitur, id quod iam veteres: Pythagoraei, Plato, Aristoteles, Stoici, Neoplatonici cum Christianis sentiebant (cfr. supra p. 62 sq.).

II. *De effectu indirecto sive de merito.*

1. *Natura et divisio meriti:* Meritum *subiective* vocatur actio libera cedens in emolumentum alterius; *obiective* est ipsa res sive bonum, quod alicui propter actionem in favorem alterius debetur. Distinguitur meritum a) *condignum*, quod oritur ex *exigentia* praemii propter dignitatem actionis, in quantum haec acceptatur a praemiante eique praemium promittitur; hoc igitur debetur actioni bonae ex *iustitia* sive commutativa (ex aequalitate), sive saltem distributiva (ex proportione); b) *congruum*, quod oritur ex sola *convenientia* ad praemium, quod potius ex *liberalitate* praemiantis confertur. — Porro distinguitur meritum *morale*, quod convenit actioni propter eius *honestatem*, *physicum* propter eius solam *utilitatem*, e. g. merces laborantibus.

2. *Actus moralis habet meritum:* a) Meritum *congruum;* nam actus moralis ex se est honestus, unde dignus est approbatione et praemio; deinde Deus, utpote optimus et infinite dives, liberalis est; quare certe actui morali praemium confert. — Accedit, quod, si nullum praemium conferretur, non sufficiens esset sanctio pro actu morali, neque sufficiens motivum et incitamentum, praesertim quum virtus ardua sit et nonnunquam bonis maximis, imo vitae ipsi ad eam retinendam renuntiandum sit (cfr. supra p. 156 sq.). b) Meritum *condignum;* nam meritum condignum tunc habetur, quando actio in utilitatem alterius est, ab hoc acceptatur et praemium promittitur. *Atqui* certe actus moralis est in bonum societatis humanae et Dei ipsius, ut supra ostendimus; deinde a Deo acceptatur, siquidem est in se honestus et a Deo vel praescribitur ut necessarius, vel saltem approbatur, ut in se honestus; denique praemium a Deo promittitur, siquidem disiderium felicitatis nobis a natura inest, neque quidquam nisi sub hac ratione appetere possumus. *Ergo* Deus *saltem ex fidelitate* tenetur, praemium dare virtuti. c) Omnibus hominibus persuasum est, virtutem praemium mereri, et, quum hoc in terra non semper habeatur, alteram vitam esse debere, ubi plena sanctio inveniatur (cfr. supra p. 157).

Coroll.: I. Immerito igitur quidam cum Pufendorf sentiunt, Deum utpote dominum omnium absolutum nobis nihil debere, sed potius nos ei omnia debere. Attamen bene operando et *libere* aliquid nostri quoque Deo donamus, quod possemus physice ei denegare, et certe Deus sibi debet ex fidelitate in promissis, ut praemium conferat merentibus.

[1]) Gen. ad lit. 12, 34.

II. Disputant doctores, utrum Deus teneatur ad praemium tribuendum ex iustitia commutativa (stricta), an potius distributiva. S. Bonaventura, Suarez primum affirmant; Alb. Magnus, S. Thomas, Scotus, de Lugo meliore iure negare videntur, siquidem iustitia stricta in Deo dependentiam ac proinde imperfectionem supponere videtur.

III. Ut autem praemium aeternum saltem ex actu morali debitum recipere possimus, requiritur, ut effectus ille peccatis non destruatur; supponitur igitur status amicitiae cum Deo, quando ex hac vita decedimus.

IV. Actus moraliter boni neque eiusdem speciei sunt, neque eiusdem perfectionis, ut Stoici censent, sed *specie* distinguuntur per obiecta sua formalia, ita ut actus iustitiae specie differat ab actu misericordiae, vel temperantiae etc. Deinde etiam quoad perfectionem *accidentalem* differunt, prout vel *persona* operans dignior est, vel *obiectum* excellit, e. g. summa pecuniae magna vel parva pauperi erogata, vel prout intentio et motiva puriora sunt sive fortiora. — Actus externus per se nil moralitatis essentialis superaddit internae, nisi per accidens i. e. ratione durationis vel iterationis actus interni (cfr. supra p. 104).

Sect. II: De effectibus proximis actus moraliter mali sive de peccato.

I. *De natura peccati.*

1. Actus moraliter malus vocatur *peccatum*, et duce s. Augustino [1]) definitur plerumque „*dictum, factum vel concupitum contra legem aeternam.*“ Eius igitur obiectum *materiale* est dictum vel factum vel concupitum, i. e. libera voluntatis actio sive elicita sive imperata; *formale* vero est eius difformitas a lege aeterna, i. e. a decreto voluntatis divinae, quae est principium formale obligationis (cfr. supra p. 140). In hoc apparet maxime inordinatio et malitia peccati, quia est inobedientia erga dominum supremum et absolutum: „Non serviam“.

Quaeritur igitur, num possit esse peccatum in atheista, vel qui peccando non cogitat de Deo eiusque praecepto; esset igitur peccatum solum contra naturam humanam, quod vocant *peccatum philosophicum* [2]). *Theoretice* quidem non videtur repugnare, sed *practice* vix credibile est, hominem ex mala conscientia peccantem saltem non implicite et obscure praeceptum aliquod voluntatis absolutae peccatum vetans apprehendere.

2. *Divisio peccati:* Peccatum distinguitur a) ratione *status: actuale* et *habituale*. Actuale est ipsa transgressio legis divinae; habituale est status ille aversionis a Deo, qui est effectus ipsius transgressionis, et est *reatus culpae* commissae et *reatus poenae* inde contractae. Quodsi quis ex errore, inadvertentia vel passione deliberationem impediente praeceptum divinum violaverit, excusatur a peccato, et est peccatum solum *materiale;* secus vocatur *formale*. b) Ratione *gravitatis: grave* et *leve;* grave adest ratione *obiecti*, quando quis officia essentialia erga se, proximum, Deum negligit (cfr. supra p. 147), licet saepe difficile sit, de hac re certum aliquid definire; haec igitur

[1]) C. Faustum, XXII, 27; cfr. S. Theol. I, II, qu. 71, a. 6; II sent. disp. 35, qu. 1, a. 2; quaest. disp. III: de malo qu. 1—3. Weiss, Apologie, II², p. 410 sq.

[2]) Propositio damnata ab Alexandro VIII, anno 1690, quaestionem hanc non videtur dirimere (cfr. Simar l. c. p. 171; Cathrein, Phil. moralis, 1902⁴, p. 180).

sunt peccata ex toto genere suo, e. g. periurium, occisio hominis, furtum multae pecuniae, adulterium etc. Ratione *subiecti* grave est, si fit ex magna malitia respectu intentionis, circumstantiarum, scandali etc. *Leve* est peccatum ratione obiecti, si agitur de levi materia, e. g. parva summa pecuniae, mendacium utile; ratione subiecti, si deficit plena advertentia vel plena libertas voluntatis. — Falsa igitur est sententia Stoicorum et Pelagianorum, Wicleffitarum et Reformatorum necnon Baii, omnia peccata aequalia esse, i. e. vel omnia esse levia vel omnia esse gravia. Bene enim s. Hieronymus adversus Jovinianum (II, 30): „Sunt peccata levia, sunt gravia. Aliud est, decem millia debere, aliud quadrantem. Et de otioso quidem verbo et adulterio rei tenebimur; sed non est idem suffundi et torqueri, erubescere et longo tempore cruciari" (cfr. Matth. 5, 22; 7, 3). c) Ratione *obiecti formalis* peccata, quemadmodum etiam actus moraliter boni, distribuuntur primum in genera suprema secundum relationes essentiales, quas actus nostri habent tum ad nos ipsos, tum ad alios homines, tum ad Deum. Haec deinde suprema genera iterum subdividuntur in genera intermedia et species supremas secundum relationes magis concretas in ipso homine respectu corporis et animae, aetatis, status etc., inter homines in familia et societate civili, ad Deum quoad cultum, religionem etc. Denique haec genera sive species dividuntur secundum obiecta concreta, e. g. intemperantia circa cibum, potum etc., negligentia quoad laborem, officia privata; inobedientia erga parentes, praepositos; furtum, calumnia, mendacium, superbia, periurium, blasphemia, irreligio etc.

Addendum est, peccata etiam distingui ratione *modi*, quo circa obiecta per se licita versantur sc. vel per *excessum* vel per *defectum*; sic potest aliquis nimium vel etiam parum cibi vel potus sumere, nimium vel parum temporis et laboris adhibere, parum vel nimis liberalis esse in aliis adiuvandis; plures igitur de eodem obiecto possunt esse actus moraliter mali, quam boni.

II. *De effectibus peccati.*

1. *In individuo:* Effectus directus peccati sive physicus sive moralis est reatus *culpae;* nam a) per peccatum homo quasi deficit tum a ratione, tum a natura sua rationali, quia agit contra utramque et declinat a recta via ad finem suum ultimum, unde sibi ipsi et maximam iniuriam et summum damnum infert; b) voluntatem suam infirmat, eam subdens appetitui inferiori vel passionibus irrationabilibus, quare se ipsum reddit servum libidinis; ruit in servitium; c) amittit pacem conscientiae seque ipsum reddit miserum (cfr. supra p. 155).

2. *In societate:* nam a) omne peccatum per se tendit ad destructionem veri boni humani ac proinde etiam socialis; b) multa peccata directe turbant vel destruunt pacem et salutem familiae vel societatis, e. g. pigrities, ebrietas, adulterium, furtum, rixa, occisio, rebellio etc.; cogita, quot infantes ex hereditate sint infecti quoad corpus et animam (alcoholismus, incontinentia; Malthusianismus); c) plerumque peccata scandalum sunt aliis eosque ad imitationem seducunt.

3. *Respectu Dei:* a) Omne peccatum, quantum est ex parte peccatoris, destruit gloriam Dei, i. e. finem totius universi, unde per se practice aequivalet destructioni universi et negationi Dei, eius supremi domini; b) est

gravissima inobedientia respectu Domini supremi necnon maxima ingratitudo erga auctorem et benefactorem nostrum et insolens provocatio divinae omnipotentiae et iustitiae (Is. 5, 4; Jerem. 2, 13).

4. Denique adest *reatus poenae,* quia peccatum punitur iam in hac vita, saltem per remorsus conscientiae; non enim est pax peccatori (Is. 57, 21); certe autem in altera vita, quia sufficiens sanctio scelerum, omnibus fatentibus, hac in vita non habetur (cfr. supra p. 156). — Peccatum igitur est summum, imo unicum malum, malum absolutum, quod ne incurratur, curandum est, ut passiones refrenentur, occasiones peccati vitentur, neve peccata levia spernantur; qui enim spernit modica, paulatim decidet (Sir. 19, 1; Luc. 16, 10).

§ 2. De effectibus remotis actus moralis sive de virtutibus et vitiis.

Sect. I: De virtutibus et vitiis in genere.

I. *De origine virtutum et vitiorum.*

1. Quum omnis actus vitalis in ipso principio vitali terminetur — propterea vocatur actus immanens — aliquid in principio physice efficitur, ita ut certo modo perficiatur et aptius reddatur ad illum actum repetendum. Inde est quod iam plantae crescunt activitate sua, quod bruta etiam certam experientiam faciunt eorumque instinctus, qui est quasi habitus sive virtus (sensu latiore), accidentaliter perficiatur. Praesertim vero homines, qui sine virtutibus infusis nascuntur, propria activitate se perficiunt quoad functiones tum organicas tum anorganicas. Haec autem propria perfectio maxime locum habet quoad voluntatem liberam, per se indeterminatam, dum omnes aliae potentiae quodammodo a natura ad unum sunt determinatae.

2. In hoc facto psychologico fundatur illa lex heterogoniae sive crescentis energiae psychicae, quam Wundt statuit (cfr. vol. I, p. 309, supra p. 19, 133), docens, actum vitalem semper plus efficere, quam ex natura sua intendat, ita ut hoc modo transmutatio specierum viventium usque ad hominem explicetur. Sed patet, hoc modo illud factum psychologicum, omnibus temporibus cognitum, vel exaggerari vel falso diiudicari. Nam primum hoc modo per Evolutionismum origo ipsius vitae ex rebus anorganicis, in quibus illa lex minime apparet, explicari non posset; deinde constat, effectum actus vitalis *specie* non differre ab ipso actu, cuius est effectus; esset enim contra principium causalitatis, si effectum specie perfectiorem produceret, et experientia docet actum intellectus ipsum intellectum, non aliam potentiam, perficere, quod idem dicendum est de aliis potentiis; et tunc nulla *specifica* differentia inter res viventes esse posset, sed *continua* series rerum plus vel minus perfectarum. Non igitur ex lege heterogoniae sive crescentis energiae psychicae origo sensibilitatis ex sola vegetatione, vitae intellectualis ex sensitiva, voluntatis ex intellectu vel intellectus ex voluntate explicari potest. — Neque haec perfectio potentiae agentis cum actualistis intelligi potest ex actibus ipsis formaliter in principio agente remanentibus. Tunc enim supponeretur, omnes illos actus intelligendi et volendi *inconscios nobis* esse, quod tamen ipsorum naturae videtur repugnare, neque ullo modo probari potest (cfr. vol. I, p. 148

et 483); neque intelligitur, quomodo intellectus et voluntas, imo et sensus et phantasia simul circa tot obiecta saepe sibi opposita *actualiter* versari possint.

3. Statuendum igitur est, potentiam vitalem per actum suum intrinsecus realiter certo modo perfici, ut deinde illum actum *promptius, facilius, maioreque cum inclinatione naturali* elicere possit, quemadmodum nonnunquam instrumenta usu moderato aptiora redduntur ad opus faciendum. Quotiescunque igitur obiectum iterum proponitur, potentia sponte et illico in actum prodit, unde tanta dexteritas et promptitudo in artifice in actibus iterandis, quos initio saepe magna cum difficultate exercebat, e. g. in arte pingendi, ludendi; unde tanta facilitas in rebus scientificis apud illos, qui studio assueti sunt. Hoc modo etiam voluntas, si moraliter agit, se ipsam perficit, ita ut eosdem vel similes actus postea facilius certiusque elicere possit. Iteratis enim illis actibus liberis voluntatis duplex effectus habetur: *negativus*, in quantum inclinationes et passiones naturales oppositae reprimuntur atque debilitantur; *positivus*, in quantum passiones ei convenientes saepius excitantur atque roborantur. Passiones autem, ut supra p. 185, 187 exposuimus, rationis deliberationem praecurrentes, licet voluntatis libertatem non destruant, valde tamen minuunt, eam ad obiectum suum inclinantes et quasi trahentes, ita ut plerique homines passionibus suis obsecundari soleant. Quando igitur homo actus moraliter bonos saepius elicit, passionibus bonis inde ortis atque nutritis acquirit maiorem in dies facilitatem et firmitatem bene agendi, ita ut vix iam a recta via deflectat et altera ei quasi natura acrescat, et haec perfectio acquisita per actus iteratos moraliter bonos vocatur *virtus moralis*. E contra quisquis actus moraliter malos saepius elicit, potentiam suam et intelligendi et volendi assuescit ad mala facienda, unde passiones ad bonum inclinantes, ex sua natura iam in nobis infirmiores, debilitantur; passiones autem naturales ad malum inclinantes, ex se iam frequentiores et fortiores, crescunt atque confortantur, ita ut ei paulatim nova fiat natura peccandi ac difficilior semper reddatur conversio.

II. *De natura virtutum et vitiorum.*

1. Ex dictis de origine virtutum et vitiorum iam apparet, quae sit eorum natura. *Virtus* igitur in genere est *habitus potentiam rationalem perficiens et ad bonum inclinans*[1]). Vocatur *habitus*, quia potentias naturales iam supponit[2]), unde non ipsum posse confert, sed facilitatem operandi; est habitus in *potentia rationali*, quia haec sola capax est ad moraliter agendum vi liberae voluntatis; *perficit* potentiam rationalem, quia eam physice fortiorem reddit atque inclinat in obiectum suum; dicitur *inclinare ad bonum* idque morale, ut distinguatur tum ab habitibus operativis moraliter indifferentibus, e. g. scientia, ars, tum ab habitibus moraliter malis sive vitiis. — *Vitium* igitur similiter definitur ut habitus potentiam rationalem afficiens et ad malum inclinans. Si igitur eius realitas, sicut etiam eius actus, consideratur, haec realitas in se physice bona est, eius autem relatio ad naturam humanam rationalem moraliter mala est. Idem dicendum est de obiecto peccati et vitii; non potest tendere nisi sub ratione boni in obiectum suum, sed est

[1]) Vide Arist. Eth. II, 6. S. Theol. I, II, qu. 53 sq. Quaest. disp. II, de virtutibus in communi, quaest. unica. [2]) Cfr. vol. I, p. 481 sq.

bonum solum apparens, siquidem non convenit naturae humanae (cfr. vol. I, p. 451 sq., supra p. 95 sq.).

2. Nonnunquam etiam Aristotelis definitio proponitur: „Est virtus habitus ad consilium agendi capiendum aptus et expeditus, in ea mediocritate positus, quae ad nos comparatur, quaeque ratione est definita et ut prudens definiret.“ [1]) Sed bene notandum est, hanc definitionem illas solam virtutes exhibere, quae versantur circa obiecta, non per se, sed ex usu nostro bona vel mala, e. g. nimium vel parum cibi sumere, pecuniae elargiri etc. Ipse autem Aristoteles eodem loco expresse docet, „quaedam esse, quorum nominibus statim vitium est implicatum . . . quae ipsa sint, non eorum immoderationes aut paucitates.“ Eius igitur definitio supra citata non est definitio virtutis moralis in genere, sed eius, quae versatur circa obiecta per se indifferentia. Melius igitur eius definitio retinetur, quam paulo ante proponit: „Virtus habitus est, quo homo et bonus fiat et suo munere bene fungatur“ [2]). Immerito igitur quidam Aristotelem et scholasticos eum sequentes in hac quaestione reprehendunt, quod tale principium medietatis[3]) statuerit, quasi moralitatem deprimeret, siquidem perfectionem impediret. Nullus enim est homo bene moratus, qui hoc principium non approbet neque sequatur; perfectio enim praecise in eo est, ut pro sua quisque conditione modum rectum observet, unde illud veterum sapientum: Ne quid nimis.

Deinde Aristoteles et cum ipso S. Thomas et scholastici duplex medium distinguunt: medium *rei* et medium *rationis*[4]); medium *rei* in ipso obiecto habetur, abstractione facta a conditione subiecti agentis, et haec medietas rei in sola iustitia commutativa adhibenda est, ubi recta ratio requirit, ut aequali aequale reddatur, e. g. in emptione et venditione. In aliis autem omnibus virtutibus medium *rationis* est adhibendum, quod obiectum refert ad conditionem agentis, e. g. quantum potus et cibi e. g. Petro pro eius necessitate sit adhibendum; nam, ut notat Aristoteles, quod Miloni parum, ei qui nunc primum incipit exerceri, multum est[5]); ex quo magis adhuc elucet, principium medietatis perfectionem moralem nullo modo impedire, neque ab Aristotele constitui principium universale moralitatis, quia secundum ipsum haec medietas „*ratione* est definita, et ut prudens eam definiret“.

3. *Subiectum* primarium et proprium virtutis moralis est voluntas eaque libera, quia nulla est moralitas, ubi nulla est libertas; subiectum autem secundarium virtutis sunt aliae potentiae humanae, quae imperio voluntatis subduntur, ut intellectus et aliquo modo etiam potentiae sensitivae, siquidem actus virtutis similes motus in aliis potentiis naturaliter excitant vel supponunt, ut homo totus virtuti subdatur et magis magisque perficiatur. — Quamvis autem pro diversitate subiecti et obiecti diversae virtutes distinguantur, *perfecte* tamen nulla virtus sine aliis haberi potest; nam omnes eandem animam perficiunt, secundum eandem naturam humanam formantur, ad eundem finem hominis debent conspirare. Hoc tamen non impedit, quominus quis aliquam virtutem modo perfectiore habeat, quam alias; neque repugnat, ali-

[1]) L. c. II, 6 (Ed. latina Acad. Borussicae 1831). [2]) L. c. II, 5 (1106 a, 20).
[3]) Sic E. v. Hartmann, apud Drews, E. v. H. philos. System, 1902, p. 374: „Apotheose der Mittelmässigkeit“.
[4]) S. Theol. I, II, qu. 64, a. 2. [5]) L. c. II, 5.

quam virtutem[1]) imperfecte et inchoative in homine inesse, qui vitiis quibusdam sit obnoxius, e. g. compassio vel iustitia cum intemperantia, licet timendum sit, vitium, nisi impugnetur, paulatim omnem virtutem expellere, ita ut eius solum aliqua species externa remaneat, sicut pomum externe pulchrum vermibus intus repletum, sicut „sepulcra dealbata" (Matth. 23, 27).

III. *De divisione virtutum et vitiorum.*

1. Virtutes ratione subiecti distinguuntur: *intellectuales* et *morales;* illae in intellectu resident, et dividuntur in *speculativas:* sapientiam, scientiam, intellectum, et *practicas:* artem et prudentiam. Iam vero hae virtutes intellectuales, quamvis partem rationalem hominis afficiant, non tamen simpliciter et sensu perfecto vocantur virtutes, quia non directe honestum ipsum respiciunt et earum subiecta potentiae non liberae sunt. Excipitur autem *prudentia,* quae finem hominis respicit et vitam humanam ordinare debet. Quare sine ipsa aliae virtutes morales esse non possent, praesertim illae, quae in medio rationis positae sunt. Neque ulla deliberatio, quae actum moralem praecedit, sine prudentia esse potest.

2. Virtutes *morales* sunt, quae in ipsa voluntate libera resident, et hae sunt virtutes sensu proprio. Ipsae autem iterum dividi possunt secundum relationes essentiales humanae naturae in virtutes respectu individui hominis (individuales); respectu societatis (sociales); respectu Dei (religiosas); hae autem ratione obiecti iterum multiplici modo distinguuntur in genera et species, sicut docet ethica specialis. — Ex antiquitate[2]) autem alia virtutum divisio invaluit: in *cardinales* et inde *derivatas.* Cardinales sunt, quae relationes fundamentales vitae humanae ordinant, et a s. Thoma vel ex quatuor potentiis agendi, vel ex quadruplici relatione ad obiecta moralia apte derivantur. Ut enim moraliter agere possimus, primum debemus obiectum actionis eiusque relationem ad normam honestatis et finem hominis perspicere, id quod pertinet ad virtutem *prudentiae;* deinde id quod honestum rectumque cognovimus, oportet exsequamur tum ad extra erga alios, id quod pertinet ad *iustitiam,* tum in nobis ipsis, vel refrenantes passiones appetitus concupiscibilis per *temperantiam,* vel ardua, a quibus passio appetitus irascibilis retrahit, conantes per *fortitudinem.* Ratio igitur et voluntas et appetitus concupiscibilis et irascibilis virtutes cardinales supponunt. Ex his deinde aliae virtutes derivantur tanquam partes vel *subiectivae* (i. e. species), vel *integrantes,* vel *potentiales,* ut in singulis virtutibus cardinalibus explicandis apparet. Virtutes autem cardinales s. Augustinus[3]) apte ex amore Dei deducit, quasi virtute omnium fundamentali et fonte aliarum, sicut in luce septem colores continentur.

3. *Vitia,* siquidem virtutibus contrarie opponuntur, similiter distinguuntur; attamen, quum virtus in medio sita sit, potest et per excessum et per defectum peccari; quare septem vitia *capitalia* distinguuntur, quae a s. Thoma[4]) apte derivantur partim ex inordinato amore bonorum sive *animae:* propria

[1]) Notandum est, hic non sermonem esse de virtutibus supernaturalibus, sed naturalibus. [2]) Cfr. Cicero, de offic. I, 5; Ambrosius, de offic. II, 9; August. de mor. Eccl. I, 15, de lib. arb. I, 13; S. Theol. I, II, qu. 61; Quaest. disp. II, de virt. card. quaestio unica.

[3]) De mor. Eccl. I, 15. [4]) L. c. qu. 84 a. 4, de malo qu. 8—15.

excellentia — *inanis gloria,* vanitas; sive corporis vel individui — cibus et potus — *gula;* vel speciei: *luxuria;* sive bonorum externorum: *avaritia;* partim ex inordinata fuga malorum, quae cum virtute coniuncta apparent; inde oritur *acedia,* i. e. tristitia de bono proprio spirituali propter laborem subeundum; porro *invidia,* quae est tristitia de bono alieno, quasi obstet nostrae excellentiae; *ira,* quae bonum alienum vi reprimere conatur. — Cetera vitia ex his septem tanquam eorum partes subiectivae vel integrantes vel potentiales derivantur quasi ex totidem fontibus malorum.

Sect. II: De virtutibus et vitiis in specie.

I. *De prudentia*[1]):

Prudentia definitur recta ratio agibilium; pertinet igitur ad rationem practicam, quam dirigit in actionibus nostris ordinandis secundum naturam et finem nostrum. Non igitur confundenda est cum illa prudentia communi, qua homines in negotiis utilitatem quaerant temporalem, neque cum aliis habitibus mentis idem est, quia hi, ut scientiae et artes, per se ratione moralitatis indifferentes esse possunt. Prudentia ordinat ipsum hominem in sua activitate, artes autem opus externum directe respiciunt. Prudentia igitur per se et ratione subiecti sui est virtus intellectualis, in virtutibus tamen moralibus collocatur, quia hominis actiones praesertim eas, in quibus per excessum et defectum peccari potest, ordinat secundum rationem et finem nostrum et quia sine bona voluntate adesse nequit. Neve dicas cum nonnullis recentioribus, hoc repugnare, quia prudentia voluntatem bonam reddere ac proinde eam praecedere debeat[2]); nam aliud est *cognitionem aliquam* actualem boni praecedere debere voluntatem, et *prudentiam,* quae est *habitus* ex actibus iteratis acquisitus, eam praecedere. Habitus enim prudentiae non potuit acquiri nisi voluntate bona praecedente, per quam actus morales eliciuntur sicut quaevis ars actibus multis acquiritur, quae tandem acquisita iterum actus principii sui faciliores reddit.

Virtutes ex prudentia *derivatae* sunt: a) partes subiectivae: *prudentia personalis,* qua nos ipsos dirigimus; et *gubernativa,* qua alios regere possimus; b) partes potentiales (annexae): *eubulia,* i. e. habitus recte consultandi; *synesis:* habitus recte iudicandi de consultatis; *gnome,* habitus iudicandi in rebus difficilioribus sive extraordinariis ex mente legis; c) partes integrales: *memoria, intelligentia, providentia, ratio* ad prudentiam adhibendam; *sollertia, docilitas* ad prudentiam acquirendam; *cautio et circumspectio* in opere prudentiae faciendo. *Vitia* prudentiae opposita per *defectum* sunt: negligentia, inconsideratio, inconstantia; per *excessum:* prudentia carnis, astutia, dolus, fraus, sollicitudo nimia rerum temporalium et futurarum.

II. *De iustitia*[3]):

1. *Iustitia virtus est, qua cuique suum tribuamus.* Virtus dicitur, ut habitus significetur voluntatis, i. e. constans atque perpetua inclinatio agendi; est ea

[1]) Aristoteles, Eth. VI, 5 sq.; S. Theol. II, II, qu. 47 sq. [2]) Ziegler Th. apud Cathrein, Moralphil., 1904, I, 318. [3]) Aristoteles, Eth. V. 1 sq. S. Theol. II, II

virtus, quae cuique suum tribuit, i. e. illud, quod aliis debetur ut proprium. Iustitia igitur est virtus ipsius voluntatis, quam recte disponit erga alios homines, non erga nos ipsos, quia erga nos ipsos non est obligatio iustitiae.

2. Iustitia distinguitur *generalis* et *particularis*. Iustitia generalis sensu latissimo significat omnia officia erga alios, quare et religionem, i. e. officia erga Deum comprehendit; sensu autem strictiore designat id, quod debemus societati, e. g. tributa et vocatur etiam iustitia *legalis*. — Iustitia particularis[1]) est ea, quae singulis hominibus suum tribuit, et subdividitur in *commutativam* et *distributivam*; illa aequalia (proportione arithmetrica), haec proportionata reddit (proportione geometrica); illa, si fuerit laesa, requirit restitutionem, quia obligatio suum alicui reddendi semper manet et urget; haec non postulat restitutionem, quia non agitur proprie de eo, quod cuique iam suum *est*, sed *foret* post distributionem, e. g. si praemia sunt distribuenda vel onera (tributa) imponenda.

3. Virtutes a iustitia derivatae sunt illae (annexae), quae a) ad aequalitatem reddere non possunt: *religio*, qua cultum Deo debitum exhibemus, necnon amor et spes naturalis in Deum; *pietas* in parentes et patriam; *observantia et obedientia* superioribus praestanda; b) vel quae reddunt, quod non est ius strictum aliorum: *veracitas* in loquendo; *fidelitas* in exsequendis promissis; *gratitudo* erga benefactores; *vindicta* scelerum; *amor proximi* ut nobis natura et fine similis; *amicitia* erga nos amantes; *affabilitas* erga omnes homines in conversatione; *liberalitas* erga egenos; *aequitas* in praemiis dandis et poenis infligendis. — De vitiis iustitiae oppositis vide S. Theol. II, II, qu. 64 sq. Quum in iustitia *saltem commutativa* medium rei, non solum rationis, sit observandum, vitia totidem sunt statuenda, quot virtutes (cfr. supra p. 201).

III. *De fortitudine*[2]).

1. *Fortitudo est illa virtus, quae labores et pericula strenue subit.* Versatur circa appetitum irascibilem, ut medium inter timorem et audaciam servet, e. g. miles in bello. Non habet proprie species, quia eius obiectum proprium est unicum: subire pericula mortis. 2. Virtutes autem annexae (potentiales) sunt: *magnanimitas* in operibus magnis suscipiendis; *magnificentia* in sumptibus magnis faciendis; *patientia* in malis praesentibus aequo animo perferendis; *perseverantia* in laboribus diuturnis sustinendis; *constantia* in operibus difficilibus exsequendis. 3. Quodsi hae virtutes cum periculo mortis sunt exercendae, fiunt partes integrantes ipsius fortitudinis. — Vitia opposita, quae etiam per excessum et defectum oriri possunt, facile inde cognoscuntur.

IV. *De temperantia*[3]).

Temperantia est ea virtus, quae appetitum concupiscibilem ordinat respectu delectationis sensitivae. Inest igitur in appetitu concupiscibili eumque rationi

qu. 57 sq. Pruner, Die Lehre von Recht und Gerechtigkeit, 2 vol., 1857/58. Van Gestel, De iustitia et lege civili, 1896^{2}.

[1]) Hanc s. Thomas proprie virtutem iustitiae habet, non legalem, cfr. Cathrein, Moralphilos. 323; Zeitschr. f. kath. Theologie, 1901, p. 635 sq.

[2]) Arist. Eth. Nic. III, 6 sq.; S. Theol. II, II, qu. 123 sq.

[3]) Arist. Eth. III, 10 sq.; S. Theol. II, II, qu. 141 sq. — Qui plura desiderat de his quaestionibus ethicis scitu dignissimis, ex innumeris de vitae

subicit. *Species* eius sunt: *abstinentia* a cibis; *sobrietas* in potu; *castitas* quoad voluptates carnales; *pudicitia* ad externum decorem circa castitatem servandum. — Virtutes *integrales* sunt: *verecundia* in turpibus vitandis; *honestas* in actibus temperantiae aestimandis. — Virtutes *annexae* sunt: *continentia* in tentationibus carnis fortiter superandis; *humilitas* in moderanda propriae excellentiae aestimatione; *modestia* in motibus et gestibus corporis moderandis; *mansuetudo* in appetitu vindictae reprimendo; *clementia* in poena rationabiliter remittenda; *studiositas* in desiderio cognoscendi temperando; *eutrapelia* in iocis et ludis moderandis.

Sect. III: De necessitate, dignitate, efficacia virtutum.

1. *Necessitas virtutis:* Non sufficit, ut semel vel iterum honeste agamus, sed adlaborandum est, ut semper constanter prompteque bonum faciamus. Ad hoc autem virtus nobis opus est idque ex duplici ratione: primum, quia a natura tot in nobis oriuntur difficultates bene agendi propter passiones appetitus concupiscibilis et irascibilis, quae rationem praecedunt totiesque tamquam nubes lucem mentis obscurant et voluntatem ad se trahunt. Oportet igitur oppositae in nobis oriantur passiones in bonum morale, ut inordi-

moralis perfectione scriptis consulat praeter S. Thomae I, II et II, II: *Thomas a Kempis* († 1471), Imitatio Christi, circa 1420 scripta, cuius libelli notissimi innumerae fere in diversis linguis exstant editiones; porro *Rodriguez* Alf. († 1616), Exercicio di Perfeccion, 3 vol. 1609; editiones exstant plurimae in diversis linguis (in Hispania saltem 16, in Germania saltem 10); S. *Franciscus Salesius* († 1622), Introduction à la vie dévote (Philothea) anno 1608 (1656 iam 40 editiones); Traité de l'amour de Dieu (Theotimus) 1616. Bibliotheca ascetica mystica 1907 (Friburgi-Herder) I, Lehmkuhl-Blosius, Manuale vitae spiritualis. *L. de Ponte* († 1624), Meditaciones 1605 (latine 1889 a Lehmkuhl); Guia espiritual 1609; De la perfeccion del Christiano 1612, libri in plures linguas translati. Saudreau, Les degrès de la vie spirituelle (germanice a Schwabe, S. J., 1901, 2 vol.); La vie de l'union à Dieu; La voie qui mène à Dieu, 1904 (germanice a Disteldorf, Trier 1907).

Asceticam autem christianam magis scientifice exponunt: *Philippus a ss. Trinitate* († 1671), Summa theologiae mysticae 1656 (Friburgi 1874); *Antonius a S. Spiritu* († 1677), Directorium mysticum (cursus theol. mystico-scholasticae) 1724 et 1732; *Josephus a S. Spiritu* († 1739), Cursus theologiae myst.-schol. 1710—1740; 6 vol in fol., opus amplitudine et soliditate doctrinae praestantissimum. *Scaramelli*, Direttorio ascetico, 1752; Il Direttorio mistico 1754; Discernimento dei spiriti, 1753. — Scripta recentiora: Ighina-Dorangeon, Cours de Théologie ascétique et mystique; *Weiss*, Apologie d. Christent., 5 vol., 1895/1905$^{3-4}$. *K. Werner*, Christl. Ethik, 1850, vol. II: Tugendlehre. *Fr. Mutz*, Christl. Aszetik, mit besonderer Berücksichtigung d. priesterl. Lebens, 1907; *J. Guibert*, Le caractère, 1905; *Joly*, Psychologie des Saints, 1897; *Collection:* Les saints; Science et religion; *Meschler*, Leben Jesu, 1906^{6}; Bildung des Willens, Bildung des Herzens (L. Stimmen, 1906, p. 391 sq.; 1907, p. 161 sq.). *Förster* (Zurigae professor scientiae ethicae), Jugendlehre; Lebenskunde, 1904. *Hilty* (professor Bernensis), Glück, 3 B., I, 1904^{13}; II, 1903^{8}; III, 1905^{5}, cui tamen non in omnibus assentiendum est, quippe qui veritates philosophicas et religiosas parvi faciens nimis affectui confidat in rebus moralibus. — Alios auctores plurimos vide apud Hurter, Nomenclator literarius recentium theologorum catholicorum, 1906^{3}, 5 tomi. Migne, Diction. d'Ascétisme, 2 vol.

natae illae passiones magis magisque reprimantur et facilius vincantur. Hoc autem alio modo fieri non potest, saltem si de naturali moralitate sermo est, nisi ut virtutes a nobis acquirantur per actus moraliter bonos saepe et quam maxime intense repetitos (cfr. supra p. 197 sq.). Secundo, bona moralia per se sunt prorsus spiritualia ac proinde naturae nostrae ardua. Quemadmodum enim obiecta prima et proportionata cognitionis nostrae intellectualis sunt essentiae rerum *sensibilium*, ita etiam prima obiecta appetitus nostri sunt bona materialia, deinde bona immaterialia quidem, quae tamen semper relationem aliquam ad naturam nostram simul rationalem et sensitivam retinent. Inde est, quod homini tam difficile est, bona moralia, spiritualia efficaciter appetere, quia bona sensitiva magis fortiusque nos alliciunt. Nisi igitur actus morales frequentius repetuntur, ita ut tandem consuetudo oriatur, quasi altera natura virtute informata, vix possibile erit, bonum morale constanter facere vitamque nostram secundum rationem nostram recte instituere.

2. *Efficacia virtutis:* Ex dictis apparet, quae sit efficacia virtutis. Eius enim est, actum moralem *facilem* reddere, quia passiones oppositae, maxima honestatis impedimenta, per eam vel reprimuntur vel etiam eradicantur, quemadmodum artifex opus artis, licet initio difficile fuerit, nunc sine ulla difficultate exercet. Deinde virtus actum moralem facit *promptum*, ita ut quotiescunque agendum sit, voluntas cum quadam alacritate, spernens difficultates et labores, in actum exeat. Denique reddit actum moralem *delectabilem*, siquidem quod facile et prompte facimus, naturalem nobis affert delectationem, sicut in omni operatione humana apparet. Accedit, quod actum moralem, utpote omnium maxime dignum, pax et consolatio conscientiae sequitur, quod bonum omnium est maximum. Magni igitur est momenti, ut virtutes morales acquiramus, ut bonum facile, prompte, cum delectatione faciamus; in eo enim tota hominis perfectio consistit; hoc modo virtus amabilis nobis apparet et ad imitationem alios excitat.

3. *Dignitas virtutis:* Inde est, quod optimus quisque semper virtutem maximi fecerit omniaque bona ei posthabuerit [1]). Virtus enim hominem perfectum reddit, suique et rerum omnium quasi dominum efficit, quia tum passiones, tum bona quaecunque et vitam ipsam spernit, si agitur de virtute tuenda. „Etsi fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinae" (Horatius). Cogita martyres Christianos, milites fortes in bello. Virtus igitur hominem vere liberum facit, i. e. libertatem *moralem* ei confert praeter psychologicam, quam omnes ex natura habent, reddit eum „personam moralem". Quare homines virtute praediti tanta hominum admiratione afficiuntur, quia victoriam de se ipsis et mundi bonis et deliciis, victoriam omnium difficillimam, reportaverunt. Ipsi sunt quasi opus artis plus quam humanae, quia se ipsos Deo similes reddiderunt; sunt harmonia spiritualis, nulli alii comparanda, siquidem actibus moralibus sibi et proximis et Deo concordant; sunt poema cantusque praeclarissimus, quoniam vita eorum non est nisi glorificatio Dei infinite perfecti et amabilis, digna, quae praemio aeterno remuneretur.

---

[1]) Cfr. Walter, Ciceronis phil. moralis, 1878, p. 17 sq.

Secunda pars: Ordo moralis in specie.

Principia moralia in genere usque modo explicata nunc applicanda sunt ad vitam humanam ipsam. Potest autem vita humana individualis et socialis considerari: si primum, oritur pars ethicae specialis, quae vocatur ethica individualis, quae officia hominis erga Deum et se ipsum exponit; sin alterum, habetur ethica socialis, quae leges, officia et iura statuit, quibus vita humana in familia et societate continetur. Quum autem in hac parte ethicae conceptus iuris et officii sit omnino fundamentalis, primum de iure et officio in genere, deinde de iuribus et officiis in specie disseremus.

Liber primus: De iure et officio in genere.

§ 1. De notione iuris et officii.

De origine harum notionum: Duplici modo conceptus iuris et officii ei correspondentis — sunt enim conceptus relativi, mutuo se supponentes — oriri posset: ex *experientia* per modum inductionis, quemadmodum leges naturae ex phaenomenorum observatione statuuntur; et ex *abstractione* per modum cognitionis immediatae, sicut ideae primitivae formantur ex rebus sensibus perceptis, e. g. conceptus hominis, arboris ex homine vel arbore apprehensis. Fuerunt et sunt multi, qui conceptum iuris et officii ex sola experientia deducant ac proinde etiam eum intrinsecus mutabilem habeant, sicut facta historiae ipsa et sicut alios omnes conceptus morales („historische Kategorien" Paulsen). Hoc modo sentiunt omnes Evolutionistae (cfr. supra 18, 21 sq.) et Positivistae post Comte, necnon multi iurisprudentes ex „schola historica" post Savigny, Puchta, Stahl, praesertim Merkel, Binding, Bergbohm, Neukamp [1]) etc. et sociologi recentes, ut Schmoller, Wagner, Schaeffle, Marx, Engels, Durkheim, Lévy-Bruhl [2]) etc. Sed immerito; nam primo duo confundunt: cognoscere aliquid *ex* experientia et *occasione* experientiae. Verum quidem est, nos debere experientiam iuris sive officii alicuius facere, ut ipsum conceptum iuris et officii formare possimus, sicut ad conceptum cuiusdam animalis vel arboris primitivum formandum haec obiecta prius sensibus

---

[1]) Cfr. Cathrein, Moralphilosophie, 1904, I, 447; Recht, Naturrecht u. posit. Recht, 1901, p. 8 sq.

[2]) v. Hertling, Ueber Ziel und Methode der Rechtsphilosophie, Philos. Jhrb. 1895, p. 117 sq. Recht, Staat und Gesellschaft, 1907. Revue Néo-Scolastique, 1907, p. 329 sq. Cfr. supra p. 109.

apprehendenda sunt; cognitio enim intellectualis oritur ex sensatione (cfr. vol. I, 314 sq.). Sed ex hoc nondum sequitur, experientiam esse etiam causam adaequatam cognitionis intellectualis; est eius occasio, vel etiam causa materialis, non formalis. Deinde confundunt conceptum universalem cum eius applicatione ad singula obiecta materialia; haec varia sunt et mutantur, conceptu eodem permanente. Sic conditiones, status socialis et politicus singularum nationum valde differt, conceptus autem generalis iuris et officii idem est apud omnes gentes, ita ut ubique et semper furari, occidere, calumniari iniustum fuerit.

Prob. 1. *Ex historia:* Si ipsi conceptus iuris et officii et principia inde immediate derivata: suum cuique tribuendum, officia sunt implenda, ex sola experientia essent, cum ipsa continue mutarentur, sicut status socialis et politicus successu temporis, ipsis adversariis fatentibus. *Atqui* constat, conceptus illos et principia eadem fuisse iam antiquitus, ut ex codicibus iuris antiquissimis: ex decalogo Mosis, ex codice Babylonico Hammurabi, ex libro mortuorum Aegyptiorum apparet (cfr. supra p. 111). Imo corpus iuris civilis Romanorum est fundamentum legislationis gentium recentium, licet status socialis et politicus earum a romano valde differat. *Ergo* conceptus et principia suprema iuris non sunt ex experientia qua tali formata.

2. *Ex natura experientiae:* Experientia ostendit, quid factum sit, non, quid *faciendum* sit; imo nonnunquam legis transgressiones frequentiores apparent quam earum observatio. *Atqui* si ex experientia qua tali per inductionem conceptus iuris et principia immediate inde derivata formarentur, iustum tunc iam iniustum fieret et officium omne in contrarium abiret, vel saltem conceptus et principia suprema certa iuris statui non possent, quod idem esset atque anarchia plena societatis humanae.

3. *Ex natura inductionis:* Inductio, per quam conceptus illi et principia ex experientia deducta essent, non solum iam supponit conceptus et principia universalia in genere (cfr. vol. I, p. 202 sq.), sed etiam conceptus universales rerum, quae per inductionem comprehenduntur; secus nulla posset fieri comparatio. Quemadmodum igitur nemo ex consideratione lapidum, arborum bestiarum conceptum hominis deducere potest, sic impossibile est, conceptum iuris et officii in genere ex relationibus *nondum* iuridicis deducere; esset species quaedam „generationis aequivocae", quasi quis vitam ex non viventibus producere, vinum ex fonte aquae haurire vellet. Profecto, qui iam habet conceptum iuris genericum, universalissimum, diversas relationes sive facta iuridica inter se comparare et conceptus specificos minus universales sive regulas deducere potest, sicut in digestis corporis iuris civilis Justiniani ex multis iudicum sententiis ibi collatis normae quaedam iudicandi derivantur.

4. *Ex absurdis:* Si conceptus et principia suprema iuris ex sola experientia orta essent, non posset esse certa scientia iuris: a) quia deficerent principia universalia, quae omnis scientia supponit; est enim cognitio rerum ex causis suis; causae autem qua tales per experientiam non attinguntur; b) quia conceptus et principia ex experientia formata ad statum socialem et politicum gentium veterum vel recentium legitime applicari non possent, siquidem pro diversitate status culturae non eadem essent. *Atqui* hoc repugnat et scientiae iuridicae, quia scientia iuridica ab omnibus habetur vera scientia, imo omnium scientiarum pro salute publica maxime necessaria (officium legislatoris, iudicis etc.); deinde repugnat sensui communi, siquidem et iurisperiti et alii homines quaedam fuisse iusta, quaedam iniusta omni tempore et apud omnes gentes certo affirmant. *Ergo* conceptus iuris et officii in genere et principia iuris suprema inde immediate derivata non orta sunt ex experientia tanquam ex causa sua adaequata et formali.

Unde igitur hi conceptus et principia derivanda sunt? Quum conceptus et principia nobis innata admittenda non sint (cfr. supra p. 11), non restat, nisi ut a nobis formentur idque non arbitrarie, sed ex ordine rerum obiectivo, i. e. ex natura hominis sociali eiusque relationibus essentialibus in societate humana (cfr. supra p. 13 sq.). Porro quum conceptus generici supremi non ab aliis derivari possint, debent esse primitivi, i. e. formati immediate per abstractionem ex experientia rerum et factorum vitae socialis quotidianae. Quemadmodum igitur conceptus entis omnibus aliis subest tanquam fundamentum commune et transcendentale, simulque formatur cum quovis conceptu generico et specifico (cfr. vol. I, p. 345 sq.), ita etiam conceptus iuris et principia suprema inde derivata subsunt omnibus conceptibus et legibus regulisque *iuridicis* magis specificis eisque suam tribuunt certitudinem et valorem socialem. Atque hic conceptus iuris primitivus, quem omnes habent, in se quidem *clarus* est, siquidem omnibus hominibus patet, unicuique suum esse tribuendum, neque quisquam confundit conceptum iuris cum aliis conceptibus, e. g. cum conceptu temperantiae, castitatis, misericordiae; attamen plerisque hic conceptus primitivus adhuc *obscurus* est (cfr. vol. I, p. 20 sq.), i. e. singula eius elementa sive notae, quibus constat, nondum satis innotescunt; conceptus enim iuris, ipso fatente Aristotele[1]), satis obscurus est et explicatu difficilis. Iam igitur videamus, in quo ius praecise consistat.

§ 2. De natura et divisione iuris et officii.

I. *De ipsa natura iuris*[2]).

Ius (a iubere) triplex distinguitur: obiectivum, subiectivum, legale.

1. Ius *obiective* consideratum significat id, quod est *iustum*. Sensu latiore et translato iustum significat, quidquid est rectum, praesertim in sensu morali, et hoc modo denotat omnem virtutem,

---

[1]) Eth. Nicom. V, 2. Cfr. Plato, de republ., I, p. 5 sq. (Phil. Biblioth. B. 80, 1907, p. 56 sq.).

[2]) Cfr. S. Theol. II, II, qu. 57, a. 1. Porro Aristoteles, Eth. Nic. liber V totus, in quo totam rationis iustitiae et iuris ita exposuit, ut scientiae iuridicae et politicae fundamenta constituerit. Unde merito F. Dahn, professor iurisprudentiae Breslaviensis (Der Begriff des Rechtes, 1895, p. 5): „Aristoteles, der grosse Denker, der die Grundlagen wissenschaftlicher Rechtsphilosophie für alle Zeiten gelegt hat, der uns eine Weisheit gelehrt, die Spätere —

ita ut in S. Scriptura homines honeste et sancte viventes iusti appellentur. Sensu autem strictiore et proprio iustum vocatur, quod alicui debetur, e. g. iustum pretium, quod rei alicui ratione laboris vel valoris convenit; praemium vel poena iusta, quae virtuti vel vitio secundum legem moralem debetur. Ius igitur obiective consideratum consistit in aliqua relatione rei eaque morali ad aliam rem vel personam secundum normam aliquam, quae est fundamentum relationis.

2. Ius *subiective* consideratum oritur ex iure obiectivo, et consistit in potestate morali, qua quis rem aliquam ut suam sibi vindicat, ita ut omnes alios ex possessione vel usu rei excludat. Non igitur sufficit potestas physica, qua quis rem aliquam possidet, tunc enim etiam fures ius in rem furatam haberent; sed requiritur potestas moralis, qua quis rem aliquam, etsi eam physice non possideat, tamen ut suam reclamet. Haec autem potestas moralis adest: a) quando res ad aliquem pertinet, sive physice et ex natura, ut membra corporis, sive moraliter et per accidens, ut vestes, nutrimenta, domus, agri, opes, amici etc., in quantum hae res ad utilitatem alicuius personae ordinatae sunt, sive ex proprio labore, sive ex hereditate, sive ex libera voluntate (amicitia). — Sed hoc nondum sufficit; secus etiam bruta haberent iura subiectiva, quia vita eorum et membra et opera instinctus (e. g. apum, avium etc.) ad ea ex ordinatione naturae ipsius pertinent. Debet igitur addi: b) quod quis omnes alios ex eius rei possessione vel usu excludere potest, non quidem vi physica et brutali, ut bestiae se tuentur, sed vi morali. Hoc modo bruta non habent potestatem in sua membra, vitam, libertatem et opera; secus ab hominibus neque capi, mactari, comedi, neque in nostram utilitatem converti possent. Unde igitur est haec potestas moralis? Certe ex *voluntate aliqua imperante*, quae utique non est voluntas singulorum hominum, qui aliorum voluntatem per

auch die jüngsten Weltweisen wieder — zu ihrem schweren Schaden vergessen haben oder zu bestreiten sich vergeblich erhitzen.“ Similiter Lasson (System der Rechtsphilos., 1882, p. 14 et 223). De s. Thoma vero, interpretatore fideli Aristotelis eiusque doctrinae de iure, Jhering iurisconsultus scribit: „Dieser grosse Geist hat das realistisch-praktische und gesellschaftliche Moment des Sittlichen, ebenso wie das historische, bereits vollkommen richtig erkannt . . . Staunend frage ich mich, wie war es möglich, dass solche Wahrheiten, nachdem sie einmal ausgesprochen worden waren, bei unserer protestantischen Wissenschaft so ganz in Vergessenheit geraten konnten? . . . Die Grundgedanken, um die es mir zu tun war, finden sich schon bei jenem gewaltigen Denker in vollendeter Klarheit und prägnantester Fassung ausgedrückt (Zweck im Recht II, apud Fuchs, Kirche u. Kultur [Volksaufklärung Nr. 4, p. 26]). Cfr. Th. Meyer, Institutiones juris naturalis seu Philosophiae moralis universae secundum principia S. Thomae, 2 vol., 1885/1900; Costa Rossetti, Inst. Ethicae et Iuris naturae, 1886²; Cathrein. Moralphilosophie, 2 vol, 1904⁴; philos. moralis, 1905⁵; Gutberlet, Ethik u. Naturrecht, 1901³.

se obligare non possunt; naturâ enim pares sunt. Debet igitur statui voluntas aliqua superior, quae est vel voluntas Dei, supremi domini et legislatoris, vel superioris alicuius humani legitime leges ferentis. Ius igitur subiective spectatum supponit primo *factum* aliquod, quo res aliqua ad nostram utilitatem refertur (ut supra sub a), et est quasi *materia* iuris; deinde requirit *legem* aliquam, quâ potestas moralis in illam rem nobis conferatur; haec igitur lex quasi *formam* iuris subiectivi constituit idque complet atque perficit. Sic possidemus ex ordine naturae vitam, membra etc., labore vel hereditate acquirimus opes; accedit lex tum divina tum humana prohibens, ne quis his rebus nos privet vel in earum usu impediat.

3. Ius *legale*[1]) illud est, quod leges statuunt sive scriptae sive non scriptae, modo sufficienter sint promulgatae, sive divinae sive humanae. Ipsae enim, ut diximus, quasi formam iuris subiectivi constituunt illudque absolvunt iubentes, neminem rebus suis legitime possessis privari. Quare etiam ipsae collectiones legum per aliquam *analogiam* vocantur ius, ut corpus iuris civilis Romani[2]), corpus iuris Canonici[3]).

Ex hoc iam apparet, proprie iura neminem habere, nisi cui lex imponi et sic potestas moralis tribui possit. Quare bruta ius non habent, sed solum entia rationalia, ratione et voluntate praedita. Summum igitur ius est Dei, qui ut rerum auctor, dominator et finis omnipotens, ius ad omnia habet, moderatum tamen per eius sanctitatem et bonitatem infinitam. Homines autem habent iura a Deo accepta naturalia, ut mox ostendemus, quae tamen per leges naturales honestatis moderantur. Non igitur est ius contra divinum neque contra honestatem naturalem. Quamvis ius eiusque usus supponat rationem et voluntatem liberam in subiecto suo, non tamen requiritur, ut hae facultates actualiter exerceantur; secus infantes vel dormientes et insani iuribus carerent neque possent esse heredes, imo impune eos diripere vel etiam violare et interficere liceret, quod tamen et rationi et persuasioni hominum et legibus omnium nationum repugnat[4]). Licet autem bruta, quae aliorum hominum non sunt,

[1]) Hoc a recentioribus iuris prudentibus saepe obiectivum vocatur.

[2]) Ex libris Gaji († 180 p. Chr.) et Ulpiani († versus 230) potissimum ortum (Institutiones et Pandectae sive Digesta), et ab Imperatore Justiniano completum (Codex et Novellae) et promulgatum annis 533/34, fundamentum iuris civilis omnium fere nationum occidentis.

[3]) Constat ex decreto Gratiani sec. 12, ex decretalibus Gregorii IX sec. 13, ex libro sexto Bonifacii VIII sec. 13, ex Clementinis Clementis V sec. 14; atque hae quatuor partes formant „ius clausum“; extravagantes postea adiectae vocantur corpus iuris „non clausum“.

[4]) Haeckel quidem utpote Materialista et Darwinista docet, amentes, incurabiles, infantes membris vel sensibus sanis carentes interficere licere

in utilitatem nostram prorsus insumere (venando, captivando, occidendo, vivisectione etc.); neque ulla iustitia in brutis violatur, quamvis crudelitate et immanitate in eis tractandis peccari possit. Ex hac sola ratione laudandi sunt, qui ad bestias tuendas societatem inierunt (Tierschutzverein), non autem ex tendentia aliqua Darwinistica, quasi bruta et homines essentialiter non differant nosque ab illis descendamus.

Ex dictis patet, ius, ut eius habeatur *adaequata* definitio, tum obiective, tum subiective, tum legaliter vel normative esse accipiendum, et sic potest definiri: *Potestas moralis in rem suam lege fundata.* Consistit igitur in quadam relatione (cfr. vol. I, p. 490), cuius *subiectum* est persona i. e. suppositum rationale (cfr. vol. I, p. 467); *terminus* isque proximus est res aliqua sive operis praestatio (labor), terminus remotus est persona alia, quae illam rem vel opus praestare debet vel saltem retinere non debet (officium); *fundamentum* sive „*titulus*" iuris materialiter spectatum est rei utilitas et ordinatio ad subiectum relationis, formaliter spectatum est voluntas superioris, hanc ordinationem per decretum sive legem suam ratis habentis vel confirmantis.

II. *De fine et proprietatibus iuris.*

A. *De fine iuris:* Finis iuris, ut omnes fatentur, est bonum tum civium individuorum, tum totius civitatis [1]). Quidquid igitur huic fini obest, non potest esse obiectum iuris ullius. Atque finis *iuris subiectivi sive dominativi* est, ut singuli homines suis viribus libere uti bonisque suis frui i. e. libertatem suam naturalem exercere possint, nemine legitime impediente. Finis *iuris legalis* est, ut civitati ea omnia exhibeantur, quae eius salutem internam, pacem et tranquillitatem, necnon independentiam externam, dignitatem atque auctoritatem conservare sive iustis limitibus promovere possint. Finis autem *aequitatis* illius, quae ex iustitia distributiva oritur, est vires excitandi civium ad mutuum concursum, eorum promovendi virtutes civiles atque remunerandi, ita ut triplici hoc fine iuris consecuto etiam salus rei publicae obtineatur.

B. *De proprietatibus iuris:* a) Ius debet esse *honestum* tum in se tum in usu suo i. e. non repugnare ulli legi morali; lex enim moralis est universalis atque immutabilis estque voluntas Dei ipsa praecipiens et vetans; ius autem est bonum aliquod individuale vel

(Lebenswunder, 1904², p. 134, cfr. vol. I, p. 251), cui consentiunt multi Darwinistae, cum Nietzsche pugnam de exsistentia et selectionem naturae per vim brutalem proclamantes. Cfr. L. Stein, An der Wende des Jahrhunderts, 1899, p. 148. Düringer, Nietzsches Philosophie vom Standpunkt des modernen Rechtes, 1906².

[1]) Jhering, Der Zweck im Recht, 1882.

ad summum alicuius societatis; unde debet cedere bono universali et voluntas humana finita divinae atque infinitae. Nemo igitur potest habere ius alios homines laedendi, spoliandi, neque civitas ulla ius habet, sine ratione gravi alias nationes aggrediendi, subigendi. Imo non licet *uti* iure suo contra praeceptum grave caritatis, e. g. eiciendo debitorem prorsus inopem cum familia ex domo sua. b) Ius est *coactivum,* et per hoc ius praecipue differt a more et consuetudine. Lex igitur ius tuetur poenis constitutis, et, si actu fit aggressio, ita ut auctoritatem publicam adire non possimus, res nostras etiam vi physica defendere licet, servato moderamine inculpatae tutelae; secus enim ius nullum securum tutumque esset, considerata hominum cupiditate atque passione; neque pax neque securitas publica esse posset. Attamen coactio nullo modo ut elementum *essentiale* iuris habendum est, ut post Kant multi iurisprudentes censent, e. g. Stahl, Jhering, Lasson, Bergbohm, Th. Lipps etc. Nam coactio *supponit* ius iam constitutum per legem, ad quam ut eius sanctio accedit; sicut igitur sanctio non legem ipsam constituit, sed eam supponit, ita etiam coactio ius ipsum non efficit. — Deinde sunt iura, quae coactionem non habent, sive quia deficit vis physica ad ius expetendum, e. g. contra praedones vel tyrannum; vel quia coactio naturae iuris alicuius repugnat, e. g. ius aequum sive imperfectum, quod in civitate ex iustitia distributiva oritur; ius internationale, quod, deficiente suprema aliqua potestate, in iustitia quadam *naturali* fundatur, nisi vim brutalem fortioris vel astutiam diplomaticam nequioris civitatis ius summum vocaveris [1]). Unde etiam multi iurisprudentes et philosophi sententiam Kantianam reiciunt, e. g. Bierling, Thon, Liesker, Wundt [2]) etc.

III. *De falsis iuris definitionibus.*

Ex nostra iuris definitione elucet, quid sit dicendum de aliis definitionibus. Sic *Kant* post Hobbes ius definit, ut sit summa illarum conditionum, sub quibus libertas omnium agendi secundum legem communem libertatis componi potest [3]). Similem sententiam statuunt multi post ipsum, ut *Fichte, Schelling,*

[1]) Hoc quidem aliqui homines politici post Macchiavelli († 1527) docent. Ita Treitschke, historigraphus Borussiae: „Das Wesen dieser grossen Gesamtpersönlichkeit (des Staates) ist Macht, und darum ist für seine Macht zu sorgen, die höchste Pflicht des Staates" (cfr. Förster, Weltgeschichte u. Sittlichkeit apud Türmer Jahrbuch, 1903, p. 84). [2]) Cfr. Cathrein, Recht etc. p. 58 sq.

[3]) „Das Recht ist der Inbegriff aller jener Bedingungen, unter welchen die Willkür des Einen mit der Willkür aller andern nach einem allgemeinen Gesetz der Freiheit zusammen vereinigt werden kann," Rechtslehre, W. W. (Hartenstein) V, 30. Alibi (Metaphys. Anfangsgründe der Rechtslehre, Einl., § E: „Das strikte Recht kann auch als die Möglichkeit eines mit jedermanns Freiheit nach allgemeinen Gesetzen zusammenstimmenden, durchgängigen, wechselseitigen Zwanges vorgestellt werden." Quae definitio priori coactionem addit.

Hegel, Spencer, Baumann aliique multi. — Sed haec definitio primo ex una parte nimis ampla est, quia non solum leges iustitiae, sed etiam leges caritatis libertatem nostram agendi coarctant, unde etiam officia caritatis sub iure stricto complecterentur; deinde ex alia parte nimis angusta est, quia ius non solum libertatem singulorum qua talem tueri debet (Rechtsschutz), sed eius finis supremus est salus publica, quae nonnunquam libertatem singulorum plus quam eius natura sola fert, coarctat; esset sententia liberalismi (freie Konkurrenz „concurrentiae liberae"), quae teste historia discordias sociales producit; inde leges in favorem operariorum. — Porro Kant ius a moralitate prorsus separat: haec oritur ex imperativo categorico rationis nostrae, illud ex imperio civitatis; haec obligat in conscientia, illud per se saltem solum externe, ita ut verus conflictus inter obligationem moralem et iuridicam oriri possit; haec respuit omnem coactionem ut heteronomam, illud nititur coactione externa tanquam elemento necessario; haec exsistit ante omnem legem civilem, ius autem ante societatem nullum est, sed ex ea oritur: quae omnia vel ex toto vel ex parte falsa sunt. — Denique Kant supponit iam ius aliquod primitivum libertatis, quod quid sit et unde sit explicare nequit, nisi recurrat ad legislatorem, qui praecedit civitatem. Sed tunc principia sua criticismi destruit eiusque definitio iuris non omne ius scil. primitivum illud libertatis comprehendit, siquidem ius ab eo definitum supponit iam civitatem, quae fons omnis iuris habetur (cfr. vol. I, p. 291 sq.).

Herbart, quem praesertim *Geyer* et *Ziller* sequuntur, ius definit tanquam ideam, qua lis displiceat et evitetur. Sed finis societatis non est solum litem evitare vel componere, sed salus positiva publica. Deinde non omnis lis cadit sub iure, e. g. disputatio; neque apparet, quomodo lis componenda sit, nisi iam quaedam normae, imo et ius ipsum discordiae sedandae supponantur. Porro non ostendit, unde illa idea oriatur, cur sit legitima atque sequenda, cur obliget in conscientia; separat enim ius a moralitate illudque solum in civitate oriri putat, sicut Kant (cfr. vol. I, p. 298).

Krause († 1832), quem iurisprudens *Ahrens* sequitur, ut panentheista, ius habet summam illam conditionum, quibus perfectio tum singulorum tum totius civitatis habetur. Sed haec definitio iam supponit panentheismum auctoris; deinde nimis ampla est, quia ad perfectionem singulorum et civitatis totius non solum iura et officia ex eis orta, sed omnes aliae virtutes humanae requiruntur, unde tota honestas atque etiam religio sub iure comprehenderetur.

Alii recentiores iurisperiti et philosophi, ut *Stammler, Merkel, Th. Lipps, Bierling, Felix Dahn, Bergbohm, Eltzbacher, Wundt, Paulsen* aliique plurimi in eo fere conveniunt, quod ius definiant normas quasdam communes et rationales agendi in communitate aliqua vigentes [1]). Sed hae definitiones primum in eo peccare videntur, quod nimis amplae sint, tum quia etiam leges caritatis, utpote communes et rationales in communitate vigentes, complectuntur, tum quia societates omnes etiam non politicas, immo non honestas non satis excludunt. Deinde hae definitiones in sententia auctorum abstrahunt ab omni honestate morali, imo admittunt, leges civiles, verum ius statuentes,

[1]) Cfr. Cathrein, Moralphilos. 1904⁴, I, p. 522 sq.; Recht, Naturrecht etc. 1901, p. 67 sq.

posse nonnunquam honestati repugnare, et plerique auctores cum Kant etiam coactionem externam essentiale elementum iuris habent. Denique omnes fere definitiones illae non conveniunt nisi iuri legaliter sive normative, non iuri subiective et obiective considerato ac proinde non adaptantur iuri adaequate accepto.

IV. *De divisione iuris* [1])

Ius, quum consistat in quadam relatione, potest distingui:

A. Ratione *subiecti:* 1. Ius *privatum* et *publicum.* Privatum est illud, quod relationes individuales civium, in iustitia commutativa (cfr. supra p. 202) fundatas, inter se regulat, e. g. emptio, venditio, pacta etc.; publicum est, quod relationes civium ad ipsam civitatem spectat, e. g. leges de tributis, militia, securitate publica, electionibus etc.; hoc ius fundatur in iustitia legali. — Potest etiam ius distingui, quod cives habent ad emolumenta et munera publica pro sua quisque conditione obtinenda, quod quidem ius legibus non est stabilitum ac proinde vocatur imperfectum sive *ius aequum;* fundatur in iustitia distributiva, attamen per modum coactionis haberi nequit, sed ex aequo exspectandum est.

2. Ius *personale* et *reale;* personale est, quod quis ratione sui directe sibi vindicare potest, e. g. ius in bonis possidendis; reale est, quod quis indirecte habet ex re possessa, quacum ius coniunctum est, e. g. ius patronatus ratione fundi possessi.

B. Ratione *fundamenti sive tituli:* idque a) ratione *facti:* 1. Ius *connatum* et *adventicium.* Connatum est, quod aliquis habet ex natura, e. g. ius in vitam, libertatem, membra etc.; adventicium est, quod ipsi acquirimus, e. g. bona, honorem etc. 2. Ius *alienabile* et *inalienabile.* Inalienabile est, quod nemo licite abicere potest, ut sunt iura connata plerumque; alienabile, cui renuntiare libere possumus. b) Ratione *legis ipsius:* 1. Ius *scriptum* et *non scriptum:* ius scriptum est, quod verbis exprimitur in codicibus iuris, et subdistinguitur ius *strictum,* quod verbis ipsis inhaeret, *aequum,* quod quidem verbis non exprimitur, sed ex intentione legislatoris et naturali aequitate fluit, e. g. quando adsunt circumstantiae aggravantes vel excusantes, ne „summum ius fiat summa iniuria". — Ius non scriptum est, quod ore hominum traditur et consuetudine formatur. Sed tunc solum inde lex oriri potest, si consuetudo in se est *rationabilis et honesta, diuturna et communis,* saltem ex parte maiore civium, quia tunc legislator ei tacite consentire censetur.

2. Ius *naturale* et *positivum;* naturale fundatur in lege morali naturali, ac proinde in voluntate divina; positivum legibus expresse promulgatis constituitur, et est divinum, si Deus voluntatem suam revelat,

[1]) S. Theol. II, II, qu. 57 a. 2.

ut docet religio christiana in evangelio; est humanum, si legibus humanis fundatur; quae si sunt ecclesiasticae, habetur ius positivum ecclesiasticum; si sunt in civitate, oritur ius civile et publicum.

3. Ius *perfectum* et *imperfectum*; illud est, quod poenis extorqueri potest, hoc non, quia lex nulla sanctione illud munivit, ut est ius aequum.

C. Ratione *termini*, eiusque a) *proximi* i. e. rei iustae ipsius: *ius in re*, idque *perfectum* et *imperfectum*; est perfectum, si quis plenam habet rei possessionem tum quoad eius substantiam tum quoad usum, e. g. ius in cibum et potum, in pecuniam etc. Possessio autem haec potest esse *physica* et *moralis*, prout fit corpore et animo, vel solo animo sufficienter declarato; porro potest esse *iuris* et *facti*, prout possessio fit cum vel sine titulo iuris; est possessio *bonae* vel *malae* vel *dubiae* conscientia, prout quis rem possessam suam aut alienam aut dubiam esse censet. — Ius autem est *imperfectum*, si quis solum de rei substantia disponere potest, e. g. vendendo (dominium directum), vel solum de usu rei, e. g instrumenti, vel solum de fructibus rei, e. g. fenora ex capitali (dominium utile), vel si habet servitutem in rem aliquam, e. g. via per agrum, vel si pignus (hypothecam) pro re aliqua retinet. b) Ratione *termini remoti*, i. e. personae alicuius: 1. ius *iurisdictionis* et ius *proprietatis*; illud habet, qui praeceptis alios dirigere eisque legitime officia imponere potest; ius proprietatis est ius in re sive perfectum sive imperfectum, quod supra sub a explicavimus. 2. Ius *in re* et ius *ad rem*; illud est idem ac proprietatis; hoc est obligatio alterius personae aliquid nobis praestandi, e. g. ex promissione, ex pacto etc. 3. Ius ad *personas* et *ius ad res*; illud est officium personale, quod quis nobis exhibere tenetur, e. g. labor operariorum, debitum matrimoniale etc.; ius ad res est idem ac ius in re et ad rem.

V. *De officio.*

A. *Natura officii:* Iuri subiectivo respondet ex parte aliorum hominum obligatio sive officium, alios non impediendi in iure suo utendo. Officium igitur, sicut ius, potest *subiective*, *obiective* et *normative* spectari.

a) *Subiective* officium significat necessitatem moralem alicui per auctoritatem aliquam in conscientia impositam. Differt igitur a coactione physica, quae solum externe aliquem necessitat, ita ut vi resistere non possit, quemadmodum etiam ius subiective non physicam, sed moralem potestatem confert. Quare tum ius tum officium liberam voluntatem supponunt, ita ut in actionibus physice vel etiam psychologice necessariis, e. g. in motibus spontaneis primo-primis appetitus, neque ius neque officium esse possit; similiter neque bruta

officia sensu morali habere possunt. — Differt autem officium a iure praesertim per hoc, quod sit in favorem alterius, ius vero in favorem subiecti iuris; porro potest aliquis iuri suo renuntiare, vel eo non uti, imo nonnunquam propter alia praecepta iure suo uti non licet, sed officium debemus semper exsequi, modo ne collisio officiorum adsit.

b) *Obiective* officium significat id, ad quod obligamur i. e. aliquid faciendum vel omittendum; obiectum officii sensu latiore comprehendit, quidquid nobis ex quavis obligatione sive iustitiae, sive caritatis, sive temperantiae etc. faciendum vel omittendum est, tum erga Deum et proximos, tum erga nos ipsos, ut honeste vivamus et finem nostrum ultimum consequamur; sensu strictiore significat, quidquid nobis ex iustitia commutativa et legali incumbit, et hoc sensu potissimum officium societatem supponit.

c) *Normative* officium significat leges, quae necessitatem illam moralem nobis imponunt eamque sanctione quadam confirmant sive urgent. Supponitur autem, leges illas a legitima auctoritate esse latas, non repugnare honestati naturali et rite esse promulgatas; secus enim in conscientia obligare non possunt (cfr. supra p. 105 et 113 sq.). — Non autem requiritur, ut legis obligatio etiam sit motivum actionis illius, qua officio satisfit, sed per se sufficit, ut ex quocunque motivo honesto actio fiat, imo etiam ex timore poenae, modo hic timor affectum deliberatum cordis ad rem vetitam excludat (cfr. supra p. 144 sq.).

Officium igitur, sicut ius, in relatione morali consistit, cuius *subiectum* est persona, cui obligatio imponitur; *terminus* proximus est res sive actio, ad quam quis obligatur, remotus est subiectum iuris, sive sit persona aliqua sive societas; *fundamentum* etiam duplex est: aliud de facto, quod est ius aliquod alterius personae; aliud est de iure, quod est lex quaedam ius hoc agnoscens atque confirmans.

B. Divisio *officiorum:* Quum officia iuribus opponantur et ex eis resultent, patet, officia simili modo ac iura ratione subiecti, termini, fundamenti distingui posse (cfr. supra p. 213). Praesertim notanda est divisio: a) Ratione *subiecti* officii in *personalia* et *realia*; personalia ipsi subiecto, qua tali inhaerent et ab eo solo, non ab aliis implenda sunt, e. g. militare, temperantem esse, Deum, parentes colere etc.; realia etiam per alios loco nostro exsequi licet, e. g. tributa, debita solvere. b) Ratione *fundamenti* in officia *connata*, quae ex nativitate nobis conveniunt, et *adventicia*, quae ex facto vel lege positiva oriuntur; *naturalia*, quae ante omnem legem positivam nobis ex natura humana incumbunt, et *positiva*, quae per legem positivam nobis imponuntur; in *iuridica*, quae ex iustitia commutativa sive distributiva sive legali per leges positivas vel cum

vel sine coactione oriuntur; *non iuridica* sive *mere ethica*, quae omnia alia officia comprehendunt erga Deum, homines et nos ipsos, e. g. officia religionis, amoris proximi, temperantiae etc. c) Ratione *termini* 1⁰ *proximi*: in officia *iustitiae*, quae ex iure stricto oriuntur, et *caritatis*, quae non ex iure stricto oriuntur, non aequalitatem obiecti concernunt, neque laesa restitutionem postulant, sicut illa. 2⁰ Ratione termini *remoti*: in officia *erga Deum* (religio), erga *proximos* (iustitia et caritas), erga *nos ipsos* quoad corpus (temperantia) et animam (virtutes).

C. *Collisio officiorum*: Potest fieri, ut plura officia sibi repugnare videantur sive circa idem obiectum sive eodem tempore implenda, e. g. officium caritatis erga proximum in periculo vitae constitutum et erga me ipsum, si periculo vitae propriae ei succurrere debeo. Quid tunc faciendum? Regulae generales ad conflictum illum solvendum sunt: 1. Officia negativa per se praevalent affirmativis, siquidem illa rem intrinsecus malam prohibent; 2. naturalia praevalent positivis ex eadem ratione; 3. universalia particularibus, quia totum praevalet partibus; 4. officia circa obiectum magis dignum sive necessarium obiecto minus digno vel necessario; e. g. officia erga animam praevalent officiis circa corpus; 5. officia erga personam digniorem praeferantur officiis circa minus dignam; sic officia erga Deum humanis, erga familiam vel civitatem propriam alienis praevalent. — Quodsi dubium remanet de praestantia officiorum et agendum est, faciat quidquid ei bona fide honestum videtur; non est enim necessitas peccandi.

§ 3. De exsistentia iuris et officii naturalis.

I. *Expositio historica quaestionis.*

Exsistere iura et officia multiplicia tum individua tum publica, tum realia tum personalia, a nemine negatur. Quaestio autem est, num iura et officia *naturalia* exsistant, i. e. ante omnem societatem et ante leges humanas positivas, ita ut hae in illis fundentur. Quum officia iuribus semper respondeant, sufficit, quaestionem instituere de iuribus naturalibus.

Fuerunt multi, qui ius naturale negarent, non admittentes nisi ius positivum ortum in societate; idque diverso modo explicant. Alii enim iura repetunt omnia, sicut leges morales, ex hominum constitutione in civitate, alii ex moribus et consuetudinibus paulatim ortis et deinde per vim publicam confirmatis, alii tandem non negant ius quoddam materiale, nondum tamen formale ante leges hominum constitutas. — Sic iam veteres quidam cum *Archelao, Aristippo, Theodoro Cyrenensi* vel cum sophistis *Callicle, Trasymacho* etc.[1]) et academico *Carneade* docebant, ius omne ab hominibus factum esse sive per vim potentiorum sive per mores sive per leges; non esse ius

[1]) Cfr. Plato, de re publ. II, p. 2 sq.

naturale immutabile, sed variabile et diversum pro gentibus et temporibus diversis[1]). — *Hobbes* († 1679) vero et *Spinoza* († 1677), fingentes statum aliquem naturae purae sine moribus et iuribus, in quo bellum esset omnium contra omnes, per contractum docent civitatem fieri sive monarchiam (Hobbes) sive rempublicam (Spinoza et post eum Rousseau), in qua partem quisque libertatis suae abdicet ad pacem habendam, et in civitate tandem per auctoritatem publicam tum leges morales tum iura constitui, ita ut iustum sit, quidquid lex civilis iusserit, neque unquam legibus, licet barbaris, saltem externe resistere liceat[2]). Spinoza solum libertatem internam *cogitandi* sibi vindicat. Similiter sentit *Rousseau*[3]), licet aliquando etiam de iure naturali ad vitae necessaria et ad proprietatem loquatur, quod tamen ius sanctione civitatis indigeat[4]), quae sententia, a multis tunc laudata atque approbata, motivum praecipuum fuit revolutionis gallicae et fundamentum constitutionis novae anno 1791, necnon legislationis Napoleonae (code civile 1806/10), et per hanc multum influit in constitutiones aliarum civitatum nostri temporis.

Neque multum differt doctrina *Kantii*. Docet enim, ius et moralitatem prorsus differre, quia haec libertatem internam spectet et propter se ipsam sit adimplenda; ius autem spectare libertatem externam et per se sola coactione externa niti; coactio autem supponit auctoritatem in societate stabilitam. Civitas vero constituitur pacto quodam primitivo, quod homines necessitate naturae inierint et quo libertatem suam primitivam libere coarctaverint; legibus igitur civitatis semper parendum est, quidquid iusserint, non quidem ex conscientia, sed ex coactione externa (cfr. vol. I, p. 291). — Haec igitur sententia Kantiana a plerisque philosophis et iurisprudentibus quoad substantiam recepta est, licet modo diverso originem iuris explicent. Alii enim, innixi theoria Evolutionismi, docent, homines descendentes a brutis primum instinctu quodam sociali et coactione externa (vi et metu potentiorum, principum etc.) societatem primitivam iniisse; deinde ex vita communi quosdam mores esse formatos tum morales tum iuridicos, qui partim per consuetudinem, partim per bona inde in individua et societatem redundantia confirmati sunt ac tandem per auctoritatem publicam vim legis receperunt, imo decursu temporis tanquam a diis orti et sanctione muniti habebantur. Sic fere sentiunt E. v. Hartmann, Wundt, Paulsen, Gumplowitz necnon Positivistae, ut Comte, Carneri, Spencer aliique multi[5]).

[1]) Cfr. Diog. Laert. II, 16, 93; supra p. 21 sq.

[2]) Spinoza: „Per ius et institutum naturae nihil aliud intelligo, quam regulas naturae uniuscuiusque individui, secundum quas unumquodque naturaliter determinatum concipimus ad certo modo exsistendum et operandum; e. g. pisces a natura determinati sunt ad natandum, *magni ad minores comedendum adeoque pisces summo naturali iure potiuntur aqua et magni minores comedunt.*" Tract. theol. pol. c. XVI. „*Uniuscuiusque individui naturale ius eo usque se extendit, quo eius potentia.*" Tract. II, 4. Vide alia testimonia supra p. 108 citata.

[3]) Du contrat social, 1, 8; cfr. supra p. 58.

[4]) Cfr. Cathrein, Recht etc., p. 79.

[5]) Cfr. Cathrein, l. c. p. 80 sq. Moralphil. 1904[4], I, p. 470 sq. Cfr. supra 18 et 133 sq. Loco omnium audi Wundt: „Das Recht ist ein natürliches Differenzierungsprodukt der Sitte" (Logik[2], II, 2, p. 555; cfr. supra p. 109).

Alii autem supponunt quaedam principia moralia, ex quibus tandem mores publici et consuetudines, deinde leges iuraque civitatis exorta sunt eo fere modo, quo linguae artesque ex indole naturali, diversae pro diversis nationibus, formatae sint. Fons igitur harum legum iuriumque est „spiritus populi", qui sponte et quasi modo inconscio ordinem iuridicum producit; non igitur civitas produxit iura, sed iura potius civitatem, quae ea complent atque confirmant. Sic sentiunt praesertim auctores et fautores „scholae historicae", v. Savigny, Stahl, Puchta; similiter sentiunt multi recentiores iurisconsulti, qui tamen plerumque ordinem iuridicum et moralem ab invicem separant, affirmantes, aliquid posse esse iustum ac proinde faciendum, simul autem contra leges morales; omnes igitur in eo conveniunt non esse ius naturale, sed omne ius legibus positivis esse fundatum. Sic fere docent Jhering, Merkel, Binding, Lasson, Jellinck, Austin, Bergbohm, Neukamp, Friedberg, Eltzbacher, necnon v. Scherer, Meurer etc.[1]), iuris canonici periti, et ii plerumque, qui leges humanas non in lege naturali innixam habent, quorum supra p. 109 mentionem fecimus.

II. *De ipsa exsistentia iuris et officii naturalis.*

Thesis XIV: Exsistit ius naturale estque pars ordinis moralis et fundamentum iuris civilis.

St. qu. Tria probanda sunt: Primum, exsistere ius aliquod naturale, quod neque in legibus civitatis neque in moribus et consuetudinibus gentium, sed in ipsa natura humana fundatur. Secundo, hoc ius naturale non independens esse a moralitate, sed eius esse partem et eam quidem, quae relationes hominum quoad iustitiam commutativam, distributivam, legalem regit. — Loquimur solum de *iure* naturali, quia eo ipso etiam constat, *officia* naturalia ex iuribus orta exsistere. Tertio, ius civile quoad materiam (obiectum) et formam (obligationem) suam fundari in iure naturali.

2. Refutamus igitur sententiam tum positivismi ethici in genere, qui omnem ordinem moralem naturalem et a fortiori ordinem naturalem iuridicum reicit, tum positivismi iuridici in specie, qui saltem ius naturale negat, et ordinem iuridicum ab ordine morali seiungit, ut supra expositum est.

I. *Exsistit ius naturale.*

Prob. 1. *Ex natura humana sociali:* Natura humana est socialis, i. e. ex se ordinata est ad vitam socialem et societatem ineundam, quia sine ea homo perfectionem suam connaturalem consequi non potest; indiget enim educatione, institutione, auxilio aliorum, quod et experientia docet et historia, unde iam in aliqua societate, saltem in familia, nascitur. *Atqui* natura in necessariis non deficit, quare

[1]) Cfr. Cathrein, Moralphilosophie, 1904⁴, I, p. 469 sq.

ei omnia illa conferre debuit, quae necessaria sunt ad vitam socialem; necessaria autem sunt quaedam iura: ius vitae, integritatis corporis, libertatis cuiusdam externae, activitatis homine dignae, possessionis quorundam bonorum, instrumentorum, vestium, quae omnia ad vitam humanam physice vel moraliter necessaria sunt. His autem iuribus ex parte aliorum hominum totidem respondent officia, iura illa respectandi. *Ergo* exsistunt iura et officia naturalia.

2. *Ex exsistentia legis naturalis*: Ostendimus (supra p. 110 sq.), exsistere legem moralem naturalem, ortam ex ordine naturae nostrae rationalis tum abstracte tum concrete consideratae, per voluntatem divinam formaliter constitutam (supra p. 130 sq.) et sanctione temporali et aeterna munitam (supra p. 151 sq.). Haec autem lex moralis etiam respicit relationes nostras naturales ad alios homines sive individuos sive in societate nobiscum viventes, siquidem vidimus, humanam naturam ex se esse socialem; porro hae relationes sociales potissimum triplicem illam iustitiam supponunt: commutativam, distributivam, legalem. *Atqui* omnis lex ex natura sua tum aliquibus ius subiectivum confert, tum eo ipso aliis officium imponit, ius illud respectandi; lex enim est fundamentum ratioque proxima et formalis iuris (cfr. supra p. 208 sq.). *Ergo* exsistit ius naturale respondens legi naturali.

3. *Ex exsistentia legis et iuris civilis:* Exsistunt leges civiles, (supra p. 113 sq.), quae iura civilia positiva et officia constituunt. *Atqui* leges et iura civilia tum ratione materiae (obiecti) tum ratione formae suae (auctoritatis) supponunt legem naturalem et ius inde emergens naturale. *Ergo* exsistit ius naturale.

Probo I. *partem minoris:* a) *Ex fine legis civilis:* Leges civiles ratione materiae suae, i. e. rei vel actionis alicuius prohibendae vel praescribendae habent tanquam normam supremam bonum publicum; promovere enim bonum publicum est suprema lex civitatis (cfr. supra p. 210). *Atqui* haec lex evidenter praecedit omnem legem civilem et oritur immediate ex *natura* et *fine* civitatis. *Ergo* exsistit lex aliqua socialis *naturalis*, ex qua, sicut ex lege in genere, oritur officium aliquod naturale pro principe, ne legem constituat contra salutem publicam; huic autem officio in subditis respondet ius, ne legibus contra bonum commune constringantur.

b) *Ex proprietatibus legis civilis:* Lex civilis debet esse honesta, iusta, moraliter possibilis (cfr. supra p. 125 sq.); supponit igitur leges naturalis honestatis, iustitiae, aequitatis, sine quibus obligare non posset. *Atqui* omnis lex et ius constituit et officium imponit. *Ergo* exsistunt, sicut leges, ita et iura naturalia, quae leges positivas praecedunt.

Probo II. *partem minoris:* Leges positivae formam suam, i. e. auctoritatem, vim obligandi aut habent ex potestate publica iam

constituta, aut ex pacto quodam hominum, qui societatem olim formabant, aut ex moribus consuetudinibusque paulatim in gente aliqua ortis, aut tandem ex ordine naturae a Deo constituto; hi enim sunt omnes fontes iuris, qui excogitari possunt et de facto a diversis philosophis vel iurisprudentibus enumerantur. *Atqui* a) *potestas publica* non est fons ultimus auctoritatis legis et iuris civilis; dico ultimus; nam certe est fons proximus, siquidem expresse legem positivam statuit et confirmat. Requiritur enim: 1° ut potestas publica sit *legitima*, i. e. habeat *ius* leges ferendi; secus quivis potens vel tyrannus, quidquid vellet, praescribere posset; potestas igitur publica iam supponit ius aliquod; 2° requiritur ut etiam *legitime* potestatem leges ferendi exerceat, i. e. leges debent respicere *finem* suum, salutem publicam; haec est enim suprema lex (cfr. supra p. 210); porro debent esse *honestae, iustae,* moraliter *possibiles* (cfr. supra p. 125 sq.). Ergo iterum supponuntur aliae leges, quae sunt norma legis civilis, aliaque iura tum individuorum tum societatis, quae per leges publicas solum agnoscuntur et sanctione muniuntur, non primo statuuntur. b) Neque *pactum* quoddam hominum potest esse fons proprius iuris; nam eiusmodi pactum, quod Hobbes, Spinoza, Rousseau, Kant aliique supponebant, non exsistit, et hodie ab omnibus ut fictio reicitur; deinde pactum illud iam supponit iura et officia: ius ipsum paciscendi, i. e. et se et alios, imo et posteros suos obligandi; deinde supponit obligationem pacta sua observandi; et haec obligatio ab omnibus habetur non solum externe imposita atque vi brutali extorquenda, sed in conscientia nobis iniuncta; talis autem obligatio a nullo homine imponi potest. Accedit, quod illa pacta ipsa debent esse honesta et iusta; secus etiam pacta ad alios opprimendos vel diripiendos, e. g. praedonum, piratarum, ius facerent, quod absurdum est. Ius igitur aliquod non ab hominibus constitutum, sed a natura ipsa eiusque auctore profectum supponendum est. c) Neque *mores et consuetudines* sunt fontes proprii iuris, nisi aliud supponatur; nam non quivis mos vel consuetudo fit lex vel potest fieri lex, e. g. mos defraudandi, si plerique cives hoc facerent, mos abortum procurandi, sese duellandi vel interficiendi; requiritur igitur norma et ius aliud, a quo honestas et iustitia morum dependeat. Deinde per historiam constat, leges saepe ius legitimum statuisse moribus tunc vigentibus oppositum, e. g. legislatio reipublicae post monarchiam abolitam, ut in Gallia 1791 et postea codex Napoleonis 1806, necnon legislatio omnium fere nationum. Mores igitur et consuetudines possunt fieri materia legislationis et indicium quoddam exhibere iuris faciendi, non tamen constituunt ius ipsum, neque ratione *materiae*, siquidem saepe leges oppositae fiunt vel fieri debent; neque ratione *formae*, i. e. obligationis, siquidem ex se non habent ullam

vim obligandi, nisi per praescriptionem, i. e. legislatoris tacitum consensum illam obtinent. Reicienda igitur est sententia „scholae historicae" (cfr. supra p. 218).

4. *Ex absurdis:* Si nullum esset ius naturale, liceret, saltem sine iniustitia, homines in societate non viventes privare bonis, sanitate, vita; neque isti homines pacta cum mutua obligatione ex iustitia inire vel ad libitum a pactis resilire possent, quin iustitia laederetur. *Atqui* hoc certe repugnat communi persuasioni [1]); porro tunc nulla societas fieri potuisset et iam facta ad libitum posset deseri, saltem si sola iustitia spectatur, nisi dicis, solam vim coactivam externam ius constituere (cfr. supra p. 216). *Ergo* exsistit ius omnem legem et pactum humanum antecedens, i. e. ius ex ordine naturae ipso natum.

Iure igitur Cicero [2]): „Non ergo a praetoris edicto, ut plerique nunc, neque a XII tabulis, ut superiores, sed penitus ex intima philosophia hauriendam iuris disciplinam putas." Cfr. alia eius testimonia supra p. 26 et 112, in quibus affirmat, ius hoc atque legem, in qua fundatur, „a rerum natura" esse profectum atque immutabile, imo esse „rectam rationem summi Jovis". Et *Aristoteles:* „Est quoddam *natura* iustum et iniustum" [3]).

5. *Ex falsis adversariorum suppositis:* Adversarii ius naturale potissimum negant: a) quia non sit sanctione munita, i. e. non coactivum; b) quia non sit satis determinata, ac proinde c) nullus iudex eo uti possit, vel, si utatur, sententiam arbitrariam pronuntiet; sic fere Stahl, Bergbohm aliique. *Atqui* haec argumenta nulla sunt; nam a) ius naturale primum sanctione divina, aeterna est munitum (cfr. supra p. 151 sq.); deinde ius naturae, ut fundamentum iuris positivi, in hoc ipso latet et cum ipso etiam sanctionem legis positivae recipit; sic praecepta decalogi Mosaici, in quibus ius naturale ex maxima parte continetur, sunt etiam leges positivae omnium gentium. b) Ius naturae est quidem universale, quia principia omnis iuris in se continet, attamen in se est omnino determinatum, ita ut ad singulas relationes hominum facile applicari possit, e. g. principium summum: suum cuique dandum, omnibus patet necnon leges et iura inde facile derivata: Non furandum, non adulterandum, non vulnerandum, non interficiendum, non maledicendum, non calumniandum etc. Confunditur igitur iuris naturalis universalitas cum eius indeterminatione. c) Longe abest, ut iudex iure naturali uti non possit, ut saepe, licet vix advertat, eo uti debeat. Ac primum quidem iudex *supremus*, ipsas leges earumque sanctionem constituens, non potest quamcunque legem et poenam decernere, sed quae fini civitatis conveniat, quae honesta, iusta, possibilis sit. An forte liceret

[1]) Vide supra p. 115 et 116 notas quid Schiller sentiat.
[2]) De legibus, V, 5. [3]) Rhet. I, 13; cfr. supra p. 27.

legislatori furtum pomi morte punire, hominis autem necem nefariam solum carcere unius diei? Supponitur igitur norma naturalis aequitatis iusque primitivum ante omnem legem. Deinde iudex *subordinatus* debet confugere ad *naturalem aliquam aequitatem*, quotiescunque lex de casu quodam nihil determinat, ut ipsae legislationes indicant (cfr. supra p. 209). Porro lex, quamvis poenam in genere determinet, attamen non in individuo; saepe enim circumstantiae adsunt sive aggravantes, sive diminuentes, sive etiam excusantes a crimine; debet igitur iudex consulere normam aequitatis naturalis, quae edicit, *poenam delicto proportionatam esse debere*. d) Nullo igitur modo timendum est, ne sententiae arbitrariae fiant, si ius naturae vim legis habeat; nam in omnibus, quae lex iusta positiva determinat, standum est iudici; quae autem lex ipsa non determinat, ex iure *aequitatis naturalis* a iudice definienda sunt. *Ergo* argumenta adversariorum ius naturale non refutant.

6. *Ex testimonio hominum:* Constat, homines eosque sapientissimos a tota antiquitate ius naturale a Deo profectum, ab hominibus nullo modo immutandum statuisse. Ita testantur *Homerus, Hesiodus* [1]), *Pindar, Heraclitus, Sophocles (Antigone), Euripides, Socrates* [2]), *Plato* [3]), *Aristoteles* [4]), porro omnes *Stoici*; praesertim *Cicero* [5]) totus est in iure naturali affirmando. Quid quod in corpore iuris civilis romani saepe ad ius naturale appellatur, „quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, quod apud omnes homines peraeque custoditur vocaturque ius gentium, quasi quo iure omnes gentes utuntur“ [6]), „naturalia iura civilis ratio perimere non potest“ [7])? Non igitur mirum est, quod ius naturale etiam in Iure canonico et in veteribus legum collectionibus (e. g. Sachsenspiegel) expresse statuitur tanquam verum ius, imo tanquam fundamentum et norma omnis iuris positivi. Quin etiam idem dicendum est de legislationibus recentibus, quae iubent, in sententiis ferendis, quotiescunque lex certa deficiat, iuxta *aequitatem naturalem* esse iudicandum; sic code Napoléon 1806; sic legislatio civilis Austriaca 1811, Badensis 1809 etc., ita ut ipse Bergbohm [8]), acerrimus impugnator iuris naturalis, conqueratur, literaturam philosophicam et iuridicam omnium gentium „infectam esse“ iure naturali [9]).

---

[1]) Opera et dies v. 276 sq.

[2]) Xenoph. Memor. IV, 4, 12; 19, 21. [3]) Timaeus 83; Kriton 49. [4]) Eth. Nic. V, 10; Rhet. I, 13 distinguens δίκαιον νομικόν et φυσικόν; illud est variabile, diversum apud diversas gentes, hoc est idem apud omnes, immutabile.

[5]) Testimoniis eius iam adductis hoc addatur: „Quibus ratio a natura data est, iisdem etiam recta ratio data est, ergo et lex, quae est recta ratio in iubendo et vetando; *si lex, ius quoque*. At omnibus ratio, ius igitur datum est omnibus“ (De legibus, I, 12, 33).

[6]) Sic Gaius in suis Institutionibus L. 1 I. (1, 2), necnon in Pandectis Justinianis.

[7]) L. 8 Dig. (4, 5). (Cfr. Cathrein, Recht etc., p. 108 sq.)

[8]) Jurisprudenz und Rechtsphilosophie, 1892, I, 113.

[9]) Cfr. Cathrein, l. c. p. 122, 162 sq.

Vix opus est dicere, tum Patres ecclesiae, tum philosophos et theologos scholasticos, duce s. Thoma [1]), usque hodie ius naturale statuere, eisque protestantes usque ad Hobbes et Kant consentiebant, ut Melanchthon, H. Grotius, Pufendorf, Thomasius, Leibnitz, Chr. Wolf etc. Iure igitur et merito ecclesia sententiam oppositam saepius reprobavit: Pius IX in Syllabo e. g. prop. 7, 32, 39, 56, 67; Leo XIII in encyclicis suis (Quod Apostolici 1878 et Rerum novarum 1891) indissolubilitatem matrimonii et ius proprietatis ex iure naturali derivat [2]).

II. *Ius naturae est pars ordinis moralis naturalis.*

Prob. 1. *Ex natura ordinis moralis:* Ordo moralis naturalis ille est, qui omnes actiones humanas, quae secundum eius naturam tum individuam tum socialem fieri debent, continet atque dirigit, iuxta supremum illud principium: serva ordinem, sive fac bonum, evita malum. *Atqui* ad has actiones etiam pertinent illae, quae hominis relationes ad alios regunt, in quantum ex eius natura sociali oriuntur et ad iustitiam tum commutativam tum distributivam tum legalem spectant; hae autem actiones praecise ex iuribus et officiis naturalibus proficiscuntur et ordinem socialem constituunt. *Ergo* iura naturalia et officia pertinent ad ordinem moralem.

2. *Ex natura iuris:* Ius est potestas moralis in lege fundata ad aliquid ut suum vindicandum. *Atqui* non potest esse potestas moralis, i. e. ex voluntate libera profecta, quae non sit honesta; non enim est actus humanus indifferens in individuo; neque potest esse lex inhonesta; neque solum ut iniustum, sed etiam ut inhonestum et ut peccatum in conscientia ab omnibus habetur, aliis suum non dare vel eripere. *Ergo* ius naturae est pars ordinis moralis.

3. *Ex absurdis:* Quodsi iustum non simul etiam honestum esset, possent esse leges et iura, quae repugnant ordini morali; neque peccaret, qui leges inhonestas decerneret, vel peccaret, qui talibus legibus etiam solum passive (cfr. supra p. 116) resisteret, vel sine peccato tales leges exsequeretur, e. g. christiani iussi ab imperatoribus diis falsis sacrificare; parentes Spartanorum liberos debiles ex lege exponentes; virgines Babyloniae sese secundum legem prostituentes; Antigone fratrem mortuum contra decretum Creontis sepeliens. *Atqui* a) apud omnes constat, non licere principibus leges inhonestas constituere, et si faciunt, tyranni vocantur; b) homines illum non condemnant, qui legibus inhonestis non obtemperat; imo omnes eum laudant, praesertim si ex amore virtutis poenas et mortem subire paratus sit; c) qui leges iniquas exsequuntur, habentur et ipsi inhonesti et ignaviae peccatique accusantur (cfr. supra p. 115 sq.). *Ergo* iustum etiam honestum est.

---

[1]) S. Theol., I, II, qu. 95 tota et II, II, qu. 57 tota.

[2]) Cathrein l. c. p. 118 sq.

III. *Ius naturale est fundamentum iuris civilis.*

Prob. 1. *Ex materia sive obiecto iuris civilis:* Iuris civilis est, publicam salutem producere et conservare; haec enim eius est suprema lex, i. e. et ratio exsistendi et norma et terminus eius potestatis. *Atqui* non quocunque modo ius civile salutem publicam producere potest, sed secundum naturam hominis spiritualem et socialem eiusque finem aeternum. Iam vero hanc normam exhibet lex moralis naturalis et iura naturalia inde orta. *Ergo* ius civile debet fundari in iure naturali.

Atque hoc fit duplici modo: 1. *deducendo* ex principiis iuris naturalis universalibus conclusiones ad leges speciales constituendas; e. g. ex principio: suum cuique, deducit leges de proprietate aliena, vita, sanitate, integritate, fama non violanda; 2. *determinando et applicando* principia iuris naturalis ad casus particulares, quae applicatio pro diversitate temporum, culturae, indolis gentis varia esse potest, licet principia iuris et leges inde deductae eaedem permaneant; inde diversitas legum earumque mutatio iuxta necessitatem temporis et gentis. Sic ius ipsum proprietatis, venditionis, hereditatis apud omnes gentes idem est, sed lex determinat, *quomodo* quis proprietatem acquirat, vendat, per hereditatem ad posteros transmittat; inprimis etiam *poenas* determinat pro indole civium plus minus graves ad leges urgendas [1].

2. *Ratione formae sive obligationis:* Ius positivum subiecto iuris confert potestatem, ut *tutâ conscientiâ* rem aliquam ut suam vindicet, aliis autem simul imponit obligationem eamque in *conscientia*, ut ius alienum respectent; secus enim sola vis externa homines coerceret ut bruta, vel quicunque legem effugere posset, omnia ei in concives licerent, et ex una parte gubernatio despotica, ex alia parte licentia effrenata oreretur. *Atqui* nullus homo, ne civitatis quidem gubernator, alios homines, naturâ ei aequales: a) obligare potest, nisi iam ius imperandi in ipso, et obligatio obediendi in subditis praecedat, quod est ius et lex naturalis; b) a fortiori non potest homines in *conscientia* ligare; hoc enim solus Deus potest. Nisi igitur ius et obligatio naturalis, quae a Deo proficiscitur (cfr. supra p. 140 sq.), supponitur, et nisi ius positivum in eo fundatur, nulla obligatio, nedum in conscientia, ex iure positivo oriri potest (cfr. supra p. 114).

Coroll. I: Ex dictis sub III apparet, esse ius praeter et supra ius civile, quia hoc legibus naturae fundatur. Inde elucet, posse esse leges positivas praeter

[1] Recte igitur Paulsen (System d. Ethik, 1900[5], II, p. 132): „Der Staat ... bringt das *natürliche Recht* auf bestimmte Formen und stellt sie unter seinen Schutz. So wird, *was recht ist*, zu einer Macht, die Gerechtigkeit wird durch die Macht verwirklicht." Alibi tamen videtur ius naturale reicere et omne ius ex societate repetere; cfr. supra p. 109, nota 2. — Sic omnes §§ 2385 novi codicis civilis germanici ex anno 1900 non sunt nisi conclusiones, determinationes et applicationes iuris naturalis; idem dicendum est de §§ 370 codicis poenalis anni 1871.

civiles ac proinde etiam ius positivum distinctum a civili, modo adsit potestas legitima leges dandi. Talis potestas inprimis est ius parentum in filios, quod omnem legem civilem praecedit neque ab ulla legislatione abrogari potest. Idem dicendum est de lege et iure ecclesiastico, quod in ecclesia a Deo fundata nititur, ac proinde independens est ab omni lege civili. Errant igitur iurisprudentes et philosophi, qui cum Sohm, Wundt [1]), Paulsen [2]) ius ecclesiasticum negant vel a lege civili dependens faciunt.

II: Ex dictis sub II et III patet, immerito *Thomasium* [3]) inter honestum et iustum *adaequate* distinxisse, ethicam separans a iure naturali, quod ipse tamen retinet. Hanc distinctionem atque separationem *Kant* doctrinâ suâ confirmavit, et sic quasi pater exstitit novarum de iure sententiarum et philosophorum et iurisprudentum nostri temporis. Atque inprimis errat de *fine* legis et iuris positivi, quem docet esse libertatem *externam* agendi ab omni vi physica, finem autem legis et iuris *moralis* esse libertatem nobis *internam* a necessitate psychologica agendi ex motivo aliquo sensitivo. Iam vero libertas haec est quidem conditio, non autem finis legis, qui est pro iure positivo salus publica, pro iure morali perfectio propria et honor Dei. Deinde errat de *obiecto* iuris civilis, quod docet solum actiones externas hominum inter se respicere, legem moralem autem *motiva* omnium actionum dirigere. Sed ius civile etiam in conscientia obligat et nonnunquam motiva quoque actionum respicit, praesertim in poenis determinandis (cfr. §§ 211—213 codicis poenalis germanici ex anno 1871, et §§ 226, 937 codicis civilis novi ex anno 1900). Porro errat de *fonte* iuris positivi et legis moralis; hanc enim exsistimat oriri ex imperativo quodam categorico rationis sive voluntatis nostrae (cfr. supra p. 48), hoc ex vi coactiva auctoritatis publicae (cfr. supra p. 217 sq.). Denique errat de *obligatione* in iure positivo implendo; requirit enim meram legalitatem, i. e. externam legis executionem, etiamsi lex positiva repugnet legi morali; hanc autem ex puro eius amore et reverentia esse implendam, quod utrumque falsum est (cfr. supra p. 87, 145).

Hanc Kantii sententiam praesertim *G. Fichte* suam fecit ius positivum prorsus separans ab ordine morali, siquidem ius ad aliquam actionem per se immoralem esse posset, e. g. ius ad domum locatam et expulsionem pauperis locatoris tempore hiemis. Sed non distinguit inter *ius* et eius *usum*; ius potest adesse, quin tamen eius usus liceat iuxta illud: „Summum ius summa iniuria." Auctores scholae historicae: *v. Savigny et Stahl* voluerunt quidem relationem inter ius positivum et moralitatem retinere, imo ius positivum cum ordine et auctoritate divina coniungere studebant, negabant tamen, et ius naturale ex se validum esse et ius positivum a lege morali prorsus dependere, ita ut ei repugnare non possit, quin se ipsum destruat. Multi autem recentiores iurisprudentes, ut Stammler, Bergbohm, Eltzbacher etc., omnem relationem inter ius positivum et legem moralem negant, docentes in omni casu legi positivae esse obediendum, etiamsi esset lex iniqua [4]). Alii tamen et philosophi et iurisprudentes concedunt (cfr. supra p. 116), legi iniustae et iniquae non esse obediendum [5]), licet forte haec sententia cum eorum principiis vix conciliari possit.

[1]) Logik[2] II, 2, p. 545. [2]) System d. Ethik[5] II, 514. [3]) Cfr. K. Werner, Christl. Ethik, I, 380 sq. [4]) Cathrein, l. c. p. 159. [5]) Ita Wundt: „Das Ethische

Scholion: De distinctione inter ius *naturale, gentium, positivum* [1]). Veteres iurisprudentes romani triplex ius distinguebant: naturale, gentium, positivum. Naturale vocabant illud, quod ex necessitate naturae nostrae oritur; gentium, quod apud omnes gentes eodem modo invenitur; positivum, quod quaevis gens proprium habet ab aliis distinctum. Ius gentium autem, duce *Gaio*, ratione *materiae* suae tanquam pars iuris naturae habebatur, quia conclusiones ex eo continet, sed ratione *formae* suae iuri positivo tribuebatur, siquidem in legislatione gentium expresse continetur et poenis sancitur. Ita enim Gaius in Instit. I, § 1: „Omnes populi, qui legibus et moribus reguntur, partim suo proprio, partim communi omnium hominum iure utuntur; nam quod quisque populus sibi ipse ius constituit, id ipsius proprium est vocaturque ius civile, quasi ius proprium civitatis; quod vero *naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes populos peraeque custoditur vocaturque ius gentium*, quasi quo iure omnes utuntur. Populus itaque Romanus partim suo proprio, partim communi omnium hominum iure utitur." Atque hoc ipsum iam *Cicero* (de officiis III, 5) notavit, et verba Gaii in Institutionibus et Pandectis corporis iuris Iustiniani tanquam iuris principia transsumpta sunt.

Ex tempore autem *Ulpiani* ius naturale a iure gentium distinguebatur, et restringebatur, ita ut ius naturae illud solum significaret, „quod natura omnia animalia docuit"; hoc igitur hominibus et animalibus idem est, in quantum homo est *animal;* exempla adducuntur: relatio inter marem et feminam, inter parentes et filios, necessaria ad vitam procuranda. In quantum autem homo est animal *rationale,* alia iura habentur, quae solis hominibus competunt, e. g. emptio, venditio, hereditas, pactum etc. Patet autem, etiam hoc ius esse naturale, quia ex *natura rationali* oritur et conclusiones plus vel minus immediatas ex summis iuris principiis exhibet. Atque haec distinctio et interpretatio iuris naturalis et gentium recepta fuit in Iure canonico et est etiam doctrina *S. Thomae,* qui, provocans ad „Iuristas", ius naturale illud vocat, quod ex indigentia ipsa naturae nostrae *animalis* oritur; ius gentium, quod ex *ratione* nostra oritur et conclusiones necessarias ex principiis summis continet; ius autem civile sive positivum, quod ius naturale et gentium ad casus particulares applicat modo singulis gentibus proprio poenasque addit convenientes. Ita Aquinas ius proprietatis iuri gentium tribuit ac proinde iuri naturali, quod ex natura nostra rationali oritur, apud omnes gentes invenitur in legislatione expressum ac proinde etiam legibus humanis scriptis adnumerari potest [2]).

Haec igitur iuris naturalis et gentium acceptio communis fuit, testibus Suarez et de Lugo, usque ad XVII saeculum, saltem inter iurisprudentes. Sed ex illo tempore alia iuris gentium interpretatio orta est. Hoc enim nomine tunc significabatur illud ius, quod non necessarias conclusiones ex

---

schliesst von vornherein Rechtssatzungen aus, die direkt oder in ihren Folgen einen unsittlichen Inhalt bergen" (cfr. supra p. 109, nota 2).

[1]) Cfr. Cathrein, Moralphilosophie, 1904 [4], I, 539; idem Phil. Jhrb., 1889, p. 373 sq.

[2]) Cfr. S Theol. I, II, qu. 95, a. 4; II, II, qu. 57, a. 2 et 3. In V Eth. Nic. l. 12, ubi Aquinas ius naturale Aristotelis (πολιτικὸν δίκαιον φυσικόν) distribuit in ius naturale et gentium.

iure naturali deducit, sed valde *utile* est societati ac proinde ex consuetudine ortum et apud plerasque gentes in usu est. Hoc igitur ius gentium non iam pertinet ad ius naturale, sed ad ius positivum, cuius forte partem principalem atque digniorem constituit, attamen plus vel minus arbitrio principis vel legislationis subest [1]).

Liber secundus: De iuribus et officiis in specie.

Sectio I: Ethica individualis.

Caput I: De officiis erga Deum.

§ 1. De natura religionis.

I. *Notio religionis:* Officia nostra erga Deum comprehenduntur notione religionis. Religio igitur (a relinquere — Gellius, vel a reeligere — Augustinus, vel a religare — Lactantius, vel a relegere — Cicero) significat relationem nostram ad Deum auctorem, rectorem, consummatorem (finem) nostrum. Potest sensu *latiore* intelligi, et sic comprehendit totum ordinem moralem, cuius Deus fundamentum est et finis; sic quovis actu morali Deo servimus. Sensu *strictiore* illos actus significat, qui vel per se vel per ordinationem voluntatis ad Deum colendum directe tendunt. *Religio igitur illos actus liberos designat, quibus Dei cultus continetur. Subiective* denotat *actus cognoscendi,* quibus Dei exsistentia et perfectiones infinitae apprehenduntur, et *actus volendi,* quibus affectus in Dei infinitam perfectionem: maiestatem, omnipotentiam, sapientiam, sanctitatem, bonitatem, providentiam, iustitiam, exprimuntur. *Obiective* autem religio comprehendit illas veritates et officia, in quibus relatio nostra ad Deum eiusque cultus fundatur.

Errant igitur, qui religionem cum Kant, Hegel aliisque vel in sola mentis consideratione sive fide, vel in solo affectu voluntatis erga ens absolutum cum Schleiermacher, Jodl, Paulsen, Th. Ziegler aliisque collocant [2]), quia religio et mentem et voluntatem i. e. totum hominem simul occupare atque dirigere debet. Et certe, quomodo posset esse Dei clara cognitio ut auctoris et benefactoris nostri omnipotentis, quin affectus cordis et externa veneratio inde sequeretur? E contra, quomodo posset esse affectus pietatis, humilitatis, obedientiae in Deum, nisi clare a nobis cognosceretur, ut personalis, a mundo distinctus, nobisque aliquando beate possidendus? [3]) Profecto, Deus

---

[1]) Cfr. plura apud Cathrein, Moralphilosophie, 1904 [4], I, 547 sq.

[2]) Cfr. Cathrein, Moralphilosophie, 1904 [4], II, 5, 23 sq.

[3]) Eucken igitur in novissimo libello suo (Hauptprobleme der Religionsphilosophie der Gegenwart, 1907 (tres praelectiones Jenae coram theologis protestantibus habitae), sicut et in prioribus, immerito cum Kant reicit argumenta cosmologica et teleologica, quibus Dei *personalis* exsistentia probatur

pantheisticas impersonalis, quem Fichte, Schleiermacher, Strauss, Paulsen aliique recentes statuunt, non est amabilis neque venerabilis, sed terribilis, sine conscientia et amore, Kronos ille veterum, qui proprios liberos devorat; imo esset species Fetichismi, si quis summam rerum exsistentium ut Deum haberet atque veneraretur.

II. *Species religionis:* Religio a) ratione *perfectionis* distinguitur *vera* et *falsa*. Vera est, quae rectam de Deo cognitionem cultumque dignum ei exhibet. Falsa est religio, quae vel errat de Deo, eius natura sive perfectionibus, vel cultum Deo indignum i. e. immoralem vel superstitiosum ei exhibet, e. g. religio paganorum, qui plures deos eosque forma passionibusque humanis praeditos esse credebant, qui nonnunquam diis suis homines mactabant vel etiam impudicitiis eos venerandos esse censebant.

b) Ratione *status* distinguitur *naturalis* et *supernaturalis;* illa nititur cognitione rationis nostrae purae et habebatur ante revelationem divinam; haec fundatur revelatione divina, in veteri et novo testamento facta, et superaddit naturali altiorem modum cognoscendi per illuminationis gratiam, necnon perfectiorem modum operandi sub influxu gratiae inspirationis, finemque supernaturalem in Deo immediate intuendo et amando. Patet, nobis hic sermonem esse de religione naturali, quae per supernaturalem non destruitur, sed ab ea supponitur, sicut gratia naturam supponit.

(p. 8), religionem ipsam deducens ex necessitate vitae humanae intellectualis et ethicae, quae sine mundo aliquo spirituali („selbständiges Geistesleben") suprahumano esse non possit (vocat argumentum noologicum); religionem igitur in eo esse, ut homo huic mundo sive vitae spirituali impersonali, mundo immanenti se conformet eiusque particeps fiat (p. 28 sq.) — Sed non video, quomodo Eucken, Deum personalem a mundo distinctum non agnoscens, religionem veram possit statuere, imo quomodo Ontologismum Platonicum, ne dicam Pantheismum, effugere possit, licet eam reiciat, statuens illam vitam spiritualem in se subsistentem impersonalem, quae sit obiectum intuitionis internae, omni alia cognitione certioris. — Neque apparet, quomodo et qualis cultus principio illi spirituali, absoluto, impersonali, quocum homo realiter coniungendus sit, exhiberi possit. Defendit quidem religionem christianam tanquam omnium maxime efficacem atque universalem, attamen censet, eam pro nostro tempore purgandam esse a dogmatibus suis, praesertim a fide in divinitatem Christi (p. 84), in miracula et revelationem supernaturalem (p. 42 sq.); divinum illud, quod Christo attribuitur, in omnibus hominibus tandem producendum esse. — Illustrissimus auctor non videt, religionem christianam, si divinitate Christi et miraculis privatur, non iam esse christianam, quae olim mundum reformavit, neque iam efficacem fore, ad mundum iterum reformandum, quem auctor fatetur hodie gravibus erroribus et miseriis affligi, fide Christi reiecta. Similis est sententia „modernistarum", quos Pius PP. X in sua Encyclica „Pascendi dominici gregis" de die 8. Sept. 1907 reprobavit. Sic e. g. Le Roy: „On croit en Dieu, plus qu'on ne le prouve. A dire vrai, on ne le démontre pas: *on l'experimente, on le vit.* C'est ce que disait justement M. Leuba à propos d'une enquête publiée dans le Monist: „Dieu n'est pas connu: he is used" (cfr. La pensée contemporaine No. 1, 25. Octobr. 1907; Philos. Jhrb., 1907, p. 463 sq.).

c) Ratione *actuum* distinguitur religio *interna* et *externa;* interna comprehendit actus mentis et voluntatis nobis immanentes, quibus Deus colitur; externa autem continet actus a voluntate aliis potentiis nostris imperatos, e. g. oratio, habitus externus, inclinatio, sacrificia oblata etc.

§ 2. De exsistentia et origine religionis.

I. *Exsistentia religionis:* Religionem exsistere et semper in mundo extitisse, patet iam 1. *A priori;* nam constat, omnibus gentibus persuasum fuisse, Deum vel deos exsistere i. e. ens aliquod spirituale, invisibile, maxima sapientia, potentia praeditum, auctorem vel saltem dominatorem rerum humanarum (cfr. vol. II, 528 sq.). *Atqui* ratio ipsa docet, tale ens esse tum interne, tum externe venerandum, siquidem iam homines, e. g. principes, potentia et sapientia pollentes, simili cultu honorantur. *Ergo* certe religio aliqua exsistit.

2. *A posteriori* i. e. *ex testimoniis:* Constat enim ex historia et testimonio ethnographorum, nullam gentem fuisse vel esse sine religione [1]), quidquid aliqui Darwinistae et Materialistae falsis ideis de natura et origine humana praeoccupati dixerint. *Atqui* quod apud omnes gentes invenitur, debet esse quasi lex naturae humanae (cfr. vol. I, p. 228 sq.). *Ergo* religio exsistit semperque exstitit.

Et certe, apud omnes gentes etiam antiquissimas habentur simulacra, templa, sacerdotes, sacrificia, caeremoniae, orationes; e. g. apud Aegyptios, Babylonios, Indos iam saeculo tricesimo et ultra a. Christum; cogita monumenta praehistorica megalithica (ingentibus saxis constructa: Dolmen, Cromelech), ubique terrarum usque ad insulas remotissimas Oceaniae (Osterinseln) inventa, quae et mortuis sepeliendis et diis sacrificandis inserviebant [2]). Imo historia docet, religionem a gentibus antiquis fundamentum societatis regnorumque habitam esse, quod non solum testatur legislatio Mosaica, sed etiam legum collectio, quae a rege Hammurabi babylonico, a regibus Aegyptiacis aliisque facta est; omnes enim legislatores veteres testantur, a diis se leges accepisse. Neque bellum neque aliud negotium grave susceptum est, praesertim a Romanis et Graecis, quin oracula et haruspices interrogarentur et dii sacrificiis placarentur; quovis die diis penatibus a patre familias oblationes fiebant [3]). Quare *Plutarchus:* „Urbem templis diisque carentem, quae precibus, iureiurando, oraculo non utatur, non bonorum causa sacrificet, non mala sacris

[1]) Sufficiat testimonium unius ethnologi, cui omnes fere hodie consentiunt; sic Ratzel (Völkerkunde, 1894², I, 37): „Die Ethnographie kennt keine religionslosen Völker." Ibidem explicat, cur aliqui ethnologi decepti sint ex dissimulatione paganorum.

[2]) Cfr. Anthropos, 1907, p. 135 sq.

[3]) Cfr. Grupp, Kulturgesch. d. römischen Kaiserzeit, 1903, I. p. 1 sq.

avertere nitatur, nemo unquam vidit. . . . Facilius urbem condi sine solo posse puto, quam opinione de diis penitus sublata, civitatem coire aut constare"[1]). Neque aliud sentit *Cicero*: „Haud scio, an pietate adversus deos sublata, fides etiam et societas generis humani et una excellentissima virtus, iustitia, tollatur"[2]). Iam *Aristoteles*, auctor scientiae politicae, docuit, „primo loco ponendum esse (in civitate constituenda atque conservanda) rerum divinarum et caeremoniarum curationem, quam sacerdotium appellari[3])."

A. *Religiones hodiernae easque profitentes iuxta recentes statisticas ex anno 1890*[4]):

1. Christiani		549 017 000	=		35,7 %
		(hodie 588 000 000)			
Catholici	264 506 000		=	17,2	
	(hodie 272 000 000)				
Protestantes	166 627 000			10,8	
Graeci-Orthodoxi	109 147 000		=	7,1	
	(hodie 120 000 000)				
Rascolniken	2 173 000		=	0,1	
Orientales schism.	6 555 000		=	0,4	
2. Iudaei		11 037 000	=		0,7
3. Mohammedani		202 048 000	=		13,2
		(hodie 216 000 000)			
4. Brahmani		210 100 000	=		13,7
		(hodie 209 000 000)			
5. Rel. veteres Indorum		12 114 000	=		0,8
6. Buddhistae		120 250 000 (?)	=		7,8
		(hodie 138 000 000)			
7. Konfutse (Sinenses)					
Animismus defunctorum		235 000 000 (?)	=		15,3
		(hodie 231 000 000)			
8. Taoistae (Sinenses)		32 000 000	=		2,1
9. Schintoistae (Japonenses)		17 000 000	=		1,1
		(hodie 25 000 000)	=		
10. Pagani (Fetichistae)		144 700 000	=		9,4
		(hodie 137 000 000)			
11. Aliae religiones incognitae		2 844 000	=		0,2
		1 536 110 000			100,0

B. *Religiones distributae in nationibus praecipuis, annis 1897—1901*[5]):

	cathol.	protest.	iudaei	graeci-schism.
I. *Europa:*	177 657 261	97 293 434	8 542 438	97 059 644
1. Imperium germ.	20 321 441	35 434 782	586 948	
2. Austria	35 570 870	4 292 767	2 076 277	3 422 477

[1]) Cfr. vol. II, p. 529. [2]) De natura deor. I, 2, 4.
[3]) De re polit. VII, 8 (b, 10).
[4]) Cfr. Krose, St. aus M. Laach, 1903; Herder, Konversationslexikon, Art. Religion. Anno 1900 catholici 272 000 000 fere erant, protestantes, quibus omnes sectae adnumerantur, 170 000 000.
[5]) Cfr. Herder, Konversationslexikon l. c.

	cathol.	protest.	iudaei	graeci-schism.
3. Belgica	6 670 000	20 000	3 000	
4. Gallia	38 150 000	635 000	75 000	
5. Italia	32 300 000	70 000	40 000	
6. Hispania	18 220 000	20 000	1 000	
7. Britannia	5 500 000	36 000 000	120 000	
8. Helvetia	1 383 135	1 918 197	12 551	
9. Hollandia	1 790 161	3 068 129	103 988	
10. Russia	11 326 804	6 273 679	5 082 342	77 176 553

II. In *Asia:* cathol. 11 513 276; prot. 1 924 108; orthod. 12 034 149; schismatici 2 726 053; Iudaei 763 905; Mohamm. 154 000 000.

III. In *Africa:* cathol. 3 004 563; prot. 1 663 841; Iudaei 653 000; Mohammedani 40 000 000; pagani 132 000 000.

IV. In *America:* cathol. 71 350 878; prot. 62 556 967; iudaei 1 015 092; pagani 7 448 564; aliae religiones 1 394 512.

In *Statibus unitis:* cathol. 10 976 757[1]); prot. 58 000 000; iudaei 1 000 000; pagani 5 000 000. In *Mexico:* cathol. 12 380 245; prot. 40 445; iudaei 57; in *Brasilia:* cath. 14 179 615; prot. 143 743; pagani 600 000.

II. *Origo religionis:* Duplex hic oritur quaestio: Unde est religio in genere? unde sunt religiones, i. e. certae ac determinatae in specie?

1. *Negative:* Religio *in genere* non orta est a) ex *fraude* sacerdotum vel principum et legislatorum, ut iam veteres aliqui sophistae cum Euhemero, Kritia etc. censebant; nam fraus illa in legibus statuendis adhibita iam supponit fidem timoremque Dei, neque concipi posset, hanc fraudem ubique gentium adhibitam esse, quin detecta fuisset. b) Neque ex *admiratione* et *personificatione* virium naturae, ut E. v. Hartmann post Prodicum philosophum veterem, docet, adducens exemplum canis, cuius „religio" sit admiratio domini sui. Sed homines non vires naturae *materiales* et nobis *subditas*, sed earum dominum et rectorem venerabantur. c) Neque ex *timore* spirituum vel animarum defunctarum, ut post Lucretium „animismus" Spenceri, Tylor, Lippert docet; nam homines illos spiritus vel animas non habent tanquam deos, sed tanquam potentias hominibus plerumque inimicas ac proinde precibus, caeremoniis, sacrificiis placandas. Verum est, hunc cultum apud multas gentes quasi unicum esse ac proinde in religionem ipsam transisse. Sed praeter illos daemones et animas defunctas a plerisque Deus summus statuitur bonus atque omnium rerum auctor; constat enim, gentes hodiernas delapsas esse ex statu perfectiore, in quo monotheismus habebatur[2]). d) Neque ex *imaginatione vitae idealis* et *spe perfectae felicitatis*, ut post Feuerbach[3]), Paulsen[4]),

[1]) Iuxta statisticam 1905: 12 462 793.
[2]) Cfr. Borchert, Animismus, 1900, p. 44 sq. Froberger, Die Schöpfungsgeschichte der Menschheit in der voraussetzungslosen Völkerpsychologie, 1903; Waitz, Anthropologie der Naturvölker I, p. 167 sq. M. Müller, Vorlesungen über Ursprung u. Entwickelung d. Religion, 1881[2], p. 62 sq. Essays, II[2], 388.
[3]) Ges. Werke, VIII, p. 257: „Die Götter sind die wirklich gedachten Wünsche der Menschen." [4]) Syst. d. Ethik I[5], 392: „Die Religion eines Volkes ist die Spiegelung seines eigenen Willens in einer transzendenten Welt, in welcher das, worauf sein tiefstes Verlangen gerichtet ist, Wirklichkeit hat."

Wundt[1]) aliique censent; nam concipiunt quidem homines statum perfectiorem atque feliciorem in altera vita, non tamen est mera phantasia, sed persuasio argumentis solidis, ut mox videbimus, fundata. e) Neque Evolutionistarum, duce Spencer[2]), sententia admittenda est, primum *Fetichismum* (a portug. feitiço lat. factitius), i. e. venerationem rerum quarumlibet (ligni, lapidis, bestiae, imaginis etc.), quae a spiritu quodam possessae ac sacratae habebantur idola veterum, deinde *Polytheismum*, tandem *Monotheismum* religionem gentium fuisse vel esse; nam falso supponunt, homines a bestiis, vel ex statu bestiali, non religioso ascendisse. Deinde testatur historia, gentes olim unum Deum credidisse et paulatim ad Polytheismum, imo ad Fetichismum defecisse[3]) (cfr. vol. II, p. 561). Certe, historice probari nequit, gentes, quarum religionem usque ad tempora remotissima cognoscimus, ut sunt Babylonii, Indi, Sinenses, Aegyptii, Graeci, antiquitus Fetichismum coluisse, sed constat, eos ab initio Monotheismo et deinde Polytheismo adhaesisse, neque ad Monotheismum *ex se* rediisse, quia Monotheismus Iudaeorum et Christianorum non ex naturali evolutione, sed ex revelatione divina supernaturali ortus est. Gentes autem paganae hodie exsistentes omnes fere Fetichismo adhaerent, qui infimus gradus religionis ab Evolutionistis habetur, quum tamen ex systemate nunc saltem ad polytheismum vel monotheismum pervenisse debuissent, praesertim quum illa evolutio in sententia Evolutionismi pantheistici necessaria sit atque continua. Repugnant igitur facta historica ipsa systemati Evolutionismi.

Wundt, qui ipse est Evolutionista, contra Schultze, Spencer, Marett, Preuss aliosque Animismum docet priorem fuisse Fetichismo, i. e. homines prius conceptum animae formasse ex actibus vitalibus, praesertim vero ex somniis et spiritu in morte exhalato (Körper- Traum- und Hauchseele), deinde eos hanc animam in bestias et plantas proiecisse, unde Animalismus et Totemismus (Tierkult = origo hominum ex bestiis et plantis) ortus sit; denique animas sine corpore fingebant circuire, unde Manismus (Ahnenkult) et Daemonismus (Geisterkult) originem duxerit[4]). Quae sententia si solum *originem conceptuum* animae, spiritus, Dei psychologice per analogiam explicare vellet, non esset respuenda (cfr. vol. I, p. 356 sq. et supra p. 16); sed quum *ipsam religionis originem* hoc modo explicet, non est admittenda, quia et

---

1) Ethik[2], 48: „Religiös sind jene Vorstellungen und Gefühle, die sich auf ein ideales, den Wünschen und Forderungen des menschlichen Gemütes vollkommen entsprechendes Dasein beziehen.“ Et Völkerpsychologie, 1905, II, 1, p. 3: „Die letzte Quelle aller Mythenbildung, aller religiösen Gefühle und Vorstellungen ist die individuelle Phantasietätigkeit; jene Gebilde selbst aber besitzen durchaus den Charakter von Phantasieschöpfungen, die sich nur unter den Bedingungen des Zusammenlebens entwickelt haben.“

2) Cfr. Paulsen, qui ipse sequitur Spencer, Einl. in d. Philos., 1906[15], 291 sq.

3) Cfr. Willmann, Gesch. d. Idealismus, 1897, I, 241 et II, 41 sq. Borchert l. c.; Weiss, Apologie, 1890, II, p. 217 sq. Baumgartner, Gesch. der Weltliteratur, 1897, II, p. 14 sq. Dahlmann, Der Idealismus der indischen Religionsphilosophie, 1901, p. 33 sq. Morawski-Overmans, Abende am Genfer See, 1904, p. 93 sq. Deussen, Die Geheimlehre des Veda, 1907[2], hymni p. 3—6 unum Deum et creatorem mundi initio praedicant.

4) Völkerpsychologie, 1905, II, 1, p. 291 sq; II, 2, p. 139 sq.

rationi et factis repugnat, sicut praecedens sententia, ordinem ontologicum cum logico, i. e. originem ipsius rei cum origine eius conceptus confundit. Neque iuvat lex crescentis energiae sive heterogoniae (cfr. supra p. 19, 133) etiam in hac re applicata[1]), quia, teste historia, religio gentium potius regressus quam progressus faciebat, quod veteres ipsi testantur, praesertim Homero et Hesiodo exprobrantes, quod fidem veterum puriorem, genealogiis deorum inventis, corrupissent; ita Heraclitus, Herodotus, Xenophanes, Pythagoras, Plato, Cicero et alii[2]). Qui certe maiorem fidem merentur, quam Evolutionistae nostri temporis, quum initio generis humani plus 2000 annis viciniores fuerint. Gentes, revelatione divina non illuminatae, licet literis artibusque valde florentes, ut Babylonii, Assyrii, Aegyptii, Graeci, Romani, omnes Polytheismo, immo Fetichismo deditae erant, neque ulla *ex se* unquam ad Monotheismum pervenit[3]).

2. *Positive* religio in genere orta est: a) Ex naturali *mentis nostrae* inclinatione et tendentia ad causas rerum ultimas investigandas. Quum autem causae visibiles rerum ultimae non appareant, causa invisibilis spiritualis ad analogiam animae nostrae corpus moventis et vivificantis statuebatur, eaque sapientissima et potentissima, ut rerum ordo et magnificentia explicetur; porro in se una et a mundo distincta, ut unitas ordinis et imperium in mundi cursum retineri possit (cfr. vol. II, p. 561)[4]).

b) Ex *voluntatis nostrae indole*, qua ad ordinem moralem obligamur, non voluntate nostra vel aliorum hominum, sed ultimo per voluntatem divinam, hunc ordinem statuentem, protegentem, vindicantem; deinde ex desiderio felicitatis perfectae, quae in terra non habetur neque rebus finitis continetur; denique ex discordia inter virtutem et meritum in terra, quae requirit vitam futuram, in qua Deus bonos remuneret, malos puniat[5]). — Et hae sunt rationes potissimae, quibus Dei exsistentia probatur (cfr. vol. II, 480 sq.).

3. *Religiones vero gentium in specie*, quae historice apparent, ex diversis rationibus ortae sunt. Certum enim est a priori, homines primos, a Deo creatos, *unum* Deum eumque spiritualem cognovisse atque coluisse. Hoc etiam a posteriori probatur, quia in religionibus tum antiquarum tum recen-

---

1) Ibid. II, 2, p. 232.

2) Cfr. Weiss l. c. II, 242; Cicero, Tuscul. I, 26, 65.

3) Mohammedani Monotheismum a Judaeis et Christianis recipiebant; sed polygamia et servitute toleratis, adhuc hodie multos sibi conciliant. Unde Ratzel: „Der Islam bietet keine logischen Schwierigkeiten, und was er praktisch gebietet, dem ist mit einer gewissen lockern Breite nachzuleben. Die Gestattung der *Vielweiberei* und der *Sklaverei* verleiht ihm eine unvergleichliche Überlegenheit gegenüber dem Christentum.“ Facile igitur intelligitur, cur hodie multi coloni Europaei in Africa religionem Mohammedi christianae praeferant, cuius maxima usque hodie gloria fuit, quod polygamiam et servitutem, mala pessima paganismi, aboleverit.

4) Recte igitur Ratzel (Völkerkunde, I, 38): „Die Religion hängt überall mit dem tiefen Kausalitätsbedürfnis des Menschen zusammen, das für jedes Geschehen eine Ursache oder einen Urheber erspähen will. Ihre tiefsten Wurzeln berühren sich also mit der Wissenschaft und sind mit dem Naturgefühl tief verschlungen.“

5) Cfr. eundem Ratzel supra p. 19[2].

tium gentium vestigia monotheismi apparent[1], siquidem unum Deum principalem habent tanquam patrem et genitorem aliorum deorum et hominum (cfr. vol. II, p. 50). — Neve dicas, fuisse et esse gentes, quae ortum suum non a Deo, sed a bestiis (inde Totemismus), imo a plantis (Herero, Kaffern, Westafrikaner, Polynesier, Malayen, Eranier, Sioux, Karaiben, Südamerikaner), vel a lapidibus (Mexikaner) duxerint[2]. Haec enim deliramenta tandem secundum aliquos auctores ex Animismo et Fetichismo orta sunt, eo quod homines animas defunctorum vel daemones in iis rebus insidere et hominum sortes dirigere putabant. Animismus autem et Fetichismus tum tandem ortus est, quum idea Dei unius eiusque influxus in res mundanas iam obscurata erant. Melius tamen et facilius „Totemismus“ ille Indianorum et „Kobongismus“ Australiorum a multis explicatur ex familiarum consuetudine nomen a bestia vel planta vel lapide assumendi, ut ab aliis familiis distinguantur, quemadmodum apud nos ex saeculo demum 16 p. Chr. nomina familiis et personis propria ex loco habitationis, vel ex opificio, vel ex proprietate corporali, vel ex praenomine patris etc. formata sunt. Hoc modo probabiliter etiam insignia (Wappentiere) nostrarum gentium sive familiarum nobilium temporibus remotis orta sunt, quin tamen illis signis alia ratio ac symbolica, non ortus familiae ipsius tribuatur; nulla igitur ratio „Animismi, Totemismi vel Manismi“ adest. Potest tamen concedi, apud gentes feroces decursu temporis symbolum nominis familiae sacrum esse factum, ita ut et ipsa bruta, plantae, lapides, ex quibus nomen acceptum erat, huius honoris et venerationis participes effecta, non iam interficerentur neque comederentur, imo ut ab animabus proaviorum obsessa, nonnunquam tanquam parentes familiae suae (non generis humani) haberentur. — Accedit, quod quaedam res, sive viventes sive non viventes, ex quodam casu hominibus maxime utiles vel efficaces apparebant, unde quodammodo sacrae habebantur, quin tamen vel a Deo vel ab animabus defunctorum possessae crederentur, e. g. anseres et lupi in Capitolio Romano venerati[3].

Quomodo igitur gentes a Monotheismo primitivo defecerunt ad Animismum, Fetichismum, Polytheismum? Difficile sive impossibile est, causas speciales apud singulas gentes indicare, siquidem argumenta historica deficiunt et diversae apud singulas gentes videntur fuisse rationes huius defectus[4]. Possunt autem ad duos fontes principales reduci: ad *ignorantiam mentis* et *perversionem cordis*, quas rationes potissimas *s. Thomas*[5] necnon Cicero[6] optime explicant.

a) Ex *ignorantia mentis* factum est, ut homines causas rerum atque phaenomenorum indagantes, non usque ad ultimam causam ascenderint, sed

[1] Ita *Waitz* (Anthropologie der Völker, I, p. 167): „Bei allen Völkern, die man als Träger eines solchen Fetichismus zu betrachten pflegt, fehlt weder ein Naturmythus noch sogar Spuren eines freilich ganz von jenen rohern Bestandteilen überwucherten Monotheismus.“ Similiter M. Müller aliique; vide supra p. 232.

[2] Ratzel l. c. I, p. 55; Wundt, Völkerpsychol. II, 2, 81.

[3] Cfr. Borchert, l. c. p. 170 sq.

[4] Cfr. Drerup, Homer, 1903 (Weltgesch. in Charakterbildern) de religionis Graecorum origine p. 12 sq. [5] S. Theol. II, II, qu. 94, a. 4.

[6] De natura deor. l. II et III; cfr. Walter, Cic. phil. mor. § 18 et 19.

causas intermedias: vires naturae, solem, lunam, sidera, aetherem, aërem etc. tanquam divinas habuerint atque personificaverint (Naturmythus). Accedit, quod nonnunquam in somniis vel in quibusdam statibus extraordinariis corporis et mentis, ut sunt quidam morbi nervorum catalepsis, hysteriae, somnambulismi, hypnotismi, spiritismi, quaedam fiunt difficilia explicatu, quae influxui divino tribuebantur (oracula, haruspices, somnii in templis veterum). Porro poetae et artifices *symbola* quaedam virtutum sive proprietatum divinarum excogitabant, quae paulatim tanquam singulae personae divinae concipiebantur et cum diis ipsis confundebantur et consuetudine saeculorum confirmabantur. Neque inverisimile est, quosdam homines astutos coaevis suis nimis credulis fabulas quasdam tradidisse de rebus divinis, ut auctoritatem inde vel utilitatem et honores consequerentur; ita forte cosmologiae et genealogiae veterum Babyloniorum, Aegyptiorum, Indorum[1], Sinensium, Graecorum et Romanorum ortae sunt, necnon tantus deorum dearumque numerus inventus est, quas causas liber Sapientiae cap. 14 et 15 praeclare describit atque irridet (cfr. Rom. 1, 21 sq.). Porro polytheismus saepe ortus est ex eo, quod principes et gentes victrices deum vel deos gentium victarum etiam suos fecerint, ut gentes subactas magis sibi unirent, id quod maxime apparet ex historia Babyloniorum, Persarum, Graecorum, praesertim autem Romanorum, cuius signum adhuc exsistens est Pantheon Romanum[2]. — Denique ex quodam *anthropomorphismo* factum est, ut homines deos ad instar hominum sibi fingerent, corporibus praeditos, necnon deos et deas in familia quadam viventes, ut possint esse undique beati (cfr. vol. II, p. 555 et 561).

b) *Cordis autem affectibus inordinatis* effectum est, ut homines mortui sive ex amore superstitum, sive ex gloria operum perpetratorum, sive ex timore et metu potentiae eorum in numero deorum collocabantur, ita ut tandem unus Deus in oblivionem abiret. Ita heroes veterum Hercules, Theseus, Minos, Radamanthus etc. dii habebantur. Accedit, quod homines peccatis, passionibus malisque multis oppressi, in perpetuo versabantur timore, ubique in causas malorum incurrere opinabantur, omnia plena daemonibus esse credebant, unde tot incantatores et magi, tot idola, amuleta et vanae observationes, tum apud veteres tum apud gentes paganas hodiernas, imo etiam apud christianas, fide vera reiecta[3]. Neque mirum, quod gentes istae magis operam dabant daemonibus placandis, qui sortis nostrae omniumque malorum et mortis nostrae auctores censebantur, quam Deo vero colendo, quippe qui rerum humanarum expers atque ignarus haberetur, ita ut paulatim quasi ex

[1] Apud Indos pro *cultu liturgico* dii plures: Varuna, Indra, Agni, Mitra, Soma, Savitri etc. statuebantur, qui tamen iam in hymnis vetustis Rigvedae (l. I, 164; III, 55; X totus), praesertim vero in scriptis speculativis posteris Aranyaka (Waldbücher) et Upanishad unum esse (ekamidam) dicuntur, sicut sol unus universum mundum illustrat; nomina igitur sunt diversa, esse absolutum vero idem; unde non solum Henotheismus (Monotheismus indeterminatus), ut M. Müller autumat, sed Monismus absolutus apud Indos habetur (cfr. Dahlmann, Der Idealismus der ind. Religionsphilosophie, 1901; Laach. Stimmen). Plebs tamen usque hodie plures deos colit.

[2] Cfr. Drerup, Homer, p. 83 sq.; Lindl, Cyrus, p. 23, 111 sq.

[3] Cfr. Walter, Aberglaube u. Seelsorge, 1904, p. 50, 265 sq.

memoria hominum exciderit[1]). Denique s. Thomae assentiendum esse videtur, „causam consummativam" — alias usque modo enumeratas vocat solum „dispositivas" — fuisse influxum daemonum, „qui se colendos hominibus errantibus exhibuerunt, in indolis dando responsa et aliqua quae videbantur hominibus mirabilia faciendo; unde et (psal. 115, 5 dicitur: Omnes dii gentium daemonia"[2]) (cfr. Joh. 12, 31; 14, 30. Eph. 6, 12).

§ 3. De necessitate religionis.

Thesis XV: Cultus verus tum internus tum externus Deo debetur.

St. qu. 1. Cultum verum Deo exhibet, qui recte de eo sentit et hanc mentis persuasionem actibus voluntatis tum elicitis (internis) tum imperatis (externis) exprimit idque modo debito, qui tum hominis naturae simul sensitivae et rationali, tum Dei dignitati convenit.

2. Nobis adversantur omnes Atheistae, Deum negantes; deinde ii, qui Deum admittunt quidem, vel personalem vel pantheisticum, sed eum non alio modo nisi vita morali, non actibus specifice religiosis honorandum putant, ut multi recentes praesertim Pantheistae: Paulsen, Jodl, Wundt, Dühring, Dorner, Th. Ziegler[3]) aliique; denique ii qui admittunt actus internos voluntatis, reiciunt autem cultum externum, ut *Kant*[4]) eiusque fideles admiratores.

I. *Deo debetur verus cultus.*

Prob. 1. *Ex Dei infinita dignitate:* Cultus in genere oritur ex interna personae, cui cultus exhibetur, aestimatione et honore externo, qui huic aestimationi conformis est. *Atqui* Deum recte aestimare ac proinde honorare non potest, qui eum non recte cognoscit, ut exsistentem, personalem, a mundo distinctum, infinite sapientem, sanctum, iustum, bonum, providentem, quemadmodum qui patrem vel regem non ut talem, sed ut alium hominem agnosceret, eos minime recte aestimaret neque convenienter honoraret. *Ergo* cultus Deo exhibendus non potest esse quilibet, vel nullus, sed debet oriri ex vera Dei cognitione et honore ei conveniente, i. e. debet esse verus.

---

[1]) Borchert, l. c. p. 143, 159 sq.; W. Schneider, Naturvölker, 1885, I, 216 sq.
[2]) S. Theol. II, II, qu. 94, a. 4. [3]) Cfr. Cathrein, Moralphilos.[4], p. 17 sq.
[4]) Die Religion innerhalb der Grenzen der blossen Vernunft, praesertim: Viertes Stück: Vom Dienst und Afterdienst (!) unter der Herrschaft des guten Prinzips, oder von Religion und Pfaffentum (!), 1793, p. 205: „Ich nehme erstlich folgenden Satz, als einen keines Beweises benötigten (?) Grundsatz an: Alles, was ausser dem guten Lebenswandel der Mensch noch tun zu können vermeint, um Gott wohlgefällig zu werden, ist blosser Religionswahn und Afterdienst (!) Gottes." — Profecto, qui supponit quod probandum est, omnia probare potest. Nonne ad bonam vitam actus quoque religionis requiruntur tum interni tum externi?

2. *Ex natura nostra rationali:* Ratio postulat, ut omnes res eo modo aestimemus, quo merentur, ad quam aestimationem requiritur mentis recta cognitio et voluntatis debita conformatio. *Atqui* ratio humana recte applicata evidenter cognoscit, Deum exsistere et esse infinitae perfectionis, ac proinde aestimatione et honore maxime dignum, in quo consistit eius cultus verus. *Ergo* Deo verus cultus praestandus est.

3. *Ex paritate:* Apud omnes constat, nos parentes, principes et benefactores honorare debere: parentes reverentia, obedientia, amore; principes honore et obedientia; benefactores gratitudine et amore. *Atqui* Deus nobis est *parens, dominus, benefactor* sensu potiore, imo infinite veriore, quam terreni (cfr. vol. II, p. 425, 437, 440 sq.). *Ergo* Deo debetur verus cultus.

II. *Deo debetur cultus internus.*

Prob. 1. *Ex natura cultus in genere:* Cultus oritur ex actibus cognitionis, quibus praestantia alicuius personae apprehenditur, et perficitur actibus voluntatis, quibus haec praestantia libenter agnoscitur, approbatur, laudatur atque amatur. *Atqui* hi actus sunt interni. *Ergo* cultus Deo debitus est internus.

2. *Ex cultu vero in specie:* Deo debetur cultus verus. *Atqui* cultus, nisi esset internus, vel nullus esset, vel non verus, sed hypocrisis. *Ergo* cultus Dei internus esse debet.

3. *Ex absurdis:* Nisi cultus Deo isque internus praestaretur, deficeret norma ultima obiectiva moralis, deficeret lex moralis, deficeret sanctio legis moralis; nulla esset spes miseris, neque frenum perversis hominibus; nam haec omnia in cognitione Dei et obedientia sive reverentia et timore erga eum fundantur. *Atqui* debet exsistere norma ultima moralitatis, fundamentum obligationis et sanctionis moralis. *Ergo* cultus internus Deo exhibendus est.

III. *Deo debetur etiam cultus externus.*

Prob. 1. *Ex cultu interno:* Deo debetur cultus internus, ut probavimus. *Atqui* cultus internus sine aliquo externo a nobis ordinarie praestari non potest; externus enim est tum eius naturalis effectus, siquidem cogitatio et volitio motibus organicis sponte se produnt, tum eius confirmatio, quia actibus externis interni prolongantur atque fortiores firmioresque evadunt. — Et certe, quomodo posset infans sensus amoris et obedientiae erga parentes solum interne habere, quin externe eos manifestet? Profecto, parentes solis actibus internis obedientiae et reverentiae sine externis non contenti essent. *Ergo* a fortiori cultus Dei internus actibus externis manifestandus est.

2. *Ex natura nostra:* Constituti sumus ex anima et corpore, ac proinde etiam quoad corpus nostra in Deum religio exprimenda est, ut totus homo Deum colat, quemadmodum totus est a Deo creatus et ad Deum ordinatus. *Atqui* corporaliter hanc venerationem exhibere non possumus, nisi actibus quibusdam externis. *Ergo* etiam cultus externus Deo debetur.

3. *Ex historia:* Constat, omnes gentes Deum actibus externis coluisse, e. g. habitu corporis dimisso, prostrationibus, precibus, templis, statuis, simulacris, temporibus sacris [1]), sacrificiis, caeremoniisque multis. *Atqui* quod omnibus gentibus omni tempore commune est, „lex naturae putanda est“ (Cicero), i. e. verum atque legitimum esse debet. *Ergo* cultus externus Deo debetur. — Vide supra, quid de cultu externo *Plutarchus* dixerit (p. 229); neque *Aristoteles* affirmare veretur: „Qui ambigunt, utrum oporteat deos colere et parentes diligere necne, *poena* indigent“ [2]); neque quemquam latet, optimum quemque et in scientiis maxime versatum plerumque etiam piissimum in Deum fuisse (cfr. vol. I, 129^3, 255^3; II, 252).

Coroll.: Ex prima parte thesis sequitur, omnem *indifferentiam* religiosam esse reiciendam: a) *Theoreticam*, quae dicit, omnes religiones aeque bonas esse, quidquid aliquis de Deo cogitaverit [3]); unde Fetichismus et Polytheismus et

---

[1]) Werner, Christl. Ethik, III, 181, de hebdomate apud veteres.

[2]) Topic. I, 11 (105, a).

[3]) Ita Wundt (Völkerpsychologie II, 2, 233): „Begriffe wie „Monotheismus“ und „Polytheismus“ sind leere Zahlenschemata, nach denen sich der Wert einer Religion ebensowenig bemessen lässt, wie etwa der Wert einer Ehe nach der Zahl der Kinder, die ihr entsprossen sind. Nicht auf die Quantität, auf die Qualität kommt es an: eine Vielzahl guter Götter würde von höherm religiösen Werte sein, als ein schlechter Gott, auch wenn dieser den Vorzug haben sollte, der einzige zu sein.“ Similiter Paulsen (System der Ethik, I^5, 400): „Es macht keinen wesentlichen Unterschied, ob man solcher (göttlichen) Wesen mehrere oder nur ein einziges annimmt.“ Contra quos Gutberlet (Kampf um die Seele. 1903^2, p. 391) recte arguit iisdem rationibus, dicens monogamiam et polygamiam, imo concubitum promiscuum in se non differre, siquidem idem effectus haberetur. Numquid per se idem est, utrum plures principes iuris aequalis, an unus in eodem regno imperet? Profecto, bellum continuum vel anarchia inde oreretur. Deus, qui non est unicus, non est Deus, siquidem non esset infinitus (cfr. vol. I, 568; II, 559). Et certe, quis nescit, quid veteres de diis suis senserint, quibus passiones humanas: iram, vindictam, invidiam, discordiam, rixam, aemulationem, imo vitia pessima, tribuebant, ita ut Plato aliique veterum sapientes censerent, Homeri et Hesiodi fabulas de diis infantibus non esse tradendas, ne corrumperentur (cfr. vol. II, p. 561)? Multum igitur refert ad vitam instituendam, qualem quis de Deo habeat opinionem, qui nisi exsistens, infinite perfectus, omnisciens, omnipotens, iudex iustissimus et sanctissimus habetur, deficit et fundamentum et motivum efficacissimum moralitatis. — Adversarii igitur errant, quia falsum supponunt conceptum Dei et moralitatem a cognitione Dei independentem faciunt.

Pantheismus et Monotheismus idem essent, imo essent status religiosi, qui secundum Evolutionistas et Pantheistas (Schleiermacher, Hegel) necessario sunt percurrendi, quo nihil absurdius affirmari potest. An forte principis nihil interesset, utrum ipse lapis, arbor, bestia, an multitudo hominum, an individuum personale haberetur? Numquid Dei nil interest, utrum homicidiis, fornicatione, vanis superstitionibus, an pio corde et honestis ritibus colatur? Requiritur igitur, ut unusquisque Deum recte cognoscere studeat, ut recte eum colere possit. Qua in re qui suâ culpâ deficit, peccat in Deum; qui vero ex errore inculpato deficit, excusatur. b) *Practicam*, quae nullum cultum specialem Deo exhibendum esse censet, quia vita bona sufficiat neque Deus quidquam indigeat; ita praesertim Kant [1]) et post ipsum plerique recentiores ethici. — Sane, vita bona sufficit; sed ad vitam bonam pertinet inprimis, Deum colere, siquidem sine Deo, ut sub II supra vidimus, neque norma, neque lex, neque sanctio moralis haberi potest. *Religio igitur duplici modo pertinet ad ethicam: uno modo ut eius pars principalis, alio modo ut eius fundamentum.* Quisquis igitur religionem negligit, non potest vitam vere moraliter bonam agere, licit externe honestatem prae se ferat, imo opera magna praestet; sunt, ut ait Augustinus, grandes passus, sed extra viam [2]). — Porro Deus non indiget quidem nostro servitio, *sed nos indigemus Deo,* primum quia cultus Dei est officium nostrum naturale, sicut infantis est, parentes honorare atque amare; deinde quia sine cultu divino certe neque finem nostrum, i. e. felicitatem in altera vita, neque in vita hac pacem et quietem cordis consequi possumus. c) Denique apparet, immerito quosdam, duce Kant [3]), cultum ex-

---

[1]) (L. c. p. 181): „Religion ist die Erkenntnis aller unserer Pflichten als göttlicher Gebote“, ad quod explicandum addit in nota: „Kein assertorisches Wissen, selbst des Daseins Gottes nicht, wird gefordert. . . . Das Minimum der Erkenntnis: *es ist möglich,* dass ein Gott sei, muss subjektiv schon hinreichend sein. . . . Ausser den ethisch bürgerlichen Menschenpflichten (von Menschen gegen Menschen) sollen wir nicht noch Hofdienste annehmem. . . Es gibt keine besonderen Pflichten gegen Gott in einer allgemeinen Religion; denn Gott kann von uns nichts empfangen; wir können auf und für ihn nicht wirken.“ Similiter Fichte, eius discipulus: „Die lebendige und moralische Ordnung ist selbst Gott, wir bedürfen keines andern und können keinen andern fassen.“ Confundunt igitur religionem cum moralitate in genere, partem cum toto, vel etiam causam cum effectu, siquidem religio est fundamentum religionis.

[2]) Cfr. Cathrein, Religion u. Moral, 1900; Borchert, l. c. p. 215 sq.

[3]) „Von dem Opfer der Lippen an, welches ihn am wenigsten kostet, bis zu dem der Naturgüter, die sonst zum Vorteil der Menschen wohl besser benutzt werden könnten (! cfr. Joh. 12, 3 sq.), ja bis zur Aufopferung seiner eigenen Person, indem er sich (im Eremiten-, Fakir- oder Mönchsstande) für die Welt verloren macht (?), bringt er alles, nur nicht seine moraliche Gesinnung Gott dar.“ Quae affirmatio universalis certe iniuriosa est atque prorsus falsa. Quis enim magis sensum cordis exprimit: Ille, qui nihil facit, nisi se ipsum iustum praedicare, an ille, qui operibus et sacrificiis affectum cordis comprobat? Sane, Kantii religio valde commoda est atque hominibus mundanis maxime accepta. Audi, quid de oratione dicat eodem loco: „Ob der Andächtler (!) seinen statutenmässigen Gang zur Kirche oder ob er eine Wallfahrt nach den Heiligtümern in Loretto oder Palästina anstellt, ob er

ternum reicere dicentes, Deum tantum corda respicere. Sane, sine bona intentione et cordis puritate opera solum externa religionis nihil valent; sed quando adest bona intentio rectaque dispositio, illa opera externa certe Deo placent et ad *integritatem* religionis requiruntur. „Fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa. . . . Ostende mihi fidem tuam sine operibus, et ego ostendam tibi ex operibus fidem meam“ (Jacob. I, 2, 17—18).

§ 4. De actibus religionis [1]).

Actus religionis possunt sensu latiore accipi et strictiore. Sensu latiore omnes actus morales possunt vocari religiosi, quia ad finem nostrum nos conducunt, unde mediate sunt religiosi. Sensu autem proprio actus religiosi vocantur, qui directe tendunt ad Deum colendum, quorum igitur finis proximus, sive actus sunt eliciti ipsius voluntatis sive actus imperati aliarum facultatum, est cultus Dei. Hi autem actus possunt esse ordinarii et extraordinarii: illi sunt potissimum oratio et sacrificium; hi votum et iuramentum. Iam pauca de singulis dicamus.

A. *De actibus religionis ordinariis.*

I. *De oratione* [2]).

1. *Notio: Oratio est elevatio mentis et cordis ad Deum.* Requiritur igitur primum, ut cogitemus de Deo eiusque perfectionibus, secundo, ut affectus cordis in Deum secundum finem orationis excitetur; nam non sufficit mera cogitatio de Deo, e. g. in studio; imo haec posset etiam adesse ad Deum offendendum. Affectus autem cordis, ut sincerus sit et Deo dignus, supponit cognitionem de Deo rectam et veram.

2. *Species:* Oratio ratione 1° *obiecti* sive finis sui distinguitur a) *adoratoria,* quando de Dei perfectionibus: maiestate, sapientia, potentia, bonitate etc. cogitamus et de eis laetamur, Deoque gratulamur, eum adoramus nosque ei libenter subicimus; hoc maxime fit per meditationem. b) *Deprecatoria,* quando Deum precamur, ut

seine Gebetsformeln mit den Lippen, oder wie der Tibetaner . . . es durch ein Gebetsrad an die himmlische Behörde bringt, oder was für ein Surrogat des moralischen Dienstes Gottes es auch immer sein mag, das ist alles einerlei und von gleichem Wert“ (l. c. p. 207 sq.). Fidem in miracula, in mysteria, in sacramenta vocat superstitionem (Wahn), imo Fetichismum (l. c. p. 237 sq.), unde non mirum, quod ei a rege Borussiae decreto impositum sit, ne iam de religione disputet (cfr. vol. I, 292; Schirotsky, Zu Kants Schrift: „Die Religion etc., Phil. Jhrb., 1894, p. 295 sq.). Melius serte religiosiusque Schiller: „Gott nur siehet das Herz. Drum eben weil Gott nur siehet das Herz, Sorge, dass wir doch auch etwas Erträgliches sehen.“

[1]) Cfr. S. Thom. II, II, qu. 81—100.

[2]) Cfr S. Thom. II, II, qu. 83. Simar l. c. p. 248 sq.

bona quaedam sive animae sive corporis nobis concedat, sive mala, praesertim vero peccata et poenas, avertat. c) *Gratificatoria,* quando Deo gratias agimus pro beneficiis innumeris nobis collatis.

2° Ratione *modi* oratio distinguitur *interna,* quae solis actibus mentis et voluntatis exercetur; *externa,* quae etiam habitu externo (vultu, capite detecto, manibus iunctis, genibus flexis, prostratione facta) manifestatur.

3° Ratione *status* distinguitur oratio *privata,* quae quisque pro arbitrio suo fundit (matutina, vespertina, ad mensam, ante vel inter opera sua); *publica,* quae in coetu fidelium (in ecclesiis, diebus festivis) exercetur.

3. *Necessitas orationis:* a) Est enim functio omnino principalis religionis, in qua tota nostra relatio ad Deum exprimitur; b) omnia alia officia religionis oriuntur ex oratione eamque semper habent coniunctam, imo sine ipsa vix quidquam prodessent; c) oratio miro modo cor hominis elevat atque confortat, consolatur contristatum, erigit afflictum, modo sit *humilis, assidua, ex corde puro, plenaque fiducia* [1]) (cfr. psalmos Davidis); d) unde non mirum, orationem apud omnes gentes inveniri, praesertim deprecatoriam, internam et externam, privatam et publicam [2]), eamque tum certis diebus, tum quotidiana (mane, vespere, ante et post comestionem). Vix igitur intelligitur, quomodo a nonnullis philosophis christianis oratio, praesertim externa et publica, repudietur tanquam homine indigna [3]).

At nonne Deus omnia scit? Ad quid igitur oratio? Certe, Deus omnia scit, vult tamen nos precari, ut saepius de eo patre, benefactore, consummatore, cogitantes, affectu cordis elevemur a terrenis ad coelestia, ut perficiamur et digniores eius amore et beneficiis efficiamur, ut beneficia, precibus obtenta, magis aestimemus meliusque iis

[1]) Cfr. S. Alphonsus, Del gran mezzo della preghiera, 1759. Tillmann, Das Gebet nach der Lehre der Heiligen, 2. vol., 1874/77. [2]) Plura de hac re vide apud K. Werner, Christl. Ethik, III, 22 sq. et libros asceticos.

[3]) Ita Kant (l. c. p. 244 nota), qui quamvis orationem saltem internam non videatur prorsus reprobare, censet tamen, eum qui orat, praesertim externe, pudere, si ab aliis videatur. Profecto, Christus aliud sentit discipulos suos monens, ut semper orent, eosque ipse docens recte orare et exemplo et verbis suis („Pater noster“) Luc. 11, 1; 18, 1. Rectius certe, quam Kant eiusque admiratores, iam veteres de oratione sentiebant. Sic heroes orant apud Homerum saepe. Cfr. Hesiodus (Opera et dies, 71); Socrates (Xenoph. Hell., IV, 7, Oecon. c. 6; Memor. I, 3), Plato (Leg. X, 182, 901 sq.); Pindarus. (Olymp. XIII, v. 83). Liceat Iuvenalis recitare versus perpulchros (Satyr. X):

Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano:
Fortem posce animum et mortis terrore carentem,
Qui spatium vitae extremum inter munera ponat
Naturae, qui ferre queat quoscunque labores,
Nesciat irasci, cupiat nihil, et potiores
Herculis aerumnas credat saevosque labores
Et venere et coenis et plumis Sardanapali.

utamur gratiasque agamus; oratio igitur nos meliores reddit Deoque similiores magisque ei propinquos.

Sed numquid decreta Dei aeterna orationibus nostris non irrita facere atque miracula impetrare volumus? [1]) Nequaquam; Deus enim ab aeterno orationes nostras praevidens, eorum in decretis suis aeternis rationem habuit simulque constituit, eas eo modo exaudire, quo nostrae saluti et honori suo magis conveniat [2]).

II. *De sacrificio* [3]).

1. *Notio: Sacrificium est oblatio rei sensibilis homini pretiosae in honorem Dei per rei destructionem sive realem sive aequivalentem.* Requiritur igitur res sensibilis, ne sacrificium cum oratione confundatur; deinde res homini pretiosa, quae affectum cordis significare et quasi pro corde vitaque ipsa hominis vices gerere possit; porro res in Dei honorem destruenda vel saltem possessioni et usui hominum subtrahenda est, ut hoc modo significetur, eam Deo possidendam tradi a sacrificante, siquidem res oblata eius locum tenet; hoc modo se ipsum Deo vovet et quasi coram Deo annihilat. Sacrificium igitur est summus actus religionis.

2. *Species:* a) Ratione obiecti et modi distinguitur: sacrificium *cruentum,* si bestiae interficiuntur; *incruentum,* si nulla fit mactatio, sed si homines vel bestiae cultui divino perpetuo consecrantur, sive res non viventes (cibi, potus) Deo offeruntur (libamina). b) Ratione *finis* distinguuntur: sacrificia *impetratoria,* quibus auxilium divinum (bona impetranda, mala vitanda) imploratur; *placatoria,* quibus Dei ira propter peccata placatur; *gratificatoria,* quibus Deo pro beneficiis grates habentur. Character autem communis atque fundamentalis omnium sacrificiorum est manifestatio et adoratio divinae maiestatis.

3. *Necessitas:* 1^0 *Ex natura religionis:* Religio exprimit relationem hominis ad Deum. *Atqui* homo, si Deo infinito comparatur: a) nihil est nihilque habet a se, sed omnia a Deo, in cuius manibus est, omnique momento ab eo in nihilum reduci posset; b) omnia bona a Deo sperantur, quare aliquid hominibus carum ei offertur, ut alia dona maiora concedat; c) si peccata nostra considerantur gravia, mortem meremur et corporis et animae i. e. plenam annihilationem. *Ergo* haec relatio nostra ad Deum exprimenda est tum interne tum externe. Non autem potest neque debet exprimi per *realem* nostram destructionem, secus genus humanum periret; ergo

[1]) Ita Kant, l. c. p. 240 nota et alii post eum.
[2]) Cfr. Walter, Die Einwendungen des Rationalismus gegen das Gebet (Die Wahrheit [periodicum], 1899, p. 271 sq.).
[3]) Cfr. S. Thom. II, II, qu. 85.

per aequivalentem, vel homines vovendo cultui divino perpetuo, vel bestias mactando, vel saltem per symbolicam actionem offerendo res inanimatas haec nostra ad Deum relatio i. e. nostra absoluta dependentia est exprimenda.

2^0 *Ex historia:* Constat, apud omnes gentes fuisse et esse sacrificia, tum incruenta, tum cruenta bestiarum (hecatombae veterum apud Homerum [1]); imo veteres gentes, e. g. Galli, Germani, Graeci, Romani, Aegyptii, Babylonii, Phoenices, Indi, Mexicani, etiam homines, praesertim virgines et adulescentulos (Phoenices Astartae — Baal), Deo mactabant tempore belli vel calamitatis publicae, ut documenta historica testantur [2]) (Iphigenia). Unde illud Ovidii: „Cor pro corde precor, pro fibris accipe fibras, Hanc animam vobis pro meliore damus.“ — Credebant enim, in sanguine potissimum vitam animamque ipsam inesse, neque sine sanguine deos placari, neque peccata ablui posse (criobolium et taurobolium) [3]). Accedit, quod ubique terrarum templa sive loca quaedam sacra, necnon sacerdotes inveniuntur, qui statutis diebus et orationes et sacrificia pro populo offerebant et in magna apud gentes veneratione versabantur [4]). *Atqui* quod apud omnes gentes invenitur, ex aliqua naturae humanae necessitate ortum habere videtur. *Ergo* sacrificia pars integralis religionis esse videntur [5]). — Sed in sacrificiis praesertim apparet, quanti momenti sit, rectum Dei habere cognitionem, ne sacrificia ei fiant horrenda, ut apud veteres, qui caede hominum vel etiam fornicationibus deos suos coli atque placari posse credebant. Merito

[1]) Ilias, 6, 93; Odyss. 3, 8.
[2]) Cfr. Borchert, l. c. 185 sq.; Weiss, Apologie, II [2], 255, 277 sq.; K. Werner, l. c. III, p. 53 sq. Cfr. Jud. 11, 31 votum Jephte. Azthecae in Mexico quotannis 20 000 homines diis suis sacrificasse dicuntur; etiam Athenis et Romae quotannis ex vetere traditione certis diebus homines diis mactabantur (Weiss, l. c. p. 259 sq.). Hodie quoque a plerisque gentibus ferocibus, e. g. a Nigris in Africa, ab Oceaneis homines, praesertim hostes, diis offeruntur et comeduntur. Ratzel, l. c. I, p. 275, II sq.
[3]) Weiss, l. c. p. 288 sq. Borchert, l. c. p. 193 sq. Immerito igitur Lippert sacrificium repetit ex animismo, quasi anima hostiae mactatae diis comedenda ad modum cibi oblata sit. Neque melius Wundt illud derivat ex „Tabu“ i. e. ex timore daemonis rem aliquam insidentis, qui oblatione placandus sit (Völkerpsychol. II, 2, 330 sq.). Nam *primi* homines Deo non daemonibus sacrificabant, neque solum ad Deum iratum placandum, sed inprimis adorandum et deprecandum. Facile tamen eis concedi potest, „canibalismum“ i. e. morem gentium *aliquarum,* non omnium, carnes humanas manducandi, ex sacrificio cruento hominum ortum esse, si quidem gentes ad barbariem delapsae carnes hominum diis suis immolatorum, sicut et bestiarum, ex motivo religionis (unio cum Deo ineunda) comedebant. Erat igitur depravatio sensus religiosi per se legitimi.
[4]) Weiss, l. c. II, p. 298 sq.
[5]) Plura vide apud K. Werner, l. c. III, 40 sq.

igitur Socrates monebat Alcibiadem discipulum, nos Deum recte colere sacrificiis non posse, nisi ipso nos de hac re docuisset[1]). Immo etiam veteres gentes, forte traditione perantiqua edocti, exspectabant Deum venturum, qui passione et morte sua peccata hominum deleret et innocentiam restitueret[2]).

B. *De actibus religionis extraordinariis.*

I. *De votis.*

1. *Notio et divisio*[3]): *Votum definitur promissio Deo facta de bono meliore.* Est igitur *promissio*, quae obligat sub fidelitate, non solum propositum, quod facile negligitur, quia non proprie obligat, sed vim totam habet ex constantia hominis; deinde est promissio *Deo* facta, et per hoc fit actus religionis et specialem induit obligationem, valorem, sanctitatem; denique est de *bono meliore*, i. e. de actione, quae melior est quam eius omissio; secus talis promissio neque hominibus neque Deo placere posset. — *Obiectum* voti potest esse res aliqua Deo offerenda, e. g. Anna vovens filium nasciturum Samuel; vel actio aliqua in Dei honorem facienda, e. g. peregrinatio. *Finis* voti est bonum aliquod a Deo obtinendum vel malum declinandum.

2. *Proprietates* sive conditiones voti sunt: a) eius *possibilitas* tum physica, tum moralis; ad impossibile enim nemo se potest obligare; quodsi fecit vel ex errore vel ex insipientia, votum non obligat; b) eius *liceitas* tum ratione legis naturalis tum positivae, ut patet; c) eius *praestantia*; nam si melius est abstinere a voto, non iam Deo placere potest.

3. *Valor* voti in eo est, quod est actus religionis isque valde praecipuus, quia ferventior est atque praestantior, maioremque subiectionem, spem et fiduciam cordis supponit ac proinde firmiorem voluntatem Deo serviendi eumque honorandi exhibet. Unde apud omnes gentes vota Deo facta inveniuntur, praesertim vero in religione christiana, in qua vota tria solemnia habentur: obedientiae, castitatis, paupertatis, quibus votis homo se totum et pro semper Deo offert quoad bona corporis et animae, ita ut vix actus religionis, saltem ex parte hominis, *in se* praestantior esse possit[4]).

---

[1]) Alcibiades II, 150 sq.

[2]) Lüken, Tradit. des Menschengeschl., 1869², p. 336—441; Aeschylus, Prometheus vinctus, vv. 750 sq., 1025 sq. Plato, de republ. 2, p. 362. Virgilius, Ecloge IV, Horatius carm. I, ode 2, v. 29—32.

[3]) S. Theol. II, II, qu. 88, a. 2.

[4]) Matth. 19, 11 sq.; 19, 21—30. Marc. 10, 21. Simar, l. c. p. 281 sq.

II. *De iuramento.*

1. *Notio*[1]) *et divisio: Iuramentum est invocatio Dei ad assertionem vel promissionem confirmandam.* Invocatur igitur Dei omniscientia, qua scit, verum esse, quod dicimus, vel Dei fidelitas, quae tenet, quod promisit. Dei igitur omniscientia et fidelitas tanquam testis adhibetur ad fidem nobis faciendam. Ex his patet, distingui iuramentum *assertorium*, quo veritas enuntiationis confirmatur, et *promissorium*, quo fidelitas nostra in re facienda testificatur. — Porro distinguitur iuramentum *simplex* et *solemne*, prout privatim vel publice (in tribunali, militum, in constitutionem etc) fit. Nonnunquam accedit *exsecratio*, si iuramentum non sit verum.

2. *Conditiones* sive *proprietates* iuramenti sunt: a) *veritas*, qua iurans scit, verum esse, quod affirmat, vel se habere animum faciendi, quod promittit; b) *gravitas* rei, ne leviter Dei nomen et testimonium adhibeatur; c) *iustitia*, ne quid affirmetur sive promittatur contra bonos mores; tale iuramentum promissorium non esset exsequendum, e. g. se ulciscendi, aliquem interficiendi.

3. *Moralitas* iuramenti in eo est, a) quod quis Dei omniscientiam et fidelitatem sub debitis conditionibus publice profitetur, sicque Deum ipsum honorat; b) quod ordo socialis in rebus gravibus confirmatur, Dei auctoritate interposita, quia humana auctoritas saepe infirma est atque mutabilis. Nimium igitur Kant et post ipsum multi confidunt hominum veracitati, si iuramentum homine indignum habent. — Unde non mirum, iuramenta apud omnes gentes, teste Plutarcho, inveniri et sancta haberi[2]); apud Babylonios iudices quotidie iuramentum recte iudicandi renovare debebant. — Quodsi Christus et Christiani primis saeculis iuramentum reprobare videntur[3]), non agitur nisi vel de consilio vel de modo illegitimo iurandi. Immerito igitur aliquae sectae christianae, ut Pelagiani, Cathari, Waldenses, Fraticelli, Anabaptistae, Mennonistae etc., iuramentum reiiciebant.

At nonne iuramentis hodie in re forensi tam saepe usitatis eorum sanctitas minuitur, Dei honori detrahitur, imo multa periuria habentur? Certe, si iuramenta leviter et sine ulla reverentia adhibentur, ut nonnunquam fit, haec obiectio valeret, et iuramenta tunc potius abolenda essent; sed hic abusus rei in se bonae non tollit eius usum; secus etiam leges abrogandae essent, quia toties non

---

[1]) S. Theol. II, II, qu. 89. Simar, l. c. p. 271 sq.

[2]) Cfr. Cathrein, Moralphilosophie⁴, II, p. 41. Werner, III, p. 128 sq. Schmidt, Ethik d. Griechen, I, 97, II, 3 sq. Borchert, l. c. p. 198 sq. Ilias, III, 245; 278; XIX, 250 sq.

[3]) Matth. 5, 34 sq. Jac. 5, 12; cfr. Simar, Lehrbuch der Moraltheologie. 1893³, p. 274 sq.

observantur. — At nonne Atheistae coguntur contra suam persuasionem Deum inutiliter invocare? Sed propter paucos Atheistas leges christianae, imo humanae non sunt immutandae, quemadmodum propter anarchistas leges, quas reiciunt, non sunt abrogandae; neque quisquam, bona voluntate praeditus, serio Dei exsistentiam negabit[1]).

C. *De peccatis contra religionem.*

Omnia tandem peccata contra religionem sunt, quia Deum offendunt; sed quaedam modo speciali religioni repugnant, quia Dei honorem directe et formaliter destruunt. — Potissima sunt:

I. *Superstitio*[2]), quae Deum quidem colit, sed modo indebito, e. g. tribuens quibusdam formulis orandi vel agendi, vel quibusdam circumstantiis, e. g. oratio certis horis etc., sine ratione obiectiva effectum infallibilem, quasi Deus illis rebus cogi possit. Quando autem constat, sive per revelationem divinam sive per doctrinam Ecclesiae, quae est „columna veritatis," Deum certis quibusdam orationibus vel piis exercitiis gratias quasdam promisisse (e. g. indulgentias, remissionem peccatorum, gratiam sanctificantem per sacramenta, quae ex „opere operato" effectum producunt), non iam erit superstitio.

II. *Idololatria*[3]), quae cultum Deo vero et unico debitum rebus creatis sive visibilibus (Fetichismus), sive invisibilibus (Daemonismus), sive pluribus diis tribuit (Polytheismus). — Ab hac autem idololatria essentialiter differt honor quidam atque cultus, dictus „douliae," (cultus divinus vocatur „latriae"), qui sanctis ut amicis Dei et rebus modo speciali Deo dicatis tribuitur, non propter se, sed propter Deum. Differt igitur hic cultus douliae a cultu latriae divino: a) ratione *obiecti* formalis, quia Deus propter se, illa autem obiecta propter Deum coluntur; b) ratione *modi*, quia quidquid ex cultu douliae speratur, a Deo ipso speratur, utique per eius relationem ad obiecta cultus douliae, e. g. per preces et intercessionem sanctorum, sive per usum rerum, e. g. sacramentorum, cum quibus Deus gratiam quandam coniunxisse certo scimus. Fetichismus autem res ipsas putat daemonibus possessas esse, a quibus tanquam diis idololatrae gratias easque infallibiliter exspectant, Deo ipso neglecto; honor igitur Deo debitus rebus creatis eo indignis atque impotentibus tribuitur[4]).

[1]) Cfr. Göpfert, Der Eid, 1883, p. 191 sq. Joeppen, Die sittl. Erlaubtheit des Eides, 1887, p. 51 sq.

[2]) S. Thom. II, II, qu. 92 et 93. [3]) Ibid. qu. 94.

[4]) Vix igitur intelligi potest, quod Kant (l. c.) et post ipsum Wundt (Völkerpsychologie, 1906, II, 2, p. 8, 213, 225, 47, 476, 480 sq.) sacramenta ecclesiae Christi, venerationem sanctorum, crucis, reliquiarum „Fetichismum,

Quicunque igitur Deum unum personalem non admittunt, religionem tamen non prorsus abiciunt, necessario erunt idololatrae, rebus creatis honorem divinum tribuentes, sive mundo universo, ut Pantheistae et Hylozoistae, sive generi humano, quasi mundi visibilis apici, ut Comte cum Positivistis et Eudaemonismus socialis pantheisticos, sive hominibus quibusdam viribus ingenioque praestantibus, ut Hegel et post eum Progressistae pantheistici, necnon Nietzsche cum suis admiratoribus. Neque mirum, quod, Deo uno et vero relicto, hodie tanta superstitio et vana observantia inveniatur (dies, numeri nefasti, sortilegia, orationes superstitiosae, Gesundbeten, spiritismus etc.), vel potius veterum superstitio reviviscat[1]).

III. *Divinatio*[2]), quae mediis ineptis arcana vel futura revelare nititur, ut augures et auspices veterum, qui ex vocibus vel volatu avium, haruspices, qui ex intestinis victimarum futura praedicere tentabant; similiter, qui ex constellatione astrorum (astrologi), vel ex somniis divinabant, vel qui hodie ex cartis futura coniciunt (Kartenschläger). Neque ordalia medii aevi (immissio in aquam, in ignem, duellum) ad verum investigandum ex antiqua traditione recepta, ab ecclesia autem plerumque reprobata, carent superstitione[3]). Peccat igitur divinatio, quia, quod Deus solus scire potest, a rebus creatis vel mediis ineptis (non ratione, vel ex revelatione divina) sciscitur.

IV. *Magia*[4]), qua mediis ineptis effectus certi exspectantur, unde cooperatio aliqua daemonum, Deo invito, supponitur; sic magi veterum vel recentium paganorum morbos vel mortem depellere, vel pluviam producere tentant; sic spiritistae, si vera sunt phaeno-

relapsum in superstitionem veterum paganorum" habent, ignorantes differentiam essentialem inter cultum *latriae Deo soli* exhibitum et *douliae*, sanctis vel rebus sacris *propter Deum* tributum, ita ut omnis gratia a Deo solo exspectetur, per intercessionem tamen sanctorum. Numquid non licet, ministros regis vel etiam reginam honorare *propter regem ipsum?* Numquid regi iniuria infertur, si per intercessionem aliorum (ministrorum, reginae etc.) gratiam ab ipso expetimus? Numquid est vana superstitio, si imaginem vel aliud signum memoriae parentum vel amicorum pie domi conservamus, vel etiam nobiscum portamus, vel si imaginem imperatoris corona decoramus atque honoramus loco ipsius regis? Numquid superstitio est, rebus quibusdam per se inutilibus, ut sunt pecunia ex charta facta (Banknoten etc.) vel etiam aurum et argentum ipsum, valorem tribuere propter relationem mere extrinsecam quam habent ad res vere utiles, ut sunt nutrimenta, vestitus aliaeque res vitae ipsi necessariae vel utiles?

[1]) Cfr. Walter, Aberglaube u. Seelsorge, 1904. Simar, Der Aberglaube, 1879². W. Schneider, Der neuere Geisterglaube, 1885². Wuttke, Der deutsche Volksaberglaube der Gegenwart, 1869².

[2]) S. Thom. II, II, qu. 95.

[3]) Cfr. Walter, l. c. p. 71 sq. Kirchenlexikon, Art. Gottesurteile.

[4]) Cfr. S. Thom. II, II, qu. 97.

mena spiritismi (cfr. vol. II, p. 228 sq.), effectus extraordinarios per „spiritus“ producere se autumant.

V. *Irreligiositas*, si quis Dei veracitatem vel sanctitatem et iustitiam tentat miraculum poscens, sive ex dubio vero de Deo eiusque perfectionibus, sive ex arrogantia quadam et sine gravi ratione; ille parum, hic nimium de Deo praesumit.

VI. *Blasphemia*, si quis verbo vel mente Dei perfectionibus detractat, praesertim si ex odio Deo malum precatur [1].

VII. *Sacrilegium*, si quis res vel personas Deo sacratas verbis vel factis iniuria afficit, quemadmodum regem offendit, qui eius legatum, ministros vel imagines despicit.

Caput II: De officiis erga nos ipsos.

Praenotio: Duplex officium distinguitur: *iustitiae et amoris*; illud circa proximos versatur, hoc autem etiam circa nos ipsos. *Amare* autem significat alicui *velle bonum*, i. e. aliquid, quod eum secundum naturam et finem suum vere perficiat; haec autem affectio in bonum alterius debet proficisci ex motivo *benevolentiae*, non concupiscentiae sive purae utilitatis. Debemus igitur, ut amor sincerus sit atque verus, alteri propter se ipsum ex affectu cordis bonum velle atque etiam de facto conferre, quantum in nobis est et prout ordo amoris, i. e. rerum dignitas id exigit. Patet igitur, officia iustitiae nos non posse exercere in nos ipsos, saltem sensu proprio; attamen possumus et debemus nos ipsos amare; quare primum hoc nobis ostendendum est; deinde quale sit obiectum actusque huius amoris erga nos ipsos.

§ 1. De necessitate amoris proprii.

Thesis XVI: Amor ordinatus sui ipsius non solum licet, sed lege naturae nobis imponitur.

St. qu. 1. Amor ordinatus est amor benevolentiae, qui ordinem naturae servat, i. e. qui versatur circa res secundum dignitatem earum atque perfectionem, quam ex natura et fine suo habent, e. g. qui Deum plus quam homines, parentes plus quam alios, animam plus quam corpus diligit. Atque hic amor consistit tum in affectibus internis, quibus delectamur in obiecti amoris consideratione, tum in actibus externis, quibus hic affectus exprimitur et praesertim bonum amato procuratur.

2. Sunt, qui hunc amorem proprium reiciant idque ex diversis causis. Sic *Kant* ex doctrina sua de imperativo categorico omnem actionem ex amore sui ipsius reprobat tanquam immoralem; imo

[1]) Cfr. Werner, III, 190 sq.

signum moralitatis habet naturae nostrae reluctantiam. *Schopenhauer* amorem proprium reicit ut officium morale, quia iam ex naturae necessitate nos diligimus. Praesertim vero omnes, qui Eudaemonismum socialem vel Progressismum et Evolutionismum statuentes, *materiam* et *formam* (obligationem) moralitatis ex societate derivant; deinde ii, qui saltem *formam* moralitatis, i. e. obligationem ex legibus societatis repetunt, ut post *Thomasium* plerique iurisprudentes (cfr. supra p. 225); vel qui solam *materiam omnem* moralitatis in societate hominum suppeditari opinantur, ut *Stange* cum aliis (cfr. supra p. 55).

Prob. 1. *Ex natura nostra rationali.* a) *In genere:* Constat, naturam humanam, si comparatur cum aliis rebus sensibilibus, ratione *originis* (per creationem animae immediatam), *perfectionis intrinsecae* (rationalitatis, libertatis, moralitatis), *finis* (cognitio et amor Dei, immortalitas) omnibus rebus mundi praestare. *Atqui* est de natura boni, ut excitet aestimationem et amorem sui, et est de natura voluntatis nostrae rationalis, ut bonum ei placeat, ut amorem atque benevolentiam ei exhibeat eamque tanto maiorem, quo perfectius est bonum et dignius amore. *Ergo* ratio nostra ipsa dictat, naturam nostram diligendam esse idque magis, quam ullum aliud bonum sensibile. Neque solum natura humana abstracte spectata; nam natura abstracta non exsistit, sed humana natura concrete spectata atque individualis.

b) *In specie:* Si natura nostra in se ipsa consideratur, apparet miris facultatibus ornata: viribus materialibus, vita vegetativa, sensitiva, intellectuali, ita ut sit quasi speculum totius mundi (microcosmus inde vocatus iam ab Aristotele). Porro hae facultates inter se aptissime ordinatae sunt, ita ut una alii inserviat omnesque ad eundem finem conspirent, qui est perfectio hominis naturalis quoad corpus et animam. *Atqui* nullus homo rationalis harum facultatum praestantiam atque ordinem cognoscere potest, quin eas admiretur eisque delectetur, easque tum in se tum in ordine suo mutuo conservare et pro viribus perficere studeat, praesertim quum ad se ipsum pertineant suamque perfectionem atque felicitatem naturalem constituant. *Ergo* ordo naturae nostrae ipse postulat, ut eam magni faciamus atque toto corde diligamus.

2. *Ex morali necessitate:* Homo debet se ipsum diligere, si amor sui requiritur ad vitam moralem. *Atqui* revera hoc locum habet; nam qui se aestimat atque vere amat, abstinebit a multis peccatis, ne se ipsum deturpet et honorem coram aliis amittat. Qui vero non iam se ipsum, naturam humanam, dignitatem personae suae respicit, teste experientia, caret motivo valde efficaci ad malum vitandum et bonum faciendum, ut patet in viris et mulierculis vitio

deditis. *Ergo* amor sui, utique ordinatus, et licet et nobis moraliter necessarius est.

3. *Ex amore proximi:* Constat etiam apud adversarios, proximos nostros esse diligendos; imo in dilectione proximi totam collocant moralitatem. *Atqui* amor proximi sine amore sui ipsius haberi nequit; nam amor sui illius est a) *fundamentum;* neque enim naturam proximi cognoscere atque magni facere possemus, nisi nostram prius cognitam atque honore et amore dignam haberemus; b) *motivum;* nam motivum amoris proximi, si est verus amor, praecise est praestantia naturae ipsius in genere et in specie consideratae, quae eadem cognoscitur ac nostra; c) *mensura;* quum enim natura aliorum hominum eiusdem sit dignitatis ac nostra, apparet proximum eodem amore amplectendum esse, quo nos diligimus (Matth. 19, 19; 22, 39; Marc. 12, 31—33; Luc. 10, 27 sq. Rom. 13, 9; Gal. 5, 14; Jac. 2, 8). *Ergo* dilectio sui non solum licet, sed a lege morali nobis imponitur.

4. *Ex naturae nostrae indole:* Ea est naturae nostrae indoles, ut semper bonum nostrum sive verum sive apparens appetamus; et haec praecise est ratio, cur adversarii censeant, dilectionem sui homini praescribi non posse ut officium et actum moralem, quia iam ex naturae necessitate nos amemus (Schopenhauer). *Atqui* nobis bonum appetere idem est, quod nos amare. *Ergo* dilectio sui certe licet, quia nobis naturalis est et nobis imponitur, siquidem sine ipsa propriam perfectionem, quae sine bonis nobis convenientibus haberi nequit, nunquam consequi possemus.

At nonne haec naturalis tendentia mala est atque fons egoismi? (Kant). Certe, si haec tendentia non ratione dirigitur atque ordinatur, ut *vera* bona nobis appetamus, ut bona corporis subordinemus bonis animi, ut bonum proprium modo debito communi submittamus, esset immoralis; propterea dicimus, amorem sui debere esse *ordinatum;* tunc non solum non perversus est, sed omnino moraliter necessarius; neque tunc ex sola necessitate naturae oritur, sed ex ratione deliberante et voluntate libera, quae motus spontaneos naturales non satis ordinatos reprimit, legitimos autem non solum admittit, sed confortat.

Coroll.: Quum fundamentum amoris proprii sit natura nostra humana, patet, illos rectum amorem proprium et per consequens etiam amorem proximi vix habere posse, qui errant de natura humana, eius constitutione, origine, fine. Quicunque igitur cum Materialistis sentiunt, negantes discrimen essentiale inter corpus et animam, necnon libertatem humanam, omnem moralitatem deberent abicere solasque quaerere delectationes sensuales, appetitu naturali i. e. egoismo, amore sui inordinato prorsus absorpti atque devicti. Qui autem cum Pantheistis hominem habent Dei apparentiam, in se nihil, se ipsos quasi totaliter abicere deberent, omni amore proprio exuti, ut ab ente absoluto absorberentur, siquidem eis omne peccatum est ipsa individualis exsistentia. Qui vero cum Eudaemonismo sociali hominem *totaliter* a societate dependentem faciunt, quasi eius sit productum, destruunt dignitatem *personalem* hominis et cum ipsa fundamentum praecipuum amoris proprii legitimi. Quicunque autem hominem ab omni auctoritate et divina et humana independentem facit cum Nietzsche eiusque abmiratoribus, quasi Deum finitum, egoismum absolutum proclamat, qui omnem societatem destruit. Soli igitur illi, qui hominem habent animal rationale ab aliis rebus essentialiter distinctum, tum a Deo tum a societate humana certo modo dependentem, amorem proprium ordinatum explicare valent, quo homo ita se diligat, ut simul ordinem naturae in se ipso et erga Deum et homines servet.

§ 2. De obiecto amoris proprii [1]).

Praenotio: Obiecta amoris proprii distinguuntur *intrinseca* et *extrinseca;* illa ipsum hominem afficiunt et ratione duplicis partis humanae naturae distinguuntur: *bona corporis* et *bona animi.* Bona autem extrinseca sunt illa, quae vel causae vel effectus sive conditiones sunt bonorum intrinsecorum, ut sunt fama, honor, status socialis, divitiae etc. — Iam singula illa bona breviter consideremus.

I. *De bonis corporis.*

Bona corporis potissima sunt ipsa vita, sanitas et integritas corporis. Quaeritur inprimis, utrum vita nobis sit conservanda, an liceat aliquando pro arbitrio nostro vitam abicere. Unde statuitur:

A. *De vitae ipsius conservatione.*

Thesis XVII: Non licet sibi ipsi mortem consciscere.

St. qu. 1. Suicidium, quod in thesi reprobamus, est libera atque directa vitae destructio; qui igitur ex casu aliquo mortem obit, non facit suicidium, neque qui opus ei impositum peragit, licet praevideat, se interiturum esse, e. g. miles in bello; medicus, sacerdos pestiferos curantes.

2. Iam antiquitus fuerunt, qui suicidium defenderent, quando vita non iam videretur perferenda, praesertim Epicuraei et Stoici (Seneca, Epictetus, M. Aurelius, nonnunquam etiam Cicero etc.). Neque nostris saeculis desunt, qui saltem sub quibusdam conditionibus extraordinariis (in gravibus calamitatibus, quando nulla spes vitae melioris iam adest) suicidium permittunt; sic *Hume, Bentham, Schopenhauer, Dühring, Paulsen, Th. Ziegler,* praesertim vero *Nietzsche* [2]).

Prob. 1. *Ex natura suicidii:* Qui vitam directe destruit, eo ipso se vitae dominum adstruit. *Atqui* non sumus domini, sed solum administratores vitae nostrae, tanquam boni maximi nobis concessi, quo bene adhibito felicitatem aeternam meremur. Administratoris

[1]) Cfr. Simar, l. c. p. 297 sq.

[2]) Cfr. Cathrein, Moralphilos., II, 57. K. Werner, III, 280 sq. Stäudlin, Geschichte der Lehre vom Selbstmorde, 1824. Inhofer, Der Selbstmord, 1886.

autem est, bonum ei commissum diligenter conservare, usque dum dominus ipse suum bonum reclamet. Unde Plato [1]) et Cicero [2]) post Pythagoraeos hominem comparant cum milite, qui stationem i. e. vitam suam deserere non audeat, donec a praefecto militum avocetur. Deus autem per horrorem naturalem, quem omnes sentiunt suicidii, evidenter indicat, neminem ex se vitam dimittere debere. *Ergo* non licet suicidium.

2. *Ex eius causis:* Causae, ex quibus suicidium oritur, fere semper sunt inhonestae; sunt enim praeter insaniam: morbi graves, taedium vitae, passiones indomitae, vitia, aerumna, infortunia, discordia in familia (divortia), remorsus conscientiae, timor infamiae vel ipsa infamia ex peccato aliquo, alcoholismus etc. [3]). Oritur igitur in genere ex desperatione vitae felicioris ac proinde ex aliqua mentis et voluntatis debilitate morali sive ex quadam ignavia, ut recte ait Aristoteles [4]), non ex fortitudine et magnanimitate animi, ut aliqui Stoici cum Seneca [5]) sibi persuadere student. Iure enim Martialis [6]): „Rebus in angustis facile est contemnere vitam. Fortiter ille facit, qui miser esse potest." *Atqui* effectus, qui ex causis inhonestis *per se* sequitur, non potest esse honestus. *Ergo* suicidium non licet.

3. *Ex effectibus eius.* a) *Pro ipso se interimente:* Effectus suicidii, ex eo *per se* sequens, est privatio vitae, quae est fundamentum omnis meriti pro vita aeterna; hoc autem est quasi bonum infinitum tum ratione obiecti sui i. e. Dei ipsius, tum ratione durationis aeternae. *Atqui* nullum est bonum, quod suicidio acquiri potest, neque malum illud, quod se interficiens effugere studet, privationem vitae ratione meriti sui unquam compensare potest. *Ergo* suicidium est malum maximum, unde nunquam potest esse ratio sufficiens sese interficiendi.

b) *Pro familia et societate* [7]): Qui se interficit, familiae suae infamiam infert [8]) saepeque etiam damnum materiale; privat socie-

[1]) Phaedon, 62, b. [2]) De senectute, c. 20.

[3]) Cfr. Cathrein, l. c. 61; Paulsen, Syst. d. Ethik, 1905 [5], II, 120; merito addit: „Der Selbstmord ist in der Regel das unschöne Ende eines unschönen Lebens." Excusat tamen ipsum Judam Ischarioten, quia ex poenitentia mortem sibi intulerit, non autem per vitam luxuriosam peccatum suum oblivioni tradiderit, quasi meritum sit, quod Judas non adhuc gravius peccaverit; ita sane fere omne peccatum excusari posset.

[4]) Eth. Nic. III, 11: „Non est viri fortis, sed ignavi potius; mollis enim animi est, res aerumnosas et laboriosas fugere. At ille non ob id, quod honestum sit, sed quod malum fugere studeat, mortem subit."

[5]) Epist. 58 et 70; cfr. tamen epist. 117, 23, ubi aliud sentire videtur.

[6]) Epist. XI, 57. [7]) Cfr. S. Theol. II, II, qu. 64, art. 5.

[8]) Sic Sinenses domum aliquam contaminatam habent, ante quam quis sibi mortem intulit.

tatem membro aliquo, quod ei potuit esse utile; scandalum excitat atque horrorem, quia supponitur in homine se ipsum interficiente vel in eius familia defectus aliquis enormis. Unde non mirum, quod suicidium apud plerasque gentes crimen habetur et sepulturâ inhonestâ punitur; sic Graeci et Romani illud offensionem deorum et iniuriam civitati illatam habebant et reum sepultura privabant, id quod veteribus summa poena videbatur [1]).

At nonne suicidium et homini ipsi et eius familiae et societati potius utilitati est, si quis ex morbo incurabili laborat vel nulla spes sese a vitiis et scandalis convertendi affulget? — Potest utique aliquod bonum inde oriri *per accidens*, sed damnum, quod inde sequitur *per se*, hoc bono nunquam compensari potest; non igitur licet facere malum, ut bonum inde oriatur. Profecto, qui suicidio se vel suos liberat a malo physico (morbo, molestia, expensis), eodem actu et per se privat se ipsum et familiam bono infinite maiore i. e. merito aeterno, quod ipse mala fortiter perferens, vel familia aegrotum vel miserum, sicut decet, humano, imo christiano animo sustentans acquisivisset. Ipso calamitatis tempore hominis patientis virtus aliorumque amor proximus comprobatur; „virtus in infirmitate perficitur" (II. Cor. 12, 9.) — Qui autem de conversione sua desperantes, ut Judas Ischariot, sibi mortem inferunt, non solum possibilitate melioris vitae et meriti aeterni se privant, sed in peccatis suis morientes poenam aeternam incurrunt. Nulla igitur ratio sufficiens suicidii excogitari potest.

At nonne vita est beneficium, cui renuntiare possumus? Alioquin neque mortem mihi exoptare, neque vitam ipsam a damnis, e. g. a lapide coniecto tueri liceret, nisi dominium in vitam ipsam nobis esset (Hume). — Certe vita est beneficium, sed simul etiam officium, quemadmodum, qui administrator bonorum constitutus est, accepit quidem beneficium, sed simul ei incumbit officium bona fideliter administrandi; licet igitur bonis commissis uti, oportet ea conservare atque augere, non tamen ea ad libitum dissipare. Licet quidem sibi mortem exoptare, attamen non ex illis rationibus, ex quibus suicidium oritur, sed ex desiderio vitae aeternae in Deo, neque ita, ut quis sibi ipsi mortem consciscat, sed ut Deus, auctor et dominator vitae nostrae praesentis, meliore hanc commutet.

Scholion: Suicidium, quod nunquam in bestiis invenitur [2]), siquidem carent ratione et libera voluntate, in gentibus barbaris non est frequens. Iam inter veteres, praesertim temporibus ultimis a. Chr., multi sibi mortem inferebant. Medio aevo, omnibus fide christiana et religione penitus imbutis, suicidia rarissima erant. Crevit vero eorem numerus, ex quo fides coepit et moralitas decrescere, scientiis autem et artibus florentibus, praesertim ex saeculo decimo septimo. Nostro tempore, cultura externa miro modo propagata, religione autem et moralitate ubique decrescente, suicidia frequentissima sunt. Sic saeculo elapso enumerabantur 1 500 000 suicidia publice nota, quorum $1^1/_3$ Mill. in sola Europa; ultimo decennio quotannis in Europa 40 000. Sic

[1]) Werner, III, 287. Schmidt, Ethik der Griechen. II, 104, 441; Arist. Eth. Nic. V, 15.

[2]) Cfr. Pastor bonus, 1896, p. 28 sq.

statistica docet[1]), ex numero 1 000 000 habitantium hoc decennio quotannis sibi mortem conscivisse[2]):

I. In regno Saxonico	332	Austriaco	159	Hollandico	56
" " Gallico	222	Bavarico	135	Italico	55
" " Borussico	200	Belgico	118	Russico	31
" " Japonico	168	Britannico	84	Hispanico	21

II. Si religio consideratur, statistica docet mortem sibi intulisse:

		catholicorum	protestantium	iudaeorum
In regno Bavarico	(1870/1899)	88	209	171
" " Borussico	(1891/1900)	93	247	241
" " Würtemberg	(1872/1891)	126	182	163
" " Helvetia	(1881/1890)	132	280	—
" " Badensi	(1871/1900)	158	233	201

III. Si singulae provinciae regni Borussici considerantur, ab anno 1891 usque 1900 ex numero 1 000 000 habitantium mortem sibi intulerunt[3]):

	catholici	evangelici		catholici	evangelici
Ostpreussen	70	159	Sachsen	153	313
Westpreussen	56	208	Schleswig-Holstein	362	306
Berolini	225	286	Hannover	104	223
Brandenburg	268	284	Westfalen	64	141
Pommern	140	173	Hessen-Nassau	140	217
Posen	49	173	Rheinland	72	180
Schlesien	139	371	Hohenzollern	124	710

Ex his tabellis apparet, numerum suicidiorum apud evangelicos $2^1/_2$ies maiorem esse quam apud catholicos, saltem in provinciis, in quibus catholici praevalent; sic in Ost- et Westpreussen, necnon in Posen, Westfalen, Rheinland, ubi $^2/_3$ habitantium sunt catholici. Ubi vero evangelici longe praevalent, crescit numerus suicidiorum etiam apud catholicos inter illos dispersos et cura animarum saepe privatos, e. g. in Schleswig, Berolini, Brandenburg etc.

In *Italia* fere tota catholica in provinciis, ubi religio decrescit, inter 1 000 000 habitantes 60—100, in provinciis, ubi fides et mores adhuc vigent, licet incolae plerumque pauperes sint, multo pauciora suicidia habentur; sic in Apulia 30, in Calabria 20, in Basilicata 10. Patet igitur, religionem et mores maxime influere in numerum suicidiorum huncque mensuram fere exhibere status religiosi atque moralis alicuius regionis. Neque audiendus est Oettingen aliique qui, concedentes magnam differentiam quoad numerum suicidiorum in regionibus catholicis et protestantibus, eam explicare nituntur ex „maiore individualitate et autonomia religiosa sive ex maiore conscientia morali" evangelicorum[4]); nam qui Deum timet et bonam habet conscientiam, facile tentationi se ipsum interimendi resistit.

[1]) Cfr. Konversationslexikon, Herder, VII (1907): Art. Selbstmord; porro Rost, Der Selbstmord als sozialstatistische Erscheinung, 1905; Krose, Selbstmord im 19. Jhrh., 1906; Ursachen der Selbstmordhäufigkeit, 1906.

[2]) Numeri apud Krose ab anno 1891—1900 nonnunquam paulisper ab his differunt.

[3]) Krose, Die Ursachen der Selbstmordhäufigkeit, 1906, p. 148.

[4]) Cfr. Walter, Sozialpolitik u. Moral, 1899, p. 235 sq. Krose, l. c. p. 161 sq.

B. *De vitae corporalis perfectione.*

I. *De corporis integritate.* Quum non domini, sed potius administratores bonorum corporis nostri simus, non licet nobis corporis integritatem laedere membra amputando, nisi fiat ad maius bonum retinendum, ut sunt virtus conservanda, vita nostra vel aliorum tuenda. Unde non licet, ad utilitatem quandam acquirendam, e. g. ad mendicandum, vel ad damnum aliquod extrinsecum vitandum, e. g. ad militiam avertendam se mutilare.

II. *De corporis sanitate.* Quum sanitas sit maximum bonum corporis et conditio praecipua ad officia status explenda, patet, sanitati esse consulendum, primum *negative,* evitando omnia, quae sine necessitate ei damnum afferre possent. Dico sine necessitate; nam potest esse, ut conditio nostra laboresque nobis incumbentes sanitati obstent, quin tamen haec damna cavere possimus, e. g. milites, operarii in quibusdam fabricis et fodinis. Deinde *positive,* prospiciendo sanitati adhibitis nutrimentis aptis et sufficientibus, necnon relaxatione *statui nostro conveniente.* Ex hoc autem non sequitur, *abstinentiam* non esse faciendam; haec enim, si moderata est, neque vires neque sanitatem graviter laedit, tum vim mentis voluntatisque auget et libidines coercet, tum etiam corpori ipsi saepe prodest illudque consolidat firmatque, ut patet in hominibus abstinentibus longaevis (e. g. Carthusianis)[1]). Non tamen tenemur, operationem periculosam, sive valde dolorosam, vel pro facultatibus nostris nimis sumptuosam subire ad sanitatem restituendam.

III. *De vestitu.* Vestitus ex triplici fine adhibetur: 1. Ad corpus et sanitatem tuenda contra iniurias temporis, quare neque nimium neque parum indumenti adhibendum est, ne corpus emolliatur, neve detrimentum capiat. 2. Ad honestatem servandam, unde inhonesta et quae aliis occasionem peccandi vel tentationis esse possent, contegenda sunt. Multum vero in hac re dependet a statu civilisationis et publicis moribus. 3. Ad decus naturale corporis, quod statui et facultatibus nostris est conformandum, ut tum vanitas tum rusticitas evitetur; „amictus enim corporis . . . enuntiat de homine" (Sirach, 19, 27).

II. *De officiis quoad bona animae.*

A. *De bonis intellectus.*

1. *Ratione finis ultimi:* Quum finis hominis ultimus sit Deum cognoscere atque amare in vita futura, hoc nobis officium incumbit omnium maximum, ut finem nostrum cognoscamus; oportet igitur

[1]) Cfr. Foerster, Jugendlehre, 1904, p. 25. Moeser, Das kirchliche Fasten- und Abstinenzgebot (Frankf. zeitgem. Broschüren) 1907.

inprimis veritates fundamentales religionis et media necessaria ad finem ultimum discantur; quare ignorantia culpabilis circa finem ultimum vel etiam omnis indifferentia gravissimum est peccatum, siquidem nos privat fine ultimo. — Omnibus autem iam inest tendentia naturalis has veritates cognoscendi, sine quibus Seneca censet „non fuisse operae pretium nasci" (cfr. vol. II, p. 471).

2. *Ratione finis proximi:* Finis proximus hac in terra est operatio homine digna; quare inprimis indoles nostra cognoscenda est, ut *statum* ei convenientem eligamus, in quo vires sive corporis sive animi exerceantur atque adhibeantur. Porro operationes et officia status nostri bene cognoscenda sunt, ne nobis sive aliis damnum inferamus, utque delectationem illam naturalem experiamur, quae cum omni operatione modo perfecto exercita coniuncta est. — Sed praeter illa, quae ad officia status nostri *necessaria* sunt, alia *utilia*, vel etiam *iucunda*, occasione data, discenda sunt ad animum magis excolendum atque recreandum, modo ne delectatione rerum iucundarum seductus officia necessaria negligat. Per scientiam enim homo vires naturae scrutatur sibique quasi subditas efficit, ita ut vere dominus mundi visibilis evadat, et secretis naturae investigatis, maiorem in diem cognitionem Dei eiusque perfectionum acquirat. Tota enim natura dux ei est et scala ad coelum ascendendum; omnis igitur progressus scientiarum hominem provehit ad finem suum ultimum.

B. *De bonis voluntatis.*

Officia quidem omnia, etiam ea quae versantur de aliis hominibus, pertinent ad voluntatem nostram; hic tamen solum ea considerantur, quorum obiectum est ipsa voluntas eiusque perfectio.

1. Primum igitur officium videtur esse, ut homo appetitum spiritualem ipsum ordinet per virtutem *rectae aestimationis et dilectionis sui ipsius*, quae efficit, ne homo ex una parte se quasi abiciat et bestiis comparetur, et ex altera parte, ne ultra naturam suam et conditionem personalem se exaltet. Haec igitur virtus tam difficilis, veteribus quasi ignota, a christianis vocatur *humilitas*, praesertim si relatio nostra ad Deum creatorem, gubernatorem, iudicem, consummatorem nostrum spectatur; vocatur *modestia*, quando ordinat relationem nostram ad alios homines (in conversatione, habitu, gestu etc.). Vitanda igitur omnis superbia cordis et arrogantia in conversatione cum aliis sive aequalibus sive subditis.

2. Deinde voluntatis est, etiam appetitum *sensitivum* refrenare idque primum ratione *nutrimenti:* cibi et potus; hoc fit per virtutem *temperantiae*, qua necessaria et utilia ad vitam et sanitatem corporalem sustentandam et perficiendam adhibeamus, superflua autem

vitemus. Vitanda igitur omnis species gulae et intemperantiae. Quin imo oportet nonnunquam renuntiemus etiam licitis, ut libidines obtundantur et vis animi crescat[1]).

Non igitur abstinentia *propter se solam* aestimanda atque exercenda est, sive ad vanam gloriam capiendam, ut Pharisaei (Matth. 6, 16; Luc. 18, 12), sive ex vana opinione Manichaeorum, Buddhistarum, Neoplatonicorum[2]) etc., quasi corpora in se esset mala, vel in eis natura ipsa divina vel anima defunctorum inesset, ut Brahmani, Pythagoraei, Gnostici censebant, necnon multae gentes barbarae veteres et recentes (inde abstinentia a quibusdam bestiis vel plantis — Tabu). Sed consideranda est ut medium ad finem, i. e. ad animam purgandam atque perficiendam iuxta illud Ciceronis: „Ratio praesit, appetitus obtemperet[3])." Quare unusquisque eam pro conditione sua exerceat: non nimiam, ne animus succumbat, viribus corporis fractis; non nimis parcam, ne corpus emolliatur et animum opprimat, iuxta illud: In medio virtus. Immerito igitur quidam recentes ethici[4]) „ascesim" omnem reiciunt quasi homine culto indignam sive inutilem; imo vero ea nulla forte aetate magis necessaria erat, quam hac nostra.

Deinde ratione *propagationis* necesse est libidines carnales vincere per virtutem *castitatis*, ne extra matrimonium legitimum actus venerei exerceantur et proles nascatur; in matrimonio vero omnia

---

1) Hodie praesertim *alcoholismus* innumera damna gentibus infert; sic anno 1905 a quovis habitante (mulieribus et infantibus *inclusis*) in *Germania* 143,23 Liter (7,31 vini, 129,43 cerevisiae, 6,49 vini distillati); in *Anglia* 128,79 L. (1,23 v., 123,42 c., 4,13 v. d.); in *Gallia* 194,22 L. (153,49 v., 34,06 c., 6,22 v. d.); in *Austria* 89,81 L. (15,87 v., 64,94 c., 9 v. d.); in *Helvetia* (1904) 112,67 L. (43,14 v., 64,94 c., 4,59 v. d.); in *Italia* 85,95 L. (84 v., 1 c., 0,95 v. d.); in *Statibus unitis Americae septemtrionalis* 83,60 L. (1,59 v., 76,29 c., 5,72 v. d.). Pro hisce 8 000 000 000 fere Liter potus alcoholici apud nos quotannis plus quam 3 000 000 000 M. expenduntur, duplo fere plus quam expensae pro omnibus necessitatibus publicis totius imperii Germanici (pro exercitu, scholis, servitiis publicis — Post — Eisenbahn — pro assecuratione infirmorum et invalidorum, pro sustentatione pauperum etc.). Pro carnibus autem et piscibus nonnisi 1 800 000 000 M. quotannis apud nos expenduntur. Potus frequentes alcoholici diminuunt vires et corporis et animi, sunt causa multorum morborum et pro ebrio et pro eius prole, necnon mortis praematurae ($^1/_{10}$ fere morientium), insaniae (pro diversitate locorum 10—40 %; quotannis 30000 fere in Germania), criminum, praesertim contra vitam et castitatem (58 % ex 180 000 quotannis in Germania), tertiae fere partis omnium suicidiorum. Iure igitur ubique associationes ad hoc periculum ingens alcoholismi depellendum formantur. Cfr. Hoppe, Die Tatsachen über den Alkohol, 1901[2]; Der Alkoholismus (Aus Natur u. Geisteswelt, 103 et 104), 1905; Haw, König Alkohol, 1904, ubi multos invenies auctores de hac quaestione citatos necnon remedia multa proposita. Vide etiam multa de hac re bene dicta apud Paulsen, System der Ethik, 1900[5], II, p. 31 sq.

2) Cfr. Werner, l. c. III, p. 310.

3) Lege multa Ciceronis dicta de hac re apud Walter: Ciceronis philosophia moralis, Pragae, 1878.

4) Chamberlain, Loofs, Dorner, Herzog, Rothe, Mc. Cabe etc.; vide Weiss, Apologie, 1905, V, p. 368.

omittantur, quae ex sola delectatione carnali fiunt neque ad finem matrimonii ordinari possunt. Quod ut fiat, etiam sensus, praesertim phantasia, oculi, aures, tactus, cohibendi sunt, ne in gravem tentationem nos inducant (Job 31, 1)[1].

Iure miraberis, multos ethicos recentiores vix verbum dicere de castitate tum extra tum intra matrimonium servanda, sive ex funesta quadam conniventia cum vitiis nostri temporis, sive ex falsa sua opinione, omnem moralitatem esse socialem et individuum pro se esse „autonomum". Immo sunt, qui cum Höffding censeant, castitatem esse virtutem aetatis praeteritae, hodie antiquatam. Quid quod E. v. Hartmann ingenue fatetur, iuvenes sequentes moralem „autonomam" non iam castos fore neque feminas dolores partus subituras esse?[2]). Esset revera finis mundi, quem pessimismus praedicit. Iure igitur religio christiana castitatem tanti facit, quia in ea *vis animi* maxime elucet, neque solum *sanitas* corporis, sed etiam *securitas* familiae, imo civitatis fundatur. Sapientissime etiam votum castitatis laudat atque confirmat, ut ipso facto ostendat, castitatem perpetuam non solum possibilem esse, sed in ea maximam animi quietem atque fortitudinem inveniri, eamque generi humano utilitatem inaestimabilem conferre, siquidem viri et virgines, votis castitatis emissis, saluti societatis humanae melius pleniusque se devovere possunt, ut vita heroica ostendit missionariorum et sororum misericordiae. Homines autem molles et sibi et societati damno sunt atque ruinae[3]). — Hodie moribus maxima imminent pericula theatris, musaeis, libris, imaginibus

[1]) Plura de hac re vide apud Noldin: De sexto praecepto et usu matrimonii, 1905 [8].

[2]) Cfr. Gutberlet, Ethik u. Religion, p. 141; Bureau, La crise morale, 1907 [2], p. 349 nota: „Serait-il indiscret de demander à M. Payot (inspector academiae et auctor paedagogici periodici „Le volume", cfr. vol. I, p. 314) en particulier et aux divers auteurs des Manuels de morale laïque en général pourquoi leurs ouvrages gardent si obstinément le silence sur la morale sexuelle, sur la règle des mœurs hors mariage et dans le mariage? On recommande chaudement l'usage du savon et de l'eau et on prescrit de „nettoyer les oreilles avec grande précaution", sans oublier „les replis du pavillon, ni les sillons disséminés par derrière", et on ne dit rien de la chasteté, ni de la pureté." Quid quod nuper (Germania 1907, Nr. 262) medicus Blaschko, statistica innixus, affirmat, ex 100 morbo venereo aegrotis Berolini operariorum 6 %, negotiatorum 16 %, studentium gymnasiorum et academiarum 25 % (!) esse infectos, quare studentibus continentiam ut corporis sanitati faventem enixe commendat. Non igitur mirum esse potest, quod in aliquibus nationibus „cultis" populatio non crescit pro numero matrimoniorum propter vitium „Malthusianum". Hoc praesertim in Gallia locum habet, ubi ex anno 1851—1906 populatio crevit a 35—39 Mill.; in Germania vero a 35—60; in Austria a 30—48; in Britannia a 27—43; in Italia a 24—33 Mill. Anno 1904 in 36, anno 1905 in 44 provinciis Galliae numerus mortuorum superabat numerum natorum, praesertim in provinciis, in quibus religio non iam viget (Bureau, l. c. p. 53 sq.; Pierret, L'esprit moderne, 1903, p. 368 sq.); unde triste illud: La France se meurt! Ceterum idem vitium in omnes nationes „cultas" irrepere coepit, ut statistica docet.

[3]) De voto castitatis in ecclesia Christi vide Werner, I, p. 395 sq. Ibidem III, 324, 328 de vitio impuritatis apud paganos; porro III, p. 333 sq. de insti-

et statuis obscoenis, ita ut uniones quaedam ad mores publicos tuendos ortae sint.

Sunt, qui abstinentiam sexualem cum Luthero aliisque impossibilem vel saltem sanitati nocivam habeant, ut Bebel et socialistae plures. Imo dicuntur esse medici, qui adolescentibus consilium dent, „sanitatis gratia" nonnunquam se polluendi. Attamen huic consilio non solum repugnat historia ecclesiae et ordinum religiosorum, tum virorum tum mulierum, qui votum castitatis solemne emittunt, sed etiam sententia virorum medicinae et physiologiae peritorum, ut Krafft-Ebing, Ribbing, Forel, Eulenburg, Mantegazza (cfr. Förster, Jugendlehre, p. 627; Cathrein, Die katholische Moral, p. 389). Sunt qui sperent, vitium immoralitatis praecaveri posse, si adulescentes utriusque sexus de vita sexuali mature edoceantur, id quod, nisi cum maxima circumspectione fit, periculo gravi non caret, praesertim si docentes, fide christiana non imbuti, ut Forel, Ellen Key aliique, non salutem aeternam et *cordis* puritatem, sed salutem mere temporalem respiciunt; vis enim pure naturalis non sufficit, ut vitia illa satis evitentur. Cfr. Thalhofer, Die sexuelle Pädagogik bei den Philanthropen, 1907; Förster, Sexualethik u. Sexualpädagogik. Roeren, Die Sittlichkeitsgesetzgebung der Kulturstaaten, 1907; Weiss, Apologie des Christentums, II [2], p. 373 sq. Pastor bonus, XX (1907), p. 101 sq.

Aliud signum moralitatis collapsae est proles illegitima. Ex numero 100 infantium annis 1881—1890 illegitimi fuerunt:

A. *In singulis regnis:*				B. *In provinciis Germaniae singulis:*			
Borussia	8,1	Helvetia	4,88	Ostpreussen	10,6	Sachsen	9,6
Bavaria	14,8	Anglia	4,71 [1])	Westpreussen	8,4	Schleswig-Holst.	9,3
Saxonia	12,9	Belgica	8,59	Berolini	13,2	Hannover	6,9
Württemberg	9,6	Gallia	8,37	Brandenburg	10,5	Westfalen	2,8
Baden	8,2	Hibernia	2,71	Pommern	10,9	Hessen-Naussau	6,0
Austria	14,79	Italia	7,55	Posen	6,9	Rheinland	3,7
Ungaria	9,35	Hispania	4,70	Schlesien	10,7	Hohenzollern	8,1

Attamen notandum est, numerum prolis illegitimae non esse signum adaequatum moralitatis sexualis, siquidem aliquibus locis speciales causae, e. g. difficultas matrimonii ineundi, esse possunt; deinde per prostitutionem, per onaniam et sodomiam, per abortum, per frustrationem finis matrimonii plura et graviora delicta committi possunt, quae ex natura sua fugiunt omnem statisticam[2]). Porro addi potest, apud gentes paganas tum veteres (cfr. supra p. 163) tum recentes (e. g. apud Africanos, Oceanios, Indos, Sinenses, Japonenses etc.) prolem superfluam, praesertim puellas, occidi vel abortum fieri[3]).

tutis ecclesiasticis ad vitium prostitutionis eradicandum. Porro Pilatus (Dr. Neumann) Quos ego! 1903, Brief XVII u. XVIII; Kirchenlexikon, Herder, Freiburg, Artikel: Cölibat. J. Müller, Die Keuschheitsideen in ihrer geschichtlichen Entwickelung, 1897. Das sexuelle Leben der Naturvölker, 1906 [3]; der alten Kulturvölker, 1902; der christl. Kulturvölker, 1904.

[1]) Hic numerus paulisper augendus est, quia liberos mortuos natos non continet, unde Lesker pro Anglia 6,4 pro Scotia 9,9 pro Hibernia 3,8 notat. Cfr. Elster, Wörterb. d. Volkswirtschaft, 1907 [2], II, 1094, ubi numeri paulo differunt et annis 1891—1900 decrescunt. [2]) Cfr. Hammerstein, Winfried oder das soziale Wirken d. Kirche, 1895 [4], p. 265 sq. Katholizismus u. Protestantismus, 1901 [4], p. 92 sq. [3]) Cfr. Ratzel, Völkerkunde, 1894, I [2], p. 251 sq.; 1895, II [2], p. 117, 553, 593, 691.

Denique notandum est, in regionibus *vere* catholicis, i. e. ubi religio catholica viget, prolem in genere numerosiorem esse quam alibi.

Teste v. Oettingen (Moralstatistik, 1868, p. 454 sq ; 1882^{3}) iam anno 1868 mulieres prostitutae erant in urbe Hamburg 1 pro 48, Berlin 1 pro 62, London 1 pro 91, München 1 pro 220, Paris 1 pro 247, Brüssel 1 pro 275, Rom 1 pro 288, Lyon 1 pro 422 habitantibus. — Hodie Berolini numerantur fere 5 000 mulieres prostitutae publicae, i. e. inscriptae, sed plus quam 40 000 clandestinae (cfr. Konversationslexikon, Herder, Freiburg 1907, VII, p. 168); Lutetiae autem Parisiorum *hodie*, moribus ultimis hisce decenniis penitus collapsis, 120 000 prostitutae esse dicuntur (Bureau, La crise morale, 1907^{2}, p. 27).

Propter crimina contra castitatem, praesertim in puellis nondum adultis commissa, puniti sunt in imperio Germanico annis 1882—1891 quotannis circa 3000 = 9,3 %; 1892—1901 : 4319 = 12 %; anno 1904 : 5384 (cfr Krose, Einfluss der Konfession auf die Sittlichkeit, 1900; Ursachen der Selbstmordhäufigkeit, 1906, p. 120). — Causae ruinae moralis potissimae sunt: defectus religionis et abstinentiae, ad quas etiam conditio hodierna socialis (insufficiens separatio mulierum et virorum in fabricis et domiciliis, defectus mercedis sufficientis ad vitam sustentandam pro puellis et mulieribus etc.) accedit tanquam causa secundaria.

3. Porro officium nobis incumbit *laborandi*, unicuique in statu et conditione sua, ut vitae suae et suorum necessaria procuret et vires corporis et mentis exerceat. Hoc praesertim eis dicendum est viris et mulieribus, qui bonis abundant; qui, ne otio pereant, si corporaliter laborare nolunt, saltem viribus animi utantur ad se litteris artibusque perficiendos aliosque operibus charitatis adiuvandos[1]). In laboribus autem exercendis virtus *fortitudinis* acquiritur; et si mala sunt perpetienda sive corporis sive animi, virtus *patientiae* exercetur Laboribus autem peractis licet, imo expedit honesta recreatio et corporis et mentis, quam qui recte adhibet, dicitur habere virtutem *eutrapeliae*, quibus virtutibus homo vere moraliter bonus in se efficitur.

Qui plura de his virtutibus desiderat, consulat libros asceticos, quos supra p. 203 enumeravimus, inprimis vero S. Thomae II, II, qu. 123–152; Weiss, Apologie des Christentums, 1905^{4}, tomus V totus; Lebensweisheit in

[1]) Sunt, qui religioni christianae vitio dant, quod virtutes passivas potius laudet et industriam negotiaque humana (culturam) i. e. virtutes activas parvi faciat (Paulsen, System, I, 78 sq.; cfr. Walter, Sozialpolitik und Moral, 1899, p. 210 sq.; Bureau, La crise morale, 1907, p. 416 sq.) Profecto immerito; nam s. Scriptura, licet tota in eo sit, ut moneat, ne quis bonis temporalibus cor suum tradat, attamen exhortatur ad laborem verbis expressis: Gen. 3, 17; Thess. 2, 10; Apostoli ipsi laborabant I. Cor. 4, 12, et coetus monachorum, licet mundo renuntiavissent, laborabant et proavos nostros barbaros docebant laborare, quemadmodum hodie adhuc missionarii gentes barbaras laboribus assuescunt; cogita reductiones Jesuitarum in Paraguay. Imo tota cultura nostra religioni christianae debetur (cfr. supra p. 149). — Item L. Brentano, falsis citatis exprobrans patribus ecclesiae odium divitiarum et negotiationis strenue refutatur a Funk (Histor. polit. Blätter, 1902, II, p. 888 sq.) et Rottmanner (Hist. Jhrb., 1902, p. 1 sq.).

der Tasche, 1904^{10}: Die Kunst zu leben, 1904^{5}. Pruner, Kathol. Moraltheologie, 1902^{3}, I, p. 117 sq. Tilm. Pesch, Christliche Lebensphilosophie, 1906^{9}; Das religiöse Leben, 1906^{13}; A. v. Doss, Gedanken und Ratschläge, 1905^{14}; Seb. v. Oer, Unsere Schwächen, 1905^{5}. Winterstein, Die christliche Lehre v. Erdengut, 1898. S. Alph. Liguori, Die christl. Tugenden und die Mittel sie zu erlangen, 1865^{2}.

III. *De officiis respectu bonorum externorum.*

Tres potissimum species bonorum externorum considerari possunt: Spiritualia: honor, fama; materialia: bona materialia, divitiae, opes; mixta: status et conditio (Beruf).

A. *De honore et fama:*

1. *Notio: Honor* est clara cum laude notitia perfectionum hominis alicuius; consistit igitur *fundamentaliter* in perfectione aliqua possessa sive physica sive morali; *formaliter* vero est in aliis hominibus, in quantum hanc perfectionem nostram cognoscunt et agnoscunt. Quodsi fit verbis et actionibus, e. g. reverentia nobis exhibita, vocatur *honor* sensu latiore; si solis verbis, vocatur proprie *fama* (a fari, germanice Leumund = Leute Mund), quae est pars honoris vel honor sensu strictiore.

2. *Divisio:* Distinguitur honor et fama: a) Ratione *fundamenti* sui i. e. perfectionis, prout haec est *physica potius vel organica*, e. g. robur, sanitas, pulchritudo etc. corporis; *vel intellectualis*, si quis propter acumen mentis, prudentiam, scientiam artesque honoratur; vel *moralis*, si quis propter virtutes, e. g. temperantiam, misericordiam, patientiam etc. honore afficitur. b) Ratione *status*, prout quis *absolute* honoratur ut homo i. e. persona humana; vel *relative*, in quantum ad statum quendam singularem sive socialem pertinet, e. g. ut paterfamilias, ut opifex vel artifex, ut negotiator, ut magistratus etc.

3. *Officia:* Fama quaedam et honor saltem moralis nobis omnino necessaria sunt, sive fundamentum eorum sive status noster individualis et socialis spectatur. Nam a) fundamentum honoris et famae est perfectio propria aliqua sive physica sive intellectualis sive moralis. *Atqui* quaedam perfectio physica ad opera vitae saltem perfecte exercenda nobis necessaria est; quod idem dicendum est de perfectione aliqua intellectuali; praesertim vero valet de perfectione morali, sine qua finem nostrum omnino consequi non possumus. *Ergo* non modo licet, sed omnino oportet honorem procurari atque famam, saltem in quantum nobis pro statu nostro necessaria est b) Hoc idem apparet ex statu nostro individuali et sociali. Qui in hominum honore et bona fama versatur, multum proficiet et pro se et pro suis, aliisque exemplo est; qui vero honore et fama

destituitur, saltem suâ culpâ, a conversatione honesta hominum arcetur, multis bonis privatur saepeque, animo abiecto, in maiorem ruinam moralem illabitur, ut experientia quotidiana in hominibus perversis ostendit.

4. *Media:* Attamen addendum est, honorem, quamvis magnum sit bonum, appetendum esse: a) *modo debito,* ne quis plus honoris sibi postulet, quam eius perfectioni vel statui sociali congruat; secus superbia vel vanitas cum honore debito confunderetur; b) *mediis licitis,* ne quis modo pharisaeorum ostentet perfectionem, opes, scientiam, virtutem, conditionem, quam non habeat, vel mendaciis, calumniis, furtis etc. honorem sibi procuret. c) Quum honor et fama per se sint solum bona externa, licet nonnunquam his bonis renuntiare, ut bona maiora interna: virtutes, aedificatio proximi, amor Dei, acquirantur, e. g. Christi humiliatio (Phil. 2, 8), sanctorum exempla (Matth. 5, 11 sq., Alexius Romanus).

B. *De bonis materialibus.*

1. *Notio et divisio:* Bona materialia ea sunt, quibus vita corporalis conservatur atque perficitur. Eiusmodi bona sunt nutrimenta, domicilia, vestimenta et opes (pecunia, agri, pecora, fabricae etc.), quibus illa bona omnia comparantur, ita ut opes et pecunia quasi vices gerant bonorum omnium materialium.

2. *Officia:* Quum vitam corporis conservare et perficere debeamus, patet, bona illa materialia nobis *necessaria* ac proinde ex officio comparanda esse, in quantum vitam nostram et familiae tuentur, ita ut ad finem nostrum pervenire possimus. Porro patet, *licere* etiam bona materialia ultra necessitatem comparare, quibus tum vita nostra, tum vita familiae aliorumque melior faciliorque habeatur necnon necessitatibus aliorum succurrere et scientiis artibusque facilius vacare possimus, modo ne divitiis cor opponamus, neve eas mediis immoralibus acquiramus. Deinde nihil prohibet, quominus etiam bonis nobis superfluis renuntiemus sive ex studio propriae perfectionis, quia divitiae multis sunt detrimento ansaque luxuriae, avaritiae, vanitatis, superbiae (Matth. 19, 21 sq.; I. Timoth. 6; Prov. 27, 26), sive ex amore Dei et proximi.

Immo hoc est *consilium* evangelicum (Matth. 19, 21), quod in Ecclesia Dei semper fundamentum vitae perfectioris habebatur. Ex hoc autem non licet cum nonnullis evangelio vel ecclesiae catholicae vitio dare, quod habeat tendentiam „culturam mundanam et temporalem“ destruendi. Tempora enim, quibus florebat fides christiana, etiam bonis temporalibus minime carebant, imo feliciora erant quam impia (cfr. supra p. 149), iuxta illud Christi: „Quaerite primum regnum Dei et eius iustitiam, et cetera omnia adicientur vobis“ [1].

[1] Lege, quod sapienter, ut solet, Cathrein de hac re scribit: Laacher Stimmen, 1902, p. 131 sq.: Kathol. Kirche u. Kultur; porro Weber, Evangelium

C. *De bonis mixtis.*

1. *Notio et divisio:* Bona mixta vocantur ea, quae partim sunt materialia partim spiritualia; sunt autem potissimum vocatio nostra sive *status eiusque officia* et labores. Status autem hominum pro natura societatis diversissimi sunt, quemadmodum membra corporis, et propria cuique incumbunt officia et labores, aliis magis corporales, ut agricolis, opificibus, operariis, aliis magis spirituales, ut magistris, medicis, iurisprudentibus, negotiatoribus, civitatum moderatoribus.

2. *Officia:* Officia haec habentur in statu tum *eligendo,* tum *exercendo:* a) Oportet illum eligamus statum, qui viribus nostris corporis vel mentis, necnon conditioni nostrae et familiae convenit. Deus enim per suam providentiam unicuique statum et vocationem determinavit, et indolem inclinationemque quandam nobis indidit, ita ut in illo statu melius, facilius, certius salutem nostram finemque ultimum consequi possimus, quam in omni alio statu. In statu igitur eligendo non solum lucrum sive honor inde acquirendus spectari debent, sed inprimis indoles nostra et salus nostra suprema, unde consilia parentum necnon hominum prudentum audienda sunt, et vires nostrae omnes excolantur sive corporis sive mentis, ut quam aptissimi ad statum illum exercendum reddamur. Qua in re si deficimus ex nostra culpa, timendum est, ne postea ex statu excidamus vel nobis aliisque damna multa inferamus, e. g. opifex, medicus, iurisconsultus artis vel scientiae suae ignarus.

b) Statum autem electum oportet *diligenter fideliterque* exerceamus, ut inde in nos ipsos et in alios bona redundent. Quod si ex culpa nostra deficimus, nobis damna inde orta imputanda sunt. Nunquam autem ita laboribus status insistendum est, ut salutem animae et finem ultimum nostrum negligamus, sed notum illud prae oculis habeatur: Ora et labora; necnon Christi verba: „Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?“ (Matth. 16, 26; Marc. 8, 36).

Caput III: De officiis erga proximos.

Duo genera officiorum erga proximum distinguuntur: *charitatis* et *iustitiae.* Officia charitatis, quae sensu aliquo strictiore etiam ethica vocantur, illa sunt, quae ex motivo amoris mutui oriuntur neque aequalitatem respiciunt; ac proinde neque poenis extorqueri possunt, neque restitutionem requirunt, si violantur. Officia autem

und Arbeit, 1898; Schaub, Die Eigentumslehre nach Thomas v. Aquin und dem modernen Sozialismus, 1898, p. 314 sq. Haulleville, De l'avenir des peuples catholiques, 1876 (contra de Laveleye). Cfr. supra p. 149 et 260 nota.

iustitiae sunt, quae ex ordine sociali qua tali oriuntur, mutuam respiciunt aequalitatem, vi extorqueri possunt et restitutionem requirunt, si laeduntur. Nobis hic potissimum de officiis *amoris* sermo est, siquidem de officiis iustitiae aliis locis disputatur.

Sect. I: Officia charitatis erga proximos.

§ 1. De officio amoris proximi in genere.

I. *Notio et divisio: Amor*[1]) *proximi consistit in eo, ut aliis bonum optemus et pro posse faciamus.* Psychologice oritur ex amore proprio nobis a natura ipsa indito, quo bonum nobis desideramus et appetimus. Videntes autem in aliis, praesertim propinquis, naturam nobis similem et bona ab eis recipientes, etiam illos amore prosequimur simili illi, quo nos ipsos necessitate naturae amplectimur. Triplex autem hic amor proximi esse potest: *concupiscentiae, benevolentiae, gratitudinis.* Amor concupiscentiae adest, quando alios propter nos amamus, ut beneficiis nos afficiant; amor benevolentiae adest, quando alios diligimus non iam propter aliquod bonum nostrum, sed propter bona ipsorum, e. g. scientiam, virtutem, honorem, divitias etc.; amor gratitudinis adest, quando alios diligimus tum propter nos i. e propter beneficia accepta, tum propter ipsos i. e. propter perfectionem benevolentiae. Patet, hunc amorem intermedium esse inter amorem concupiscentiae et benevolentiae et utriusque esse participem Iam vero amor benevolentiae est amor proprie dictus, qui proximis exhibendus est, neque solum *affectu et verbis,* sed *effectu et operibus* (I. Joh. 3, 18).

II. *Obligatio ad amorem proximi*[2]): 1. *Ratione obiecti:* Haec obligatio potest in genere et in specie considerari. *In genere* significat, omnes homines a nobis diligendos esse. Ratio est: A. Alii homines nobis similes, imo affines sunt, quia a) eandem naturam humanam, b) eandem originem a Deo, c) eundem finem in Deo habent. B. Societas humana, praesertim in familia, exsistere non posset sine mutuo amore, quo aliis bonum volumus. C. Neque nos ipsi perfectionem nostram connaturalem finemque nostrum, saltem tuto et facile, obtinere possemus, nisi alii (parentes, liberi, amici, institutores etc.) ex amore auxilium nobis praestarent. *Ergo* amor benevolentiae nobis necessarius est.

In *specie* autem amor benevolentiae certis quibusdam hominibus modo singulari exhibendus est, vel quia nobis magis propinqui sunt, ut parentes, fratres, consanguinei; vel quia nobis similiores sunt, ut amici; vel quia maiora beneficia nobis contulerunt; vel quia aliis

[1]) Cfr. S. Theol. II, II, qu. 23—27, ubi totus hic tractatus, miro modo exponitur. [2]) S. Theol. II, II, qu. 44 tota.

hominibus virtute, scientia, dignitate antecellunt; vel tandem, quia magis indigent, ut pauperes et miseri. Quamvis igitur omnes homines nobis diligendi sint, ne hostibus quidem exceptis[1]), sunt enim natura, origine et fine nobis similes, non tamen certus gradus praescribitur; hic enim pertinet ad perfectionem amoris. Requiritur igitur negative saltem ea dispositio animi. ut quis ex amore proximi aliis malum neque exoptare neque inferre velit; positive autem requiritur, ut aliis succuramus, quando aliqua necessitas ratione vitae, integritatis animae vel corporis, famae, virtutis, bonorum urget, nisi grave inde incommodum in nos redundet.

2. *Ratione mensurae.* Quum fons amoris proximi sit amor nostri, etiam mensura illius ex hoc deducenda est. Regula igitur generalis est illa, quae iam in lege veteri Mosaica statuitur (III. Mos. 19, 18) et a Christo confirmatur (Matth. 19, 19; 22, 39; Marc. 12, 31, 33. Luc. 10, 27): „*Dilige proximum tuum sicut teipsum.*" Ex hac autem regula generali duae speciales derivari possunt: *Quidquid non vis tibi fieri, ne fac alteri; et quod tibi vis fieri, hoc fac alteri.* Attamen haec mensura amoris proximi non significat, aliis etiam *eadem obiecta* exoptanda et procuranda esse, quae pro nobis desideramus; non enim omnia eodem modo expediunt, e. g. divitiae prodigis, honores superbis; sed ordo quidam amoris quoad obiecta statuendus est. Deinde neque *eodem gradu* amor aliis ac nobis exhibendus est, quia hic gradus amoris non solum a dignitate personae amandae dependet, sed etiam ab eius coniunctione cum nobis. Sed nemo nobis adeo coniunctus est quam nos ipsi, alii enim nobis similes sunt, nos autem cum nobis identici sumus. Inde iterum ordo quidam amoris oritur quoad eius gradum; amor igitur ordinatus incipit ab „ego", sed addendum est, ne egoismus brutus habeatur: non desinit in „ego".

III. *Motiva amoris proximi.* Motiva amoris proximi non debent coincidere cum eius necessitate individuali et sociali, neque cum eius mensura, sed possunt esse diversa pro relatione et dispositione singulorum hominum ad alios. Motivum igitur potest esse bonum aliquid ab aliis exspectandum, e. g. donum, hereditas, honor, eleemosyna etc., et tunc habetur amor *concupiscentiae.* Patet, hunc amorem omnium esse infimum ac proinde infirmum ac valde mutabilem pro spe boni desiderati; imo nisi affectum pravum cordis excludit, non est amor proximi ullus, sed sui ipsius, brutus egoismus. — Porro motivum potest esse bonum ab aliis iam acceptum et tunc habetur amor *gratitudinis,* qui non solum ex bono accepto qua tali sc. ut *nostro* bono oritur, sed etiam ex bonitate i. e. ex perfectione aliqua benefactorum clare cognita. Patet, hunc amorem perfectiorem

[1]) Cicero (Orat. 4 pro Marcello) eum, qui inimicis benefacit, „simillimum Deo iudicat".

esse ac priorem, quia, licet oriatur ex beneficio accepto, non tamen desinit in nobis solis, sed etiam in bono i. e. in perfectione aliorum hominum delectatur. — Deinde motivum directum potest esse bonum aliorum hominum; atque hic amor est *benevolentiae*, et est amor omnium supremus et homine honesto maxime dignus, qui tamen amorem verum concupiscentiae et gratitudinis non necessario excludit, sed eum tanquam stadium initiale et imperfectum saepe supponit et ex eo paulatim oritur. Est tamen discrimen essentiale saltem inter amorem concupiscentiae et benevolentiae, quia obiectum formale utriusque (meum bonum — bonum alienum) essentialiter differt.

Sed amor benevolentiae iterum non solum diversos gradus admittit, sed etiam diversas species pro diversitate motivi, ex quo benevolentia nascitur. Potest enim oriri ex consideratione dignitatis naturae humanae qua talis, in quantum differt a brutis, vel etiam ex indole praestanti sive corporis sive animi alicuius hominis, et sic habetur amor benevolentiae *naturalis*, quem praesertim Stoici et Rationalistae praedicabant („allgemeine Menschenliebe"). Deinde potest oriri ex aestimatione virtutis, quam quis acquisivit, et sic habetur potissimum amor *amicitiae*, dummodo sit *vera* amicitia, quae iam fatente Aristotele et Cicerone inter homines perversos esse non potest. Denique potest in homine deprehendi et perfectio naturalis et moralis, quae amorem nostrum excitet, et tunc habetur amor *excellentiae sive reverentialis*, sicut habetur in filiis erga parentes, in subditis erga praepositos amore dignos, in hominibus erga sanctos vel spiritus coelestes, praesertim in creaturis rationabilibus erga Deum, qui amor omnium est maxime dignus atque firmus; imo eorum tandem est causa simul et finis, ita ut tunc homines amore summo et quasi infinito amplectamur, si eos in Deo et propter Deum ut Dei creaturas, imagines, filios atque amicos diligimus. Atque hic amor propter Deum praesertim est *sincerus* (aufrichtig), *purus* (uneigennützig), *universalis* (allgemein), *efficax* (wirksam, I, Joh. 3, 17; Luc. 10, 35 sq.; Matth. 25, 40), quae sunt qualitates amoris perfecti. Amor igitur ille Stoicorum et Rationalistarum, si est verus amor, i. e. non solum verbis, sed *operibus* sese manifestat, multo inferior est amori benevolentiae, quo fides et religio nos imbuit, si proximos propter Deum diligimus. Inde non mirum est, quod amor Dei fideles omni tempore impulit ad proximos tum amicos, tum inimicos diligendos idque non solum verbis bene sonantibus ut Stoici et Philanthropistae, sed *operibus* caritatis, ita ut non modo bona, verum vitam ipsam pro salute corporali et spirituali proximorum offerant; cogita iuvenes et virgines innumeras votis Deo et servitio hominum se consecrantes sine ulla spe praemii temporalis.

Iam vero si quaeritur, qualis amor proximi qualeque eius motivum requiratur ad honestatem naturalem, dicendum est, amorem concupiscentiae in genere non sufficere, siquidem natura duce et necessitante oritur eiusque motivum non sufficienter removet peccata contra proximum. — Deinde amor gratitudinis nobis imponitur erga eos, qui beneficiis nos affecerunt, ut sunt praesertim parentes, institutores, benefactoresque alii, praesertim vero Deus, fons omnis boni. Patet autem, hanc gratitudinem pro magnitudine beneficii vel dignitate benefactoris maiorem vel minorem gradum habere posse sive debere habere, ut adsit ordo debitus amoris. — Porro etiam amor benevolentiae saltem naturalis nobis incumbit, ac primum quidem erga omnes homines, in quantum in eis naturam humanam aestimemus et personam humanam liberam sui iuris respectemus. Deinde modo speciali homines virtute praestantes nobis amandi sunt, praesertim si sunt amici nostri. Denique amore excellentiae debemus eos amplecti, qui auctoritate et virtute simul nos superant: parentes, institutores, praepositos; inprimis autem Deus super omnia amandus est. Atque in hoc amore quoad intensitatem gradus certus non cadit sub praeceptum, sed negative omnia prohibentur tum opera tum verba tum cogitationes liberae, quae huic amori erga proximos obstant (cfr. supra p. 79 sq.).

§ 2. De officiis erga proximum in specie.

Officia erga proximum possunt bona eius spiritualia et materialia afficere; si spiritualia, iterum distinguuntur intellectualia et moralia, quare singula officia inde orta breviter exponenda sunt.

I. *Officia circa bona intellectualia.*

Bonum intellectus vocatur, quidquid eum ratione finis sui, i. e. veri cognoscendi perficit; haec igitur perfectio habetur per omnem cognitionem veram, sive ad negotia vitae communis, sive ad scientiam proprie dictam, sive ad finem ultimum spectat. Patet, haec bona intellectus hominibus omnino necessaria esse, ut recte vivere, sese perficere et finem suum consequi possint. Quaeritur igitur, quae sint officia nostra erga proximum respectu horum bonorum. Iam vero negativa et positiva esse possunt. *Negativa* potissimum in eo sunt, ne proximum in errorem inducamus; *positiva*, ut eum pro conditione nostra verum doceamus.

A. *Officia negativa.*

Thesis XVIII: Non licet mentiri, licet tamen in causa gravi aequivocationem vel restrictionem adhibere.

St. qu. 1. *Mendacium* dicitur usus verborum (vel aliorum signorum), quae cogitationi nostrae non sunt conformia. Requiritur igitur ad essentiam mendacii: a) *voluntas* non dicendi, quae vera habemus, b) usus actualis verborum, quae non exprimunt, quae

cogitamus. Non igitur pertinet ad naturam mendacii, ut quis intendat alios decipere vel revera decipiat — secus non esset mendacium iocosum — licet forte interpretative, i. e. ex natura mendacii deceptio aliorum sequatur [1]. Si quis non verbis, sed signis aliis mentem suam contegit, vocatur *simulatio* vel *adulatio*.

2. Mendacium distinguitur: a) Ratione *naturae* suae: *formale*, quod consistit in locutione contra mentem, quin tamen falsitas materialis sive obiectiva adsit; est solum *materiale*, quando non adest intentio falsum dicendi, sed enuntiatio obiective falsa est; est *formale simul et materiale*, quando non solum adest voluntas falsum dicendi, sed simul etiam ipsa enuntiatio in se, i. e. obiective falsa est. Ad essentiam mendacii in sensu morali sufficit mendacium *formale*.

b) Ratione *obiecti*: Mendacium iocosum, officiosum, damnosum. *Iocosum* est quod fit non directe ad alios decipiendos, sed recreationis causa; *officiosum* fit ad alios dicipiendos, sed ex praecepto vel utilitate superioris vel etiam ex utilitate propria ad quaedam damna praecavenda, quin tamen aliis damnum (praeter errorem) inferatur; *damnosum* fit ad alios decipiendos, ut nobis iniuste quandam utilitatem procuremus, vel aliis damnum inferamus.

c) Ratione *signi*: Mendacium *verbale*, quod verbis fit, ut communiter solet; *reale*, quod aliis signis fit, e. g. gestibus, actionibus quibusdam ad alios decipiendos; vocatur etiam *simulatio* vel *hypocris*, si quis melior apparere vult, quam revera est; *adulatio*, si quem laudibus effert non meritis; *periurium*, si Deo invocato falsum dicit.

3. *Aequivocatio* vel amphibologia dicitur locutio ambigua, quae verbis ipsis vel circumstantiis loquentis sive audientis rite perspectis, multiplici sensu accipi possit (cfr. vol. I, p. 86 sq.). *Restrictio* mentalis adest, quando quis loquendo aliquid reticet, quod ad sermonem intelligendum pertinet; quodsi error exinde forte nascens ex circumstantiis personae loquentis, vel etiam rei ipsius, vel audientis corrigi nequit, dicitur restrictio *pure mentalis*, e. g. si quis interrogatus, num aliquid furatus sit, hoc negaret, subintelligens, se pecuniam non furatum esse, licet alias res abstulerit. Haec restrictio non licet; inducit enim audientes in errorem invincibilem. Si vero ex circumstantiis plus vel minus facile concludi potest, quis sit verus sensus sermonis, restrictio dicitur *realis* vel etiam late mentalis et recidit in aequivocationem; licet igitur, si aequivocatio licet; haec autem dicitur licere, quando est ratio proportionate gravis pro natura aequivocationis. Ratio autem haec in genere est occultatio rei, cuius

[1]) Sic potius cum s. Thoma sentiendum esse videtur (S. Theol. II, II, qu. 110 a. 1 et 3) contra alios, qui cum s. Augustino intentionem fallendi requirunt.

manifestatio vel loquenti vel audienti vel aliis personis noceret, et interrogans non ius habet rei cognoscendae; si vero ius habet, ut superiores, iudices, vel simul contrahentes, non licet uti aequivocatione sive restrictione etiam reali.

3. Mendacium saltem officiosum et a fortiori iocosum licitum habent multi; sic iam Plato [1]), licet invitus, mentiri permittit utilitatis publicae gratia, vel ad filios educandos, ad malum aliquod avertendum, ad hostes profligendos, ad uxorem ducendam. Qua in re eum multi veteres sequebantur, inter quos etiam Origines, Hilarius, Chrysostomus, Cassianus, qui tamen mendacium saepe sensu latiore accipiunt ut quemcunque dolum praesertim contra inimicos adhibitum. Adhuc suo tempore s. Augustinus quaestionem de liceitate mendacii „magnam" appellat atque „latebrosam". Ipse tamen omne mendacium reicit ut naturae repugnans [2]), quae sententia in omnibus scholis catholicis usque hodie firma atque rata habetur.

Praeeuntibus tamen Reformatoribus [3]), primum H. Grotius permittit *falsiloquium*, si utilitas vel necessitas aliorum, praesertim subditorum, hoc exigit; secus esset mendacium, quod non liceat. Atque hanc sententiam postea plerique et philosophi et ethici et iurisprudentes amplectuntur: Paulsen [4]), Wundt, Th. Ziegler, Th. Lipps, E. v. Hartmann, Laas, R. v. Jhring, Schopenhauer, Herrmann, Martensen aliique multi [5]).

I. *Non licet mentiri.*

Prob. 1. *Ex natura sermonis*: Verba ex natura sua ordinata sunt ad sensum nostrum exprimendum; sunt enim ex hominum conventione non quidem formali, sed virtuali et tacita ad certum aliquod exprimendum statuta (cfr. vol. I, p. 267; II, p. 314 sq.). *Atqui*, qui mentitur, verbis utitur potius ad sensum nostrum velandum laeditque ius aliorum, ex illa hominum tacita conventione ortum, verum audiendi. *Ergo* mendacium est contra ordinem naturae et ius naturale [6]).

Neve obicias, non esse contra naturam, si quis membrum alio modo adhibeat atque a natura intenditur, e. g. manibus incedere vel pedibus laborare;

[1]) Republ. 3, 3; 5, 8. [2]) Libris: De mendacio et contra mendacium.

[3]) Lutherus comiti Hassiae Philippo bigamiam (1540) contrahenti suadet mendacium publicum („Notlüge, Nutzlüge, Hilfslüge"), quod tamen consilium comes ille reprobat tanquam praecepto Christi repugnans. Cfr. Cathrein, Moralphilosophie, 1904 [4], I, p. 80.

[4]) Affirmat: „Nur unter den Moralphilosophen gibt es Leute, denen die Sache (die Notlüge) bedenklich vorkommt" (System der Ethik [5], II, p. 195). Imo suadet (p. 224) praedicatoribus, ut pro capacitate auditorum religionem christianam nunc veram nunc falsam proponant.

[5]) Cfr. Cathrein, l. c. p. 81 sq. Mausbach, Die kathol. Moral etc., 1901, p. 65 sq.; Hillebrand, Kath. u. protest. Wahrheitsliebe, Katholik, 1899 p. 127 sq.

[6]) S. Theol. II, II, qu. 110, a. 3.

nam talis usus membrorum non tollit vel saltem non impedit usum naturalem membrorum, mendacium autem ipsum finem sermonis naturalem frustratur.

2. *Ex natura humana sociali:* Homo ex natura sua ordinatus est ad vitam socialem. *Atqui* vita socialis esse non potest, si liceret mentiri; tunc enim nemo iam confideret aliis: non parentes liberis, non liberi parentibus, non amicus amico, non paciscentes paciscentibus. *Ergo* mendacium repugnat naturae nostrae sociali.

Neve dicas, posse saltem fieri exceptionem, sicut in omni lege, e. g. ex ioco, vel ex utilitate magna, vel ad damnum gravissimum avertendum, imo ad salutem publicam conservandam, ad vitam propriam vel aliorum tuendam. Nam lex naturalis, quae in ipso ordine naturae fundatur, non permittit exceptionem, neque licet medium ex se malum adhibere ad finem bonum obtinendum (cfr. supra p. 102). Deinde mala illa *physica*, quae mendacio averterentur, non possunt comparari cum malo *morali* mendacii, et si dicis, mendacio peccata maiora forte impediri posse, hac exceptione tandem omnia mendacia cohonestari itaque ordo moralis subverti posset. Recte igitur s. Augustinus: „Quomodo credendum est ei, qui putat aliquando esse mentiendum, ne forte et tunc mentiatur, cum praecipit, ut credamus? Unde enim sciri potest, utrum et tunc habeat aliquam causam, sicut ipse putat, officiosi mendacii, existimans falsa narratione hominem territum posse a libidine cohiberi atque hoc modo etiam ad spiritualia se consulere mentiendo arbitratur? *Quo genere admisso atque approbato, omnis omnino fidei disciplina subvertitur*[1]).

Quamvis igitur omne mendacium ex genere suo sit peccatum, attamen potest esse leve et grave; est leve, si fit per iocum vel in genere etiam ex utilitate (officiosum); est grave, si inde grave damnum in alios redundat[2]).

3. *Ex paritate:* Quemadmodum pecunia se habet ad commercium materiale hominum, ita se habet verbum ad commercium hominum spirituale; supponit enim pro ideis nostris (cfr. dial. vol. I, p. 30 sq.) earumque vices gerit, sicut pecunia vices gerit rerum emendarum. *Atqui* est crimen poenis gravissimis sancitum, pecuniam falsificare. *Ergo* eo maius videtur peccatum verbi falsificatio, quo magis verbum, expressio idearum, praestat pecuniae materiali.

Unde non mirum est, quod etiam veteres *Pythagorei*[3]) omne mendacium respuebant, quia in veracitate nostram cum Deo similitudinem collocabant. Sic etiam *Aristoteles*[4]) mendacium naturae repugnans habebat, similiter *Kant* et *Fichte*[5]).

4. *Ex experientia:* Constat, homines eum habere abiectum, qui mentiri deprehenditur, neque ei iam fidem praestare; imo maximum opprobrium habetur, si quis mendacii arguitur, et iam infantes verecundia afficiuntur, si mentiuntur et mendaces inveniuntur. *Atqui*

1) De mendacio VIII, 11. 2) S. Theol. l. c. a. 4.
3) Cfr. Schmidt, Ethik d. Griechen, II, 405.
4) Eth. Nicom. IV, 13.
5) Cfr. Cathrein, l. c. p. 79 sq.; Paulsen, System d. Ethik, 1900[5], II, 196.

si liceret mendacium, etsi officiosum, proferre, haec facta explicari non possent; imo mendacia officiosa, saltem in utilitatem aliorum facta, nobis laudi essent. *Ergo* mendacium ordini morali naturali repugnat.

II. *Licet autem in causa gravi aequivocationem vel restrictionem realem adhibere.*

Prob. 1. *Ex eius natura:* Aequivocatio et restrictio consistit in usu verborum, quae, sive in se sive ratione circumstantiarum considerantur, recte intelligi possunt, licet plerumque non recte intelligantur, imo hic error ex parte loquentis intendatur. *Atqui* verba adhibere, quae de facto sensum loquentis exprimunt, non est mendacium. Neque obstat, quod de facto non recte intelligantur; nam error de facto productus non pertinet ad essentiam mendacii; imo neque intentio decipiendi, quia haec in mendacio iocoso non inest; et potest esse intentio decipiendi prorsus legitima, e. g. dolus in bello (Kriegslist) vel ad crimen detegendum. Error igitur defectui reflexionis ex parte audientis vel interrogantis tribuendus est. *Ergo* neque aequivocatio neque restrictio realis est mendacium.

2. *Ex natura actus moralis:* Licet actum elicere in se bonum vel saltem indifferentem, ex quo effectus tum bonus tum malus sequitur, si uterque effectus aeque immediatus est, effectus malus non directe intenditur, sed potius permittitur, et effectus bonus praevalet (cfr. supra p. 189). *Atqui* aequivocatio et restrictio: a) in se non est mendacium, siquidem sermo recte intelligi potest; b) effectus malus i. e. error audientium non directe intenditur, sed secretum *legitime* servandum; c) ius secreti servandi praevalet iuri *illegitime* interrogantis. *Ergo* aequivocatio et restrictio permittuntur.

3. *Ex absurdis:* Nisi liceret aequivocatio et restrictio realis, saepe vel mentiendum esset, vel gravia damna subeunda essent. Nam saepe secreta[1]) sunt servanda, nobis ex amicitia vel officio (confessarius, iudex etc.) manifestata, vel etiam quaedam tacenda sunt, ne aliis vel nobis ipsis magnum damnum sive honoris sive bonorum inferamus. *Atqui* de his rebus interrogati, saltem ab eis, qui ius ad has res sciendas non habent, aut debemus omnia aperte manifestare, aut tacere, aut mentiri, aut aequivoce loqui. Iam vero a) saepe non licet, res illas manifestare; b) tacendo rem saepe indirecte proderemus; c) mentiri non licet. *Ergo* non restat, nisi ut aequivocatio (amphibologia) vel restrictio realis adhibeatur. — Adden-

1) Secreta distinguuntur *naturalia*, qui ex rei natura oriuntur (e. g. delicta proximorum, confessa non revelanda), *commissa*, quae sub conditione tacendi nobis communicata sunt sive expressa sive tacita (ex officio iudicis etc.); *promissa*, si ipsi tacere promisimus.

dum tamen est, eam non continuo adhiberi posse, ne conversatio humana detrimentum patiatur, sed tunc solum, quando interrogans non ius habet inquirendi simulque ratio proportionate gravis (damnum materiale vel spirituale nostrum vel alienum) adest.

Non igitur ratio sufficiens adest, cur quidam auctores protestantes adeo invehantur in doctrinam moralem catholicorum, praesertim Jesuitarum, quasi mendacitatem docerent, quum illi ipsi auctores plerumque non solum aequivocationem et restrictionem realem, sed ipsum mendacium sive iocosum sive officiosum, imo et damnosum (saltem contra hostes) permittant[1]. Quid, quod multi sancti tali aequivocatione vel restrictione usi sunt, e. g. Abraham (I. Genes. 20, 2), Jacob (I. Genes. 27, 19)[2], s. Athanasius, s. Felix; imo Christus ipse dicitur restrictionem mentalem adhibuisse (Joh. 7, 8.)

B. *Officia positiva.*

1. *Notio:* Officia positiva respectu veritatis erga proximos in eo consistunt, ut *ignorantes* doceamus, *dubitantibus* suadeamus, *errantes* ad veritatem reducamus. Obiectum huius officii possunt esse *veritates merae theoreticae*, ut sunt scientiae mathematicae, naturales, philologicae, historicae etc., deinde *veritates practicae*, quae ad bona vitae acquirenda vel conservanda necessariae sunt, ut artes et negotia; denique veritates *morales et religiosae*, quibus tota vita humana fundatur et finis ultimus obtinetur.

2. *Natura obligationis:* Iam ex obiecto officii alios docendi apparet, hoc officium diversum esse pro diversitate obiecti et relationis inter docentem et audientem. a) Et primum quidem ei, qui non est magister constitutus, vix incumbit officium, alios docendi scientias mere theoreticas, nisi forte per accidens, sc. si alia mala ex hac ignorantia vel ex errore certo nasci videmus. Deinde si veritates practicae spectantur ad vitam necessariae, *potest* nobis officium esse, ignorantes, dubitantes, errantes docendi, si eos videmus in periculo plus minus gravi versari sive circa bona materialia (opes, negotia, sanitatem, vitam etc.) sive circa bona spiritualia, e. g. honorem, virtutem etc. Non tamen obligamur cum incommodo proportionate gravi ex parte nostra, siquidem bonum nostrum per se praevalet alieno. Profecto, quis viatori erranti non viam ostenderet, ex caritate eum etiam per spatium aliquod comitans? Attamen nemo

[1]) Lege quae de hac re sapienter, ut solet, Mausbach scribit: Die kath. Moral etc., 1902, p. 59 sq. Pilatus (Dr. V. Neumann) Quos ego! Fehdebriefe wider den Grafen Hoensbroech, 1903, p. 129, 139, 182, 255—270, 397 sq. Jesuitismus, 1905, p. 274 sq.

[2]) De quo Augustinus, epist. 22 contra Faustum c. 33: „Tacuit aliquid veri, non dixit aliquid falsi.“

certe obligatus est, totam viam cum ipso percurrere, ne erret. Idem dic de aliis casibus similibus. Denique *tenemur* alios docere, si ex ignorantia vel errore periculum grave peccandi incurrunt, quod fieri potest, quando proximi vel legem moralem sive religiosam nesciunt, vel eius applicationem ad casum aliquem ignorant; e. g. si quis ex ignorantia habitum pravum contraxisset, vel librum moribus sive religioni infensum legeret, vel amicos dissolutos, vel theatra lascivia frequentaret. Etiamsi ex hoc officio praestando incommodum aliquod nobis oreretur, caritas tamen nos obligaret alios docendi, modo occasio apta adsit necnon spes satis fundata, errorem vel ignorantiam cum effectu depellendi. b) Qui vero ex officio suscepto alios docere debet, ut professores et magistri discipulos, iurisprudentes clientes suos, parentes filios, sacerdotes fideles sibi commissos, non *solum ex caritate*, sed etiam *ex iustitia* alios docere tenentur, veritates tum theoreticas tum practicas tum morales et religiosas, siquidem hoc munere funguntur pretio accepto. Neque excusat ab hoc officio praestando incommodum, licet grave, nisi longe superet incommoda, quae ex ignorantia vel errore proximis oriuntur, neque alio modo defectus suppleri possit.

3. *Modus docendi:* Quum ad alios docendos non solum intellectus illuminandus sit, sed etiam voluntas flectenda — est enim eius dispositio magni momenti ad homines convincendos —, requiritur: a) quaedam *suavitas* et *moderatio*, ut voluntas audientis quasi demulceatur ad doctrinam libenter recipiendam; b) *rationabilitas* argumentorum, ut intellectus convincatur; c) *prudentia et discretio*, ut modo debito veritas aliis manifestetur; ratio enim habenda est primo *capacitatis* audientis, ut docentem intelligere possit; sic stultum esset, infantes scientiis imbuere; deinde *aetatis vel status*; sic periculosum esset, iam pueris et puellis, ut quidam volunt, secreta vitae sexualis manifestare; porro *dispositionis voluntatis*; nam melius est, aliquem quaedam nescire, quam eis ad suum vel aliorum damnum abuti; sic praestat, aliquem ex ignorantia solum materialiter peccantem in bona fide relinquere, quam eum dedocere, si praevidemus fore, ut non corrigatur; tunc enim formaliter peccaret, cum mala fide esset. d) Porro in eis, qui ex munere suo alios docere debent, insuper requiritur quaedam *auctoritas*, fundata in scientia et virtute docentis, ut eius doctrina suscipiatur et efficax fiat.

II. *Officia caritatis circa bona moralia.*

Bona moralia illa vocantur, quae voluntatem nostram liberam afficiunt eamque perficiunt, praesertim respectu finis ultimi. Patet, etiam circa haec bona in nobis esse officia eaque tum negativa tum positiva.

A. *Officia negativa.*

1. Officium fundamentale negativum erga proximum respectu bonorum morialium est: *Ne odio habeas proximum. Odium* igitur opponitur amori, et in eo consistit, ut quis aliis malum sive materiale sive spirituale velit atque data occasione faciat. Patet, ex odio tanquam ex radice omnia mala contra proximum oriri. Ac primum quidem inde oritur *invidia*, quae consistit in tristitia de bono a proximo possesso, coniuncta cum desiderio, ut illo bono privetur; deinde *in laetitia* de malo, quo proximus afficitur.

2. Ex odio oriuntur etiam peccata contra *honorem* proximi: a) In *cogitatione suspicio mala*, qua quis *dubitanter* de peccatis aliorum cogitat; *iudicium temerarium*, quando quis sine rationibus sufficientibus de vitiis aliorum *certo* iudicat; si vero quis de vitiis evidentibus aliorum sine ratione sufficiente, i. e. ex quadam aversione cogitat, vocatur iudicium contra caritatem (liebloses Urteil). b) *In verbis: detractio*, si quis vitia occulta proximi sine ratione revelat; pro gravitate vitii, dignitate personae, numero audientium, malignitate intentionis detractio est peccatum plus vel minus grave; idem dicendum est de iis, qui libenter detractionem audiunt. Si vero vitia proximi sunt iam notoria, sive de iure sive de facto, loqui de eis sine ratione est peccatum saltem leve contra caritatem (cfr. Matth. 7, 3—5; Luc. 6, 41—42). Licet vero loqui de peccatis et vitiis aliorum etiam occultis, si nos vel alios a malo physico vel spirituali satis gravi tueri, vel si consilium vel etiam consolationem ab aliis quaerere volumus. — *Susurratio* (Ohrenbläserei) in eo consistit, ut quis vitia (dicta vel facta) aliorum manifestet, ut amicitias destruat et inimicitias creet, qua in re saepe adhuc concurrunt vitia simulationis, avaritiae etc. — *Calumnia* in eo est, ut quis alios vitiorum accuset, quae scit in proximis non inesse; est peccatum gravius ceteris et requirit restitutionem honoris detracti et damni inde orti. — *Contumelia*, si est negativa, consistit in detractione honoris alicui debiti; si est positiva, in convitiis vel irrisione proximi; quodsi superiores hoc faciunt ad subditos legitime puniendos, non est contumelia, modo ne mensuram debitam excedant (cfr. Matth. 5, 22). c) *In operibus*, si quis aliis signa aestimationis et honoris, quae personae et conditioni proximi conveniunt, denegat sive privatim sive publice, si gestibus vel imaginibus (caricatura) eum irridet, si verberibus eum afficit, praesertim publice.

3. *Scandalum* [1]), si quis aliis dictis vel factis occasionem peccandi exhibet. Scandalum distinguitur *activum* in eo, qui ad peccatum sollicitat; *passivum* in eo, qui ad peccatum sollicitatur. Quodsi hic

[1]) S. Theol. II, II, qu. 43 tota.

ex ignorantia scandalum patitur, dicitur *pusillorum* vel infirmorum; si vero ex propria malitia, dicitur *pharisaeorum*. Porro distinguitur scandalum *directum*, si quis peccatum alterius intendit; *indirectum*, si non intenditur, attamen praevidetur ex natura vel circumstantiis dicti vel facti. Quodsi dictum vel factum ex se est licitum, non obligamur illud omittere propter scandalum pharisaeorum, qui omnia ex odio suo in malum interpretantur; si autem agitur de scandalo pusillorum, hi vel docendi sunt, vel actio omittenda est ex caritate, si sine gravi incommodo hoc fieri potest (Rom. 14, 13—15; I. Cor. 8, 13).

Quaestio multum disputata est, num liceat alicui suadere levius peccatum, ne gravius committat, e. g. furari aliquid Petro diviti potius quam Paulo pauperi. Sed non licere videtur, *positive* suadere peccatum minus, quia non licet uti medio in se malo ad finem per se bonum; attamen forte licet negative *permittere*, e. g. tacendo ad peccatum minus, ne maius fiat, quia ex permissione peccati, quod impedire non possum, duplex sequitur effectus: unus bonus, i. e. remotio maioris peccati, alter malus, e. g. furtum; intenditur effectus bonus, malus autem solum permittitur, quia impediri nequit et adest ratio permittendi sc. alterius peccati gravitas *maior* [1]) (cfr. supra p. 102 sq.)

4 *Cooperatio* in eo consistit, ut quis alios peccantes adiuvet. Haec autem cooperatio potest esse *materialis* et *formalis*; est *materialis*, si quis peccatum ipsum non intendit, sed actionem per se bonam vel indifferentem ponit, qua peccatum alienum adiuvatur vel perficitur, e. g. servus iussu domini furantis ad portam domus alienae aperiendam concurrens; est *formalis*, si quis ipsum peccatum intendit vel ad illud consentit. Cooperatio haec tum formalis tum materialis iterum esse potest: *moralis* et *physica*; est *moralis*, si quis in ipsam voluntatem peccantis influit (iussio, consilium, consensus, palpo); est *physica*, si quis eius actionem adiuvat sive positive (recursus, participans), vel negative (motus, non obstans, non manifestans). — Patet, cooperationem formalem semper esse peccatum atque specie idem, quod facit ipse peccans. Cooperatio autem materialis potest carere peccato saltem gravi, si physice vel moraliter necessaria est, et gravis omnino ratio adest, e. g. in servo, qui difficulter aliud servitium inveniret; in milite, qui sub poenis severis ad obedientiam tenetur.

B. *Officia positiva.*

1. *Caritas:* Officium fundamentale, ex quo alia fluunt erga proximum, est officium caritatis (cfr. supra p. 264), quae in eo consistit, ut aliis bene velimus et faciamus idque non solum ex amore concupiscentiae vel gratitudinis, sed etiam benevolentiae, iuxta illud axioma: Quod tibi vis fieri, hoc fac alteri. Atque haec caritas

[1]) Cfr. S. Theol. II, II, qu. 78 a. 4; Lehmkuhl, 1885², I, p. 383. Simar, l. c. p. 386.

omnibus est exhibenda, licet modo et gradu diverso (cfr. supra p. 265), neque quisquam, etiamsi nobis sit inimicus, ab hac caritate excludendus est (Matth. 5, 44 sq.; Luc. 6,27), quod officium, ethnicis prorsus incognitum, per religionem Christi denuo inculcatum et exemplo suo mirifice confirmatum est.

2. *Honor:* Ex caritate in proximos immediate nascitur officium bene et honorifice *cogitandi* de proximo, de eius virtutibus, excusando eius defectus ac benigne interpretando, in quantum cum veritate fieri potest; „nihil enim humani a me alienum est" (Cicero). Ex hoc affectu cordis oritur *affabilitas sermonis,* laudando virtutes proximi, excusando eius defectus, honorifice eum alloquendo; necnon *humanitas* in conversatione cum eo, exhibendo ei signa honoris tum communia tum specialia pro eius vel nostra conditione.

3. *Exemplum:* Consistit in quodam adiutorio, quod proximo ad bonum faciendum per nostram actionem praestamus; est igitur scandalo contrarie oppositum. Exemplum potest verbis et factis exhiberi; „verba movent, exempla trahunt." Est igitur maximi momenti, praesertim in superioribus, magistris, parentibus, quia homines in genere, maxime autem infantes, potius exemplo quam verbis aliorum moventur. Neque quidquam hodie adeo retrahit a virtute colenda, quam exempla mala aliorum et timor humanus inde ortus (Matth. 10, 28; Luc. 12, 5). Exemplum autem eo ipso exhibetur, quod quis religiose et moraliter vivit (Matth. 5, 14—16).

4. *Correptio*[1]: Consistit in eo, ut alios a peccato retrahamus; opponitur igitur cooperationi ad malum. Potest fieri ante peccatum per monitionem et post peccatum per punitionem re vel verbis effectam. Distinguitur *paterna,* quae fit per legitimos superiores (parentes), et *fraterna,* quae fit inter aequales; illa fit ex officio et incumbit gravis obligatio, e. g. parentibus, ut filios corripiant i. e. bene educent, in hoc neque per defectum (Heli sacerdos) neque per excessum deficientes (cfr. Eph. 6, 4). Fraterna autem correptio tunc est ex officio, si proximus est in periculo imminenti peccandi, si effectus correptionis sperari potest, neque grave incommodum inde resultat. Quod ut fiat, bene attendendum est, ut correptio fiat prudenter et suaviter ex motivo caritatis: non igitur ex ira, neque importune, neque verbis irritantibus, neque publice, si fieri potest (Matth. 18, 15; II. Thess. 3, 14, 15).

S. Thomas[2]) officia caritatis spiritualia erga proximos comprehendit versu memoriali: Consule, carpe, doce, solare, remitte, fer, ora. Consule i. e. dubitanti; carpe i. e. corrige peccantem; doce sc. ignorantem; solare sc. afflictum; remitte sc. offensionem; fer sc. onerosos et graves; ora sc. pro vivis et defunctis — quae vocantur septem opera misericordiae spiritualis.

[1]) S. Theol. II, II, qu. 33 tota. [2]) S. Theol. II, II, qu. 32. a. 2.

5. *Libertas proximi* est respectanda. Hic libertas non intelligitur sensu mere *psychologico,* qua quisque sui iuris est, i. e. se ipsum determinat ex principio voluntatis liberae sibi intrinseco. Nam haec libertas a coactione externa et necessitate interna est homini essentialis, neque ei auferri potest per ullam vim externam (cfr. vol. II, p. 357 sq.). Sed hic intelligimus libertatem *externam* agendi, imo etiam sentiendi, quid quisque voluerit. Iam vero quadruplex potissimum haec libertas humana distingui potest: naturalis, civilis (politica), moralis, religiosa. a) *Libertas naturalis* tunc adest, quando quis a nemine impeditur facere quidquid voluerit, modo ne iura aliorum laedat. Potest igitur ipse determinare, quo loco habitet, quid et quomodo operetur, num et cum quo matrimonium vel societatem ineat. Ratio est, quia ex natura liberi sumus atque pares, unde per se nemo aliis voluntatem suam imponere potest; dico per se; nam per accidens multa impedimenta libertatis naturalis inveniuntur: 1° ex iure aliorum, e. g. ratione possessionis vel earum libertatis respectandae; 2° ex iure superiorum legitimorum, qui in familia (parentes) et civitate (magistri, principes, leges civiles et religiosae) sunt; 3° ex contractibus et promissis propriis, quae sphaeram activitatis nostrae coarctant. Repugnat igitur servitus, qua homines dominio et nutui aliorum penitus subduntur, ut servi apud omnes gentes antiquas et multas recentes non christianas (Mohammedani, gentes multae barbarae), libertati ac dignitati naturali personae humanae, quare servitus paulatim a religione christiana abolita fuit[1]). Non tamen, ut patet, repugnat *libera* servitus, qua quis ex pacto aliis, pretio determinato, laborem suum exhibet; secus progressus culturae haberi non posset. Historia autem docet, cultura progrediente, legibus et institutis libertatem naturalem atque personalem magis magisque restringi.

b) *Libertas civilis* in eo est, ut cives legibus quidem subsint — secus nulla societas esse posset — sed legibus iustis et honestis, quae libertatem naturalem civium non coarctant ultra fines, intra quos salus publica haberi possit; salus enim publica non solum est suprema lex civitatis, sed etiam terminus potestatis publicae (cfr. supra p. 210 sq.). Quare leges sphaeram activitatis civium in habitando, conversando, negotiando neve per se i. e. severitate et multitudine sua[2]), neve per earum interpretationem sive applicationem nimis odiosam restringant, sicut fit in civitatibus despoticis, praesertim

[1]) Cfr. Ratzinger, Gesch. d. kirchl. Armenpflege, 1884; Siebertz, Geschichtl. Führer 1900[2]; Kirchenlexikon, Herder, Art. Sklaverei (Grupp).

[2]) Sic conventus rei publicae gallicae sub praetextu libertatis tribus annis 1792—1795 plus quam 21 000 decreta edidit, quibus cives, praesertim vero ecclesiastici bonis privabantur et carceres innocenter damnatis implebantur.

gentium antiquarum, in quibus cives a civitate prorsus dependebant, tanquam non haberent finem proprium civitate superiorem, necnon apud gentes ethnicas hodiernas, e. g. in regno Turcarum, apud nigros Africae, ubi omnes subditi principis quasi servi et proprietas habentur et nutui eius subsunt. Regna autem christiana libertatem suam civilem et politicam debent religioni christianae, quam tamen toties persequuntur, non quia libertati verae civili obstat, sed quia ex una parte licentiam effrenatam eorum, qui fundamenta societatis evellere nituntur (socialismum et anarchismum), ex alia autem parte despotismum libertati personali, morali et religiosae infensum (Liberalismum falsum) reprobat. — Sed de hac re plura infra, ubi de civitate sermo erit.

c) *Libertas moralis* non in eo consistit, quod nullae sint leges morales, quibus homo obedire debet (cfr. supra p. 277), vel quod quisque libere peccare possit — haec enim esset licentia effrenata, quae hominem brutis aequalem redderet —, sed quod nemo contra dictamen conscientiae suae sentire, loqui vel facere cogitur; haec est vera libertas conscientiae, summum hominis bonum et praecipua eius dignitas, qua fit persona moralis. Est igitur summa tyrannis, si quis cogitur contra conscientiam suam agere et ab omnibus virtus habetur heroica, „potius mori quam foedari"; memineris Antigonis et martyrum Christi. Qui vero conscientiam erroneam habet, prius dedocendus est, ut errorem suum intelligat et libere id faciat, quod lex moralis praescribit. Illegitima autem coactio posset esse ex parte superiorum vel aequalium, idque vel directe ad peccatum faciendum, vel indirecte ex exemplo, consilio, minis aliorum, vel ex opinione publica, quae omnia maxime influunt in hominem seducendum, ut historia et experientia cotidiana docent.

d) *Libertas religiosa* non in eo est, ut nemo in conscientia teneatur religionem ullam habere — homo enim ex natura sua et ex Dei voluntate ad religionem ordinatus et obligatus est (cfr. supra p. 236 sq.); sed ut nemo vi externa cogatur ad certam religionem amplectendam; nam religio fundatur in *libera* hominis submissione sub Deo, et ipsa persuasio de Dei exsistentia iam supponit actum voluntatis liberae (cfr. vol. II, p. 477). Non igitur licet, ferro et igne religionem propagare, ut Mohammedani faciebant, sed praedicatione fidei et exercitio virtutum necnon vitae ipsius sacrificio, si oportet; hoc modo missionarii christiani gentes convertebant[1]). Quare s. Thomas: „Infidelium quidam sunt, qui nunquam susceperunt fidem, sicut gentiles et Judaei, et tales nullo modo sunt ad fidem compellendi, ut

[1]) At nonne ecclesia catholica haereticos persecuta est, multosque morti tradidit (e. g. Inquisitio)? Verum est, ecclesiam *haeresim* semper impugnasse ac proinde etiam eos, qui eam propagare studebant, neque negandum est, in

ipsi credant, quia credere voluntatis est; sunt tamen compellendi a fidelibus, si adsit facultas, ut fidem non impediant vel blasphemiis vel malis persuasionibus vel etiam apertis persecutionibus (S. Theol. II, II, qu. 10, a. 8).

III. *Officia caritatis circa bona materialia proximorum.*

Bona materialia vocantur, quae corpus nostrum vitamque nostram sive immediate sive mediate respiciunt. Immediata sunt: Membra, sanitas, vita, integritas moralis (castitas); mediata sunt: nutrimenta, vestimenta, habitatio, aliaque bona externa: pecunia, pecudes, agri, merces, fabricae etc. Circa haec omnia nobis incumbunt officia tum *caritatis* tum *iustitiae*, eaque tum *negativa*, quae vetant, ne his bonis proximorum damnum inferamus, tum *positiva*, quae ea a nobis promoveri iubent iuxta axioma generale, rite tamen applicatum: Quod tibi vis fieri vel non fieri, fac vel ne fac alteri (cfr. supra p. 265).

hac re *aliquos viros* ecclesiasticos ex zelo imprudenti finem potestatis ecclesiasticae excessisse. Sed 1^{0} ecclesia qua talis solum doctrinam haereticam damnavit, tradens deinde haereticos impoenitentes potestati publicae civili, quae iam ex tempore Theodosii imperatoris legibus suis haereticos puniebat; item leges germanicae (Sachsen- und Schwabenspiegel) medio aevo; imo imperator Fredericus II, papae inimicus, haereticos igne comburi lege iussit. 2^{0} Antistites ecclesiae nonnunquam haereticis bellum „sacrum" indicabant, quia catholicos acerrime persequebantur, e. g. Albigenses et Cathari. 3^{0} Haeretici prius erant catholici, imo eorum duces plerumque erant clerici, ac proinde potestati et iurisdictioni ecclesiae subditi. 4^{0} Inquisitio praesertim hispanica (a Sixto IV 1478 precibus regis Hispaniae Ferdinandi et catholicorum contra Judaeos et Moriscos apparenter „conversos", inimicos religionis et regni catholici, introducta, 1820 abolita) erat institutio partim ecclesiastica partim politica non solum ad crimina contra religionem, sed etiam contra castitatem, porro ad superstitionem, defraudationem vectigalium, fenora persequenda. Neque eius defectus vel abusus politici, ab ipsis Pontificibus saepius reprobati, ecclesiae qua tali imputandi sunt; neque numerus morte damnatorum (4000 per 340 annos) huius instituti tantus est, quantus a falsario Ljorente (31 000) indicatur; neque tantus est, quantus fuit numerus catholicorum, qui, teste Cobbet historico protestante, *uno* anno ab Elisabetha regina Anglorum (43 annos regnante) propter fidem trucidati sunt. Et quis nescit, quot milia catholicorum in regnis protestanticis bonis privati, in exilium missi, morte damnati sint? quot milia bellis per „reformationem" in Germania excitatis (Bauernkrieg, Schmalkaldenbund, 30 jähriger Krieg) perierunt? Quot milia per revolutionem gallicam, quae „libertatem, aequalitatem, fraternitatem" profitebatur, ex patria eiecti vel morte crudeli affecti sunt? Cfr. Kirchenlexikon ^{2}, Art. Inquisition (Brück); Revolution (v. Funk). Siebertz, Gesch. Führer, 1900 ^{2}, p. 229, 250, 256 sq.; Burg, Prot. Geschichtslügen, 1895, p. 104 sq. Geschichtslügen, 1902 ^{17}, p. 159 sq. Rodrigo, Historia verdadera de la Inquisicion, 1876; Orti y Lara, La Inquisicion, 1877; Vacandard, L'inquisition, Etude historique et critique, 1907.

A. *Officia negativa* [1]).

Quum officia negativa i. e. abstinere a malo semper et pro semper urgeant, patet, proximos bonis suis *per se* nunquam privandos vel in eorum usu impediendos sive limitandos esse; attamen *per accidens* hoc fieri potest, sc. quando proximi nos ipsos aggrediuntur, ut bona nostra materialia diripiant; tunc enim bonum proximi cum nostro collidit et regula generalis observanda est: Amor ordinatus incipit a se ipso, sc. bonum nostrum per se praevalet bono proximi, si eadem conditio ex utraque parte habetur, imo tunc non solum *possumus* bonum nostrum praeferre, sed nonnunquam hoc *debemus*, si conditio nostra, e. g. ut paterfamilias, honor principis, conditio iudicis, salus publica etc. id requirit. Patet, hic agi de homine privato, qui bona sua contra illegitimam aggressionem tuetur, non de potestate publica, quae legitime crimina vindicat, poenis temporalibus inflictis. Unde statuitur:

Thesis XIX: Licet bona sua contra iniustam aggressionem vi defendere, etiam usque ad aggressorem interficiendum, dummodo moderamen inculpatae tutelae servetur; non tamen honorem laesum hoc modo vindicare licet, ac proinde duellum est illicitum.

St. qu. 1⁰ Iniustus aggressor est, qui auctoritate privata hic et nunc bonum aliquod proximi invadit sive ad illud destruendum, e. g. sanitatem, vitam, castitatem, sive ad illud auferendum, e. g. pecuniam, merces, pecora etc. Non igitur potestas publica legitime aliquem apprehendens vel poenis affligens, licet aggrediatur, est *iniustus* aggressor; neque qui aliquem, licet iniuste, iam *laesit*, est aggressor, sed *fuit*; unde actio in illum ex privata auctoritate esset *ultio*, non iam defensio contra aggressorem. — Porro eadem quaestio est, utrum iniustum aggressorem a me ipso an ab alio vi repellam.

2⁰ Moderamen inculpatae tutelae in eo est, ut quis non maiorem vim adhibeat ad aggressorem repellendum, quam necesse sit, e. g. ne eum interficiat, si vulneratio sufficit; deinde ut vis adhibita i. e. malum aggressori illatum sit proportiatum, sc. ne nimis excedat bonum nostrum, e. g. ne illico fur occidatur, si paucos denarios nobis eripit. Tandem ne ultionem intendat, sed solam defensionem boni sui iniuste invasi. — Hae conditiones theoretice utique facile statuuntur et intelliguntur, sed practice nonnunquam difficile erit, eas servare ex defectu reflexionis vel commotionis, quae excessum subiective facile excusant, praesertim quum fures armis ornati ad omnia sint prompti.

3⁰ Supponitur, honorem *iam laesum* esse; nam in actu ipso, quo honor laeditur e. g. percussione, adest iniusta aggressio; post

[1]) Cfr. S. Theol. II, II, qu. 64 et 65 tota.

factum autem res ad iudicem ordinarium deferenda est, ne habeatur ultio privata.

4⁰ Duellum est certamen singulare ex privata causa de condicto initum armis ad vulnerandum et occidendum aptis. Differt igitur a) ut certamen singulare ex privata causa a certamine inter hostes, licet singulari, e. g. inter Horatios et Curiatios in bello Albano; b) a rixa fortuito exorta, quia de condicto i. e. ex praevia conventione de loco, tempore, armis etc. suscipitur; c) ab aliis certaminibus de honore, praestantia etc., quia armis vitam vel integritatem corporis periclitantibus initur. — Historiam duelli vide infra.

I. *Licet bona sua contra iniustum aggressorem vi defendere, etiam usque ad eius interfectionem.*

Prob. 1. *Ex ordine amoris:* Amor ordinatus incipit a se ipso i. e. bonum nostrum per se, si conditiones ex utraque parte aequales sunt, bono proximo praeferri potest et nonnunquam praeferri debet, e. g. paterfamilias a praedone caelibe oppressus. *Atqui* in iniusta aggressione bonum aggressoris, e. g. sanitas vel integritas vel vita corporis, cum bono meo collidit, neque certe praestat bono meo, neque adest aliud medium ad defensionem quam vim adhibere, si aggressio est actualis; secus ad iudicem res deferri posset. *Ergo* licet iniusto aggressori malum inferre bono meo proportionatum. Si igitur vita mea in periculo est, licet aggressorem occidere; si integritas, si castitas corporis, certe licet ei vulnera gravia inferre, imo multi censent, etiam mortem [1]). Idem dicendum videtur, si agitur de bono vitae suae vel familiae omnino necessario, licet de hac re diversae possint esse opiniones [2]).

2. *Ex natura actionis* [3]): Actio, quae habet duplicem effectum immediatum: unum bonum, alium malum, permittitur, si bonus effectus intenditur et ratio gravis adest permittendi malum (cfr. supra p. 102). *Atqui* in defensione contra iniustam aggressionem: a) uterque effectus est aeque immediatus: conservatio boni sui et illatio damni aggressoris; b) ex suppositione nostra effectus bonus efficaciter intenditur sc. salus propria, effectus malus solum permittitur; c) effectus bonus praevalet, ut in priore argumento ostendimus. *Ergo* licet, vi aggressionem iniustam repellere.

3. *Ex absurdis:* Quod nisi liceret: a) quivis bonus homo et honestus libidini pessimi cuiusque exponeretur; hic enim eius honestate cognita abuteretur; b) non iam societas salva permaneret,

[1]) Cathrein, Philos. mor., 1907⁶, p. 246; Simar, l. c. p. 408, qui hoc tamen reprobare videtur.

[2]) Simar l. c. [3]) Cfr. S. Theol. II, II, qu. 64, art. 7.

quod absurdum est. *Ergo* licet vim adhibere ad aggressorem iniustum repellendum.

4. *Ex persuasione omnium:* Omnibus persuasum est, se posse se defendere, quando iniuste aggressionem patiuntur; neque est tribunal, quod illum morte vel poena condemnet, qui probare possit, se aggressorem interfecisse, necessitate compulsum, ne ipse occideretur. Neque cum Ahrens, iuris positivista, dicendum est, legem positivam ei hoc permittere; sed ex iure naturae ei licet, etiamsi nulla lex hoc permitteret, imo si lex hoc prohiberet.

Optime, ut solet, Cicero [1]) hoc explicat: „Est haec non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum *ex natura ipsa* hoc arripuimus, hausimus, expressimus; ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus, ut si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, si in tela aut latronum aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendae salutis."

Porro ex dictis patet, per se non licere ultionem sanguinis (Blutrache), quam apud plerasque gentes veteres invenimus, tanquam legem sacram statuentes, ut proximi hominis interfecti occisorem trucident, vel ipsum solum vel quemcunque ei cognatum. Certe ubi nulla adest societas constituta vel nimis infirma atque impotens ad eiusmodi crimina vindicanda, per accidens talis consuetudo ex quadam naturali necessitate vel tacito consensu potestatis publicae introducta, potest a peccato excusari. Sic etiam in veteri Testamento [2]) haec ultio sanguinis habetur (Num. c. 35) eaque certis limitibus restringitur; sic etiam medio aevo temporibus perturbatis nonnunquam apparet (Fehderecht); imo adhuc hodie viget apud gentes barbaras et etiam christianas ex antiqua quadam consuetudine vel locorum situ (Corsica).

II. *Non licet honorem laesum vi vindicare.*

Prob. 1. *Ex natura honoris laesi:* Honor enim aut iam est laesus, aut non. *Si primum,* a) bonum nostrum iam ablatum est ac proinde non iam esset defensio contra aggressorem, sed ultio, quae non licet; b) vis adhibita, e. g. vulneratio, interfectio offensoris nostri non est medium aptum ad honorem nostrum reparandum, quia vis illata alicui nil probat pro honestate vel inhonestate aggredientis sive aggressi; vis enim bruta et honor sunt bona incommensurabilia, et tunc fortissimus quisque et procacissimus ius haberet honorem aliorum violandi. Imo vis adhibita probaret potius, defensorem honoris sui esse impatientem, violentum, imo sceleratum, praesertim si laesio honoris sui aliis non est nota. c) Denique alia via et magis secura adest et sola legitima honoris recuperandi, scilicet adire tribunalia, quae ex officio, sine ira et studio causam diiudicabunt.

[1]) Pro Milone c. 3.
[2]) Cfr. Kirchenlexikon, II, 1883 [2], p. 945 sq.

Sin alterum, nulla adest aggressio ac proinde nullum ius defensionis. *Ergo* non licet vim adhibere ad honorem tuendum.

2. *Ex absurdis:* Si liceret, honorem laesum vi reparare, ordo socialis dissolveretur, a) quia toties in vita cotidiana honor laeditur verbis et factis nunc leviter nunc graviter, ita ut rixae et verberationes mutuae non cessarent; b) quia deest mensura obiectiva inter honorem laesum et poenam infligendam, ac proinde attenta hominum irascibilitate poenae inflictae saepe delicto graviores fierent; c) quia multi ex quadam naturali irritabilitate vel malitia se laesos esse affirmarent, quin tamen ulla intentio laedendi adfuisset. Iure igitur lex prohibet, ne quis auctoritate privata honorem laesum vi reparet, sed rem ad iudicem deferat, qui sine ira et studio eam componat.

III. *Duellum est illicitum* [1]).

Prob. 1. *Ex natura duelli:* Duellum est certamen singulare ad honorem verbis vel factis vere vel apparenter laesum restaurandum. *Atqui* vidimus, non licere honorem laesum vi reparare. *Ergo* duellum non licet.

2. *Ex circumstantiis duelli:* Duellum suscipitur armis periculosis, quibus duellantes se mutuo periculo gravis vulnerationis, imo et mortis exponunt, praesertim si statuitur, duellum esse continuandum usque ad physicam impossibilitatem (Kampfunfähigkeit) alterutrius partis. *Atqui* non licet, vitam suam et aliorum sine ratione gravissima tali periculo exponere; nam a) solus Deus est dominus vitae et mortis (cfr. supra p. 251 sq.), nos autem vitam ad eius voluntatem usurpare debemus, sed certe Dei voluntas non est, ut homines ex honore plus minus graviter laeso vitam ipsam periculo exponant. Deinde causa duelli non est tam gravis, ut vitae periculum permitti possit, quia haec honoris laesio saepe nulla fere est (nonnunquam propter verbum vel gestum duella suscipiuntur), alio modo, i. e. per tribunalia melius reparari potest, imo per duellum honor minime reparatur, quia laesus saepe vincitur, ita ut aggressor honoris denuo triumphet, et si laesus vicerit, constat forte, eum esse fortiorem et armis magis expeditum quam aggressorem, non autem eum etiam esse honestiorem.

b) Est grave peccatum contra se ipsum, quia praeceptum caritatis fundamentale nos obligat ad nos ipsos amandos, i. e. ad bona nostra procuranda et conservanda; bonum autem omnium fundamentale pro bonis tum temporalibus tum aeternis acquirendis est vita ipsa; unde in omnibus hominibus tantus horror est mortis tantaque vitae

[1]) Cfr. Griepenkerl, Das Duell im Lichte der Ethik, 1906 (Festschrift zum Bischofs-Jubiläum, Trier); Cathrein, Moralphilosophie, 1904 [4], I, p. 106 sq.; Laacher Stimmen, 1896, p. 569 sq. Geschichtslügen, 1902 [17], p. 448 sq.

aestimatio, ut omnia alia bona materialia offerant ad vitam conservandam.

c) Est grave peccatum contra familiam suam, quae saepe membro sibi necessario privatur (patre), in maximam conicitur tristitiam et in opinione publica etiam detrimentum honoris patitur.

d) Est grave peccatum in societatem, quia duella ubique legibus prohibentur, unde omne duellum, quum ex condicto et plena scientia legis fiat, est gravissima transgressio legis et scandalum publicum, quod saepe etiam alios, vanae gloriae cupidos, ad leges violandas excitat. *Ergo* duellum prorsus est illicitum.

3. *Ex causis duelli:* Duellum initur aut ex honore laeso, aut ex cupiditate vindictae, aut ex timore hominum, ne quis non fortis et animosus habeatur. *Atqui* a) ostendimus, non licere, honorem laesum vi et propria auctoritate restituere; b) neque ultio permittitur, quia in sola actuali et iniusta aggressione vim adhibere licet; c) neque timor hominum excusat a peccato, quia hoc motivum est potius signum animi timidi et ignavi, neque ullus defectus honoris ex parte hominum vere honestorum et sapientum propter duellum refutatum oritur, imo e contrario honor et aestimatio propter animi fortitudinem et honestatis amorem. *Ergo* ex nulla ratione licet duellum.

At nonne ex duello inito duplex effectus habetur, unus bonus: honor restitutus, alius malus: inimici vulneratio plus minus gravis, quae tamen solum permittitur? — Est quidem duplex effectus, sed a) non immediatus; hic enim est inimici vulneratio, quae directe intenditur, non solum permittitur, ut in defensione contra iniustam aggressionem. b) Quare haec tanquam medium ad honorem restituendum adhibetur. Non autem licet medio uti in se malo ad bonum effectum producendum. c) Deinde addendum est, medium insuper *ineptum* esse, quia inimici vulneratio non est signum honoris mei, sed ad summum dexteritatis in usu armorum; porro est medium *incertum*, quia aggressor ipse saepe vincit. d) Denique neque finis legitimus adest, siquidem saepe vix ac ne vix quidem adest laesio honoris, et finis ultionis semper est illicitus, unde duellantes ab honestissimo quoque homine minime honorantur, sed graviter reprehenduntur; laus vero vel vituperatio hominum non honestorum et stultorum, qui honorem externum, i. e. meram eius apparentiam cum interno confundunt, omnino parvi pendenda est.

At nonne fieri potest, ut quis ex opinione publica duellum offerre vel acceptare debeat, ne ignavus habeatur et ex statu suo, e. g. militari eiciatur sine ulla spe rehabilitationis. Hoc quidem fit — pro dolor — apud nos; sed est signum publicae inordinationis perniciosae, et in hoc casu viget lex christiana: Oportet Deo magis quam hominibus obedire.

Scholion: Historia duelli[1]: Antiquitus duellum ad honorem reparandum, ut hodie habetur, non exsistebat, neque apud veteres Germanos, ut quidam

[1]) Werner, Christl. Ethik, III, p. 459 sq.; Cauchy, Du duel, Paris 1846, 2 vol.; de Smedt, Les origines du duel iudiciaire, Etudes 1894, III, p. 338 sq.; porro v. Below, Das Duell u. der germanische Ehrbegriff, 1896; Das Duell in

ad duellum cohonestandum affirmant, quasi honorificum sit, imitari exemplum veterum Germanorum *barbarorum*. Atque hi quidem, utpote in societate ordinata nondum viventes[1]), sicut ceterae gentes barbarae, iniurias sibi ab aliis illatas, praesertim occisionem propinquorum, armis ulciscebantur (Blutrache), et veteres Galli ad fortitudinem suam ostendendam saepe certamina singularia commisisse dicuntur[2]); neque per fidem christianam hic mos, ex antiquitate pagana receptus, penitus exstirpari poterat. — Postea vero ab ipsis principibus certamina singularia in re iudiciaria admittebantur, imo imponebantur, quotiescunque de veritate neque per testes neque per iuramenta sibi opposita constabat; censebant enim, Deum certe innocenti victoriam concessurum esse. Atque Gundobaldus, rex Burgundionum anno 501, repugnante s. Avito, primus hanc legem „iudicii Dei" (Gottesurteil — ordale) statuisse videtur[3]), et post ipsum, auctore Theodorico, rege Francorum, lex Baiuvarorum et Alamannorum. Imo ipse Carolus Magnus anno 809 eandem legem constituit ad lites definiendas[4]), et leges saxonicae (speculum saxonicum — Sachsenspiegel — saeculo 13 scriptum) et suevicae (speculum suevicum — Schwabenspiegel — eodem saeculo scriptum) eam repetebant.

Ecclesia vero eam ut ineptam et superstitiosam reiciebat; sic Agobard, archiepiscopus Lugdunensis († 840), libello conscripto hoc certamen iudicarium impugnabat, et post ipsum Concilium Valentiae habitum anno 855 tali certamine interfectos et ab ecclesiastica sepultura et a suffragiis ecclesiae exclusit[5]). Item Papa Nicolaus I († 867), Stephanus VI († 891), Alexander II († 1073), Alexander III (in concilio Lateranensi 1179), Coelestinus III anno 1195, Innocentius III, Honorius III et Gregorius IX, qui decreta praedecessorum suorum iuri canonico inseruit: „Duella et aliae purgationes vulgares prohibitae sunt, quia per eas multoties condemnatur absolvendus et Deus tentari videtur"[6]). His ecclesiae decretis permoti, etiam principes paulatim certamen illud iudiciarum vetabant, ita ut ex saeculo XIII raro fieret et saeculo XV prorsus abolitum esset.

Patet autem, hoc certamen singulare iudiciarium prorsus differre a duello recentiore: a) *origine*, quia ortum est ex defectu legislationis sufficientis; et institutum vel saltem approbatum fuit ab ipsa potestate publica, duellum autem contra leges publicas ortum est; b) *modo*, quia certamen iudiciarium non suscipiebatur, nisi a iudice publico impositum et quoad tempus, locum et modum determinatum; duellum autem privata auctoritate clam suscipitur; c) *fine;* nam certamen iudiciarium *inquisitionem veritatis* in tribunali respiciebat, non honorem reparandum, sed crimina gravia: necem, crimen contra castitatem, proditionem patriae etc. punienda; erat igitur medium legale in foro

Deutschland, 1896; Zur Entstehungsgeschichte des Duelles, 1896; contra quem Geffken, Fehde und Duell, 1899. Cfr. Kirchenlexikon, 1901, X: Zweikampf (Grupp); Siebertz, Gesch. Führer, 1900[2], p. 113 sq.; Michael, Gesch. d. deutsch. Volkes seit dem 13. Jhrh., 1897, I, 241. 315.

[1]) Caesar, Bell. gall. IV, 1; Tacitus, Germania 10 et 11; Hist. IV, 76.

[2]) Diodor. Sicul. Biblioth. hist. l. 5, c. 28.

[3]) Mon. Germ. Leg. sect. I, tom. II, 1 p. 75.

[4]) Ibid. sect. II, p. 150. [5]) Mansi, Coll. Conc. XV, 10.

[6]) Cfr. De Smedt, Les origines du duel iudiciaire, Le duel iudiciaire et l'Eglise (Etudes 1894 et 1895).

publico; duellum autem ad honorem saepe vix laesum reparandum idque clandestine instituitur. — Neque minus duellum differt a *ludis bellicis* (Turniere) equitum medii aevi, qui publice instituebantur, non ad honorem reparandum, sed ad fortitudinem manifestandam, neque vulnerationem, nedum mortem aliorum intendebant; sed quia et hi ludi saepe modum excedebant neque periculo carebant, ab ecclesia iam anno 1131 prohibiti sunt sub poena sepulturae ecclesiasticae denegandae [1]).

Quando igitur duellum modernum ortum est? Primum in Anglia [2]) 1425 factum esse dicitur; maxime vero in Hispania hic mos invaluit ex animo bellicoso, victoriis gloriosis in Mauros reportatis, ibi plus aequo excitato (Don Quixote). Sed mox in omnes gentes Europae ita irrepsit [3]), ut reges Galliae Henricus II, Carolus IX, Henricus IV, Ludovicus XIV; porro reges Borussiae Fredericus I et II legibus severis illud prohiberent. Imperatrix Maria Theresia 1769 duellum morte puniebat; idem fere leges Borussiae 1791. — Hodie duellum legibus ubique prohibetur [4]), attamen hae leges in favorem militum adeo mitigantur, ut vix quemquam a duello deterreant. Accedit, quod nuper 15. Jan. 1906 ipse minister belli publice declaraverit, duellum propter opinionem publicam nondum aboleri posse et praefectum militum (Officier), qui duellum non acceptet, ex gradu suo depellendum esse — sententia vere deplorabilis et aperte repugnans sanae rationi legibusque publicis.

Ecclesia vero catholica duellum semper severe prohibuit [5]); inprimis Pius V 1560 et concilium Tridentinum, duellum appellans a diabolo inventum, illud sub poena excommunicationis vetabant. Benedictus XIV, reprobans sententias aliquas laxiores, statuit eum non excusari ab excommunicatione, qui duellum inierit ex metu, ne a statu suo excidat. Pius IX (Encyclica: Apost. Sedis, 1869) excommunicationem extendit etiam ad duellum offerentes et acceptantes, licet locum non habuerit; et Leo XIII „mensuras" quoque studentium, utpote praeparationem et initiationem ad duella, sub excommunicatione 1890 prohibuit, et 1891 excommunicationem a praedecessoribus statutam iterum confirmavit.

Hodie praeter scriptores militares vix quisquam invenitur, qui duellum absolute defendat; sunt tamen non pauci, qui censeant, attenta opinione publica et conditione militari, duellum tanquam exceptionem a lege admittendum esse, quasi honor hominis militaris alius sit atque aliorum hominum vel aliâ normâ diiudicandus [6]). — Sperandum est, fore ut liga antiduellistica, 1901 a viris cordatis principibus Alfonso Hispaniae et Löwenstein constituta, cui viri illustrissimi nomen dederunt, opinionem publicam ita instruat, ut duella apud nos quoque cessent, sicut iam ex 60 annis in Britannia, etiam apud milites, desierunt, quod inprimis societati ibi fundatae debetur: Antiduelling societies.

[1]) Cfr. Werner, III, p. 461 sq.

[2]) Ita Grupp, Kirchenlexikon, 1901, X, p. 2014; v. Below primum duellum in Hispania ortum fuisse censet, quia decretum concilii Arandensis 1473 duellum gravibus poenis prohibet (Götting. Gelehrt. Anz., 1896, p. 32).

[3]) Annis 1589—1608 in Gallia 8000 duello perierunt; anno 1905 apud nos 110 duella locum habebant.

[4]) Apud nos §§ 201—210 codicis poenalis civilis, et § 112 codicis militaris.

[5]) Lehmkuhl, Theol. moralis, 1885 [2], I, p. 850 sq.; II, p. 948 sq.

[6]) Ita praesertim Paulsen sensit, System der Ethik, 1900 [5], p. 101 sq.

B. *Officia positiva.*

I. Officia positiva circa vitam, integritatem, sanitatem corporis possunt esse inter aequales et inter praepositos et subditos. Inter aequales pauciora sunt, siquidem cura vitae bonorum singulis individuis, et si ipsi non possunt sibi consulere, praepositis (parentibus, dominis, magistratibus etc.) incumbit. Attamen etiam inter aequales quaedam habentur officia positiva ratione obiecti plus minus gravia.

1. Ac primum quidem oportet removeamus omnia, quae vitae, integritati, sanitati proximorum obesse possint, nisi ex hoc incommodum respectu periculi proximi relative grave nobis oriatur. Sic oportet, alios saltem monere de periculo imminenti, e. g. de fossa aperta noctu, de bestia feroci, de morbo contagioso, de ruina domus etc. — Praepositi autem *etiam cum gravi incommodo* tenentur consulere saluti corporali subditorum, e. g. parentes, praesertim matres vitae infantium etiam nondum natorum (abortus) [1]), porro infantibus graviter infirmis; domini servis vel operariis suis in fabricis, fodinis, metallis etc. laborantibus (Schutz- und Wohlfahrtseinrichtungen) [2]); magistratus in securitate publica necnon munditie plantearum procuranda, in nosocomiis et hospitalibus aedificandis; omnibus his ex officio sive explicite ex natura rei (parentes, magistratus), sive implicite (domini) ex libera conventione cura subditorum imponitur [3]).

[1]) Quomodo veteres lege ipsa annuente vel etiam imperante, necnon gentes recentes saepe infantes occiderint, vide K. Werner, l. c. III, 270 sq. Hodie leges abortum et infanticidium graviter puniunt (Codex poenalis, §§ 217—221).

[2]) De legibus ad salutem et vitam operariorum factis in appendice de quaestione sociali sermo erit. Cfr. Brandts-Hitze, Arbeiterwohl (periodicum ab anno 1881); Léon Harmel, Catéchisme du patron, 1889.

[3]) Nostro tempore gubernium et magistratus multam operam dant hospitalibus aedificandis magnis sumptibus, praesertim ut morbi contagiosi (tuberculosis) impediantur, id quod certe laudandum est, modo ne intendant, auxilium ecclesiae repudiare, ut nonnulli magistratus, praesertim in Gallia. Ecclesia enim catholica fere sola usque ad saeculum XVIII hospitalia fundavit magnis expensis, eorumque administrationem piis sodalibus tradidit. Ex tempore enim Concilii Nicaeni xenodochia fundabantur, primum ad peregrinos, deinde ad aegrotos et inopes alendos; notissimum erat illud s. Basilii, anno 370 Caesareae aedificatum, tantae magnitudinis, ut urbi compararetur. In urbe Roma saec. XI iam 24 hospitalia erant a diaconibus administrata. S. Bonifacius in prima synodo 742 habita decrevit, omne monasterium debere hospitale habere, id quod Carolus M. imperator in synodo Aquisgrani 817 cum episcopis imperii confirmavit. Itaque nulla erat urbs, imo vix pagus maior, qui non haberet hospitium. Sic in urbe nostra Trevirensi vel prope eam, medio aevo parum populata (vix 6—10000 incolae), 9 hospitalia vel domus pauperum erant, a Napoleone unita, quorum reditus annui anno 1794 erant 35 914 Frs (Marx, Gesch. des Erzstiftes Trier, V, 512). In Gallia ante revolutionem anno 1790

2. Si vero tale malum in proximum irruit, oportet eum adiuvemus. Sic si quis in periculo vitae versetur, e. g. in aqua immersus, in domo ardenti inclusus, omnibus adest officium proximum liberandi ex periculo imminenti, si sine gravi periculo vitae propriae possint; quibus vero cura illorum incumbit, etiam cum gravi periculo auxilium ferre tenentur, nisi impossibilitas salutis adsit, vel si mors propria sine ulla utilitate praevideretur. Sic qui inveniret hominem vulneratum vel ope humana destitutum, teneretur eum adiuvare secluso gravi impedimento vel aliorum auxilio; et qui sanitatem alicui restituere posset, quin faceret, certe peccaret contra caritatem.

3. Ratione *integritatis moralis* tenemur omnia removere, quae castitatem aliorum offendere possint, in quantum possumus sive physice sive moraliter; imo castitas aliorum impugnata simili modo defendenda est, quo possumus et tenemur vitam et integritatem physicam proximorum tueri. Praesertim vero praepositi gravi officio ad hoc obligantur, unde et leges hodie statuunt quaedam de loco et commercio virorum et mulierum in fabricis vel fodinis simul operantium, et vetant, ne imagines vel libri vel theatra aperte inhonesta oculis omnium offerantur, licet in hac re magistratus saepe deficiant[1]).

plus quam 2185 hospitalia maiora exsistebant bene fundata; tempore autem regis Ludovici sancti († 1270) 20 000 hospitia in Gallia fuisse dicuntur.

Ad aegrotos autem curandos plurimae in ecclesia ortae sunt et virorum et mulierum Congregationes iam ex saeculo IX, quarum celebriores sunt ordines equitum S. Johannis, Templarii et fratres Teutonici tempore cruciadum; nostris vero temporibus fratres s. Johannis a Deo, s. Francisci, sorores s. Francisci, s. Caroli Borromaei, s. Vincentii, s. Elisabeth, les petites soeurs etc. Cfr. Konversationslexikon, Herder, Art. Hospitaliter. Ratzinger, Geschichte der kirchl. Armenpflege, 1884². Werner, Christl. Ethik, III, 295 sq.

[1]) Inde nostro tempore associationes quaedam virorum ortae sunt ad honestatem publicam tuendam, duce Roeren (Männerverein zur Bekämpfung der öffentlichen Unsittlichkeit), necnon ad puellas contra quosdam negotiatores tuendas (Internationaler Mädchenschutzverein) Konversationslexikon, Art. Mädchenschutz. Multum disputatur, num potestas publica prostitutionem prohibere debeat, an propter impossibilitatem moralem eam supprimendi eam permittere possit; et si permittere possit, num melius sit, mulieribus prostitutis certam domum vel regionem urbis assignare, an libertatem habitandi concedere. Certum est, mulierculis istis non permittendum esse, ut publice die vel noctu viros alliciant, et curandum est, ne morbis eos afficiant (cfr. Paulsen, System d. Ethik⁵, II, p. 286). — In ecclesia catholica iam saec. XI sodalitas „fons Evraldi“ orta est ad viros et mulieres vitio corruptas convertendas. Deinde aliae plures oriebuntur a Fulcone Raymundo, Johanni de Deo fundatae. Anno 1631 ordo sororum hospitalium, 1640 sororum providentiae, 1641 congregatio b. Mariae Virg. (Eudes), praesertim ordo boni Pastoris 1688 late diffusus. Societas S. Regis (1828) dotes procurat puellis periclitatis vel matrimonia dissoluta restituit (cfr. Werner, III, p. 334). Novissime Don Bosco († 1888) ordinem Salesiorum instituit, colligens pueros derelictos et periclitatos, quae congregatio adeo excrevit, ut Don Bosco adhuc vivente fere 130 000 pueros

Inprimis parentibus incumbit officium cavendi, ne liberi in domo ipsa libros, imagines, statuas etc. videant bonis moribus perniciosas, porro ne forte per domesticos pravis moribus initientur, vel vestitu indecenti, praesertim puellae et virgines adultae, scandalum dent vel accipiant (e. g. per vestes nimis breves vel angustas, partes corporis minus honestas non satis contegentes).

4. Ratione *bonorum externorum* tenemur proximos adiuvare primum consilio, si indigent, ad damnum avertendum vel bonum magnum acquirendum. Sed si proximus non interrogat, vix obligatio consilii dandi adest inter aequales, nisi in casu damni evidentis, ne immodesti videamur. Patet autem, superiores teneri ad subditos positive adiuvandos. Deinde etiam a) si damnum imminet proximo, e. g. per incendium, per inundationem, per fures vel insidiatores, vel si subito malum in eum irruit, re ipsa ex caritate proximum adiuvare tenemur multiplici modo; b) si in necessitate constitutus, indiget auxilio (pecunia, intercessione etc.), ne ruinam patiatur vel ex statu suo excidat; c) ut ex statu miseriae possit ascendere[1]); supponitur tamen, nos posse auxilium praestare idque sine gravi incommodo et sine periculo mutui dati, si aliunde auxilium non adesset; neque sine fenore licito mutuum dare obligamur, modo proximus hoc solvere possit. d) Ut proximo occasionem laboris exhibeamus, qui modus adiuvandi omnium optimus est atque dignitate humana maxime dignus[2]). e) Ut iis, qui vestibus, domicilio, nutrimento egent, neces-

educaverit (Villefranche, Don Bosco, 1888; germanice 1892), quorum usque eo (1888) nullus propter delictum punitus fuit, quamvis adolescentes in scholis laicis Italiae educati, teste Garofalo professore liberali, quinta pars omnium propter crimina punitorum fuerint (5000 fere ex 25—28 000). Cfr. Nilkes, Schutz- u. Trutzwaffen, 1901⁵, p. 16. Schulmann, Die Volksschule vor u. nach Luther, 1903, p. 100 sq. — Vi legis anno 1900 statutae de educatione liberorum utriusque sexus periclitatorum annis 1901—1906 33 600 (22 119 pueri, 11 481 puellae) magnis sumptibus gubernii ($^2/_3$) et provinciarum ($^1/_3$) (24 173 035 M., pro persona 180 M.) sive familiis privatis sive institutis religiosis educandi tradebantur, quorum 64,8 % protestantes, 34,6 % catholici, 0,4 % judaei.

[1]) Ad hunc effectum exsistunt hodie ubique instituta tum publica tum privata (Spar- u. Darlehnskassen), quae modesto foenere pecuniam mutuam dant et accipiunt: Anno 1903 in Germania 2735, in quibus 16 000 000 incolae 10 313 000 000 M. depositas habebant. In Austria anno 1904: 595, in quibus 3 500 000 incolae 4 573 000 000 Kr. deposuerant (Cfr. Konversationslexikon, Herder, 1907, VII: Art. Sparkassen). — His institutis elapso demum saeculo fundatis ea similia fuerunt, quae primum saec. XV sub nomine „montes pietatis“ in Italia a Franciscanis (primus Barnabas ex Terni Perugiae) fundata sunt, quae parvo foenore pro expensis administrationis sufficiente pecuniam dabant, deinde per totam Italiam diffusa contra foeneratores in utilitatem pauperum, a Concilio Lateranensi 1517 et Tridentino 1565 laudata atque commendata.

[2]) Hodie habentur instituta tum publica tum privata, quae laborem quaerentibus succurrunt (Arbeitsnachweis); ita anno 1902 iam 110 urbes Germaniae associationem constituebant ad laborem indicandum. In Gallia et

saria ad vitam praestemus; inde praeceptum eleemosynae faciendae habetur [1]). Distinguitur necessitas communis et necessitas extrema proximi; si prior adest, tenemur ex eis, quae nobis ad vitam superflua sunt, ei succurrere; si vero in extrema necessitate est, etiam eis, quibus ad vitam indigemus, adiuvandus est. Attendendum tamen est, ut eleemosynae distribuantur ex *amore, cum hilari vultu* et *pru-*

Austria haec laboris indicatio est per gubernium instituta et ordinata. Porro uniones operariorum socios suos labore destitutos sustentant; ita praesertim operarii Britanni in Trade unions coadunati usque ad annum 1902 non minus quam 11 000 000 Mark labore privatis solvebant. — Statistica anno 1895 facta edocuit, mense Junio 299 352, mense Decembri 771 005 labore destitutos fuisse = 1,89 % sive 4,88 % omnium operariorum! Si vero ex his numeris invalidi excipiuntur (120 348 et 217 365), restant 179 004 et 563 640 labore carentes — numerus adhuc nimis magnus. Speratur igitur assecuratio per leges, res certe difficilis.

[1]) Verbo Christi commoti (Matth. 26, 11; 25, 40; cfr. I Cor. 16, 1 sq. V Mos. 15, 11), iam Apostoli, diaconis electis (act. ap. 6, 1 sq.), pauperes eleemosynis sustentabant, et haec misericordia in pauperes semper in ecclesia viguit tanquam signum manifestum eius divinitatis. Ita tempore Cornelii Papae († 263) Romae 1500 pauperes sustentabantur (s. Laurentius diaconus martyr pauperes Ecclesiae opes vocat). Quarta pars omnium redituum ecclesiae, testante iam Papa Simplicio († 483), ex antiqua consuetudine ad pauperes sublevandos fuit assignata. Omnia deinde hospitalia et monasteria totidem erant centra misericordiae in pauperes exercendae. Ita e. g. monasterium Cligny quotidie 18 pauperes cibabat et certis quibusdam diebus festis usque ad 17 000 uno die; praesertim vero tempore famis monasteria innumeros pauperes cibabant: in Heisterbach saepe 1500, in Clairvaux nonnunquam 10 000 uno die. Monasterium Kremsmünster cibabat die fundationis suae 20—30 000 pauperes et adhuc anno 1867 non minus quam 37 000 peregrinos (cfr. Ratzinger, Gesch. d. kirchl. Armenpflege; Siebertz, Geschichtl. Führer: Armenpflege durch die Kirche. Werner, l. c. III, p. 295 sq.). Quis nescit, quid s. Vincentius a Paulo († 1660), vere heros misericordiae christianae, tempore bellorum continuorum, ad pauperes sublevandos fecerit, integras provincias (Lotharingiam) a morte famis deliberans; dicitur 50 000 000 Frs. pro pauperibus erogasse (Cfr. Bougaud, Hist. de s. Vincent de Paul, 1891 [2], 2 vol.; de Broglie, St. Vincent de Paul, 1899 [5]). Mentione hoc loco dignum est, quod Trinitarii (instituti a Johanne de Matha † 1213 et Felix de Valois † 1212 ad servos christianos ex captivitate infidelium redimendos) 900 000 fere christianos pretio 5 400 000 000 Frs. liberavisse feruntur (Kirchenlexikon, 1901, XII, p. 86 sq.).

Saeculo XVI leges contra pauperes mendicantes, quorum numerus propter bella continua et morum collapsum, monasteriis multis, praesertim in Britannia, destructis, nimis excreverat, in plerisque civitatibus praeeunte Britannia constitutae sunt, quibus pauperes alieni in locum nativitatis suae repellebantur et quaevis civitas pauperes suos publice alere tenebatur. Sic etiam in urbe Trevirensi ab archiepiscopis „ordo mendicantium“ constitutus est 1533 et renovatus 1699, 1717, 1776; anno 1533 in tota urbe 96, anno 1717 autem 130 mendicantes inveniebantur (Marx, l. c. II, p. 253 sq.), fere 1,3—1,5 % civium illo tempore, certe numerus relative parvus, si comparatur cum numero pauperum, qui hodie a nostris civitatibus sustentantur (Treviris hodie plus 2 %). — Hodie simili modo per leges 1794 et 1842 statutas pauperes in locis, ubi

denter, ne potius pigritia foveatur, sicut olim plebs Romana, publicis cibatibus corrupta, nonnisi panes et circenses expetebat (cfr. Seneca, de bene II, 11).

Sect. II: Officia iustitiae erga proximos.

Praenotio: Praeter officia caritatis multa nobis incumbunt officia iustitiae erga proximos, quibus totidem respondent iura. Haec autem iura possunt accipi sensu latiore, in quantum fundantur in iustitia tum commutativa, tum distributiva, tum legali, et sensu strictiore, in quantum sola nituntur iustitia commutativa, quae est inter pares. Quae iura si laesa fuerunt, requirunt, saltem per se, restitutionem usque ad aequalitatem. Fundamentum autem omnium iurium et officiorum iustitiae strictae est *ius proprietatis*; quare oportet inquirere: a) quid et quale sit ius proprietatis; b) quae sit eius necessitas; c) quomodo acquiratur.

§ 1. De ipsa natura iuris proprietatis.

I. *Notio:* Quum ius in genere (cfr. supra p. 207 sq.) sit potestas moralis in rem suam in lege fundata, ius proprietatis in specie

habitant, sumptibus publicis sustentandi sunt (cfr. Konversationslexikon: Armenwesen, porro: Histor. polit. Blätter, tom. 28, p. 408 sq.).

Statistica ultima anni 1885 docet *publicis* sumptibus adiutos esse:

In Borussia	953 292	pauperes,	3,37 %	populationis,	pro	persona	54,8 M.
„ Saxonia	88 602	„	2,78	„	„	„	60,0
„ Württemberg	63 320	„	3,17	„	„	„	53,2
„ Baden	68 426	„	4,27	„	„	„	49,0
„ Bavaria	151 550	„	2,80	„	„	„	64,1
„ Alsatia-Loth.	73 489	„	4,70	„	„	„	53,3
„ Toto imperio Germanico	1 592 386	„	3,40	„	„	„	55,0

In urbibus Borussiae	793 048 = 5,30 %;	rure	412 234 = 2,09 %
„ Bavariae	55 458 = 3,68	„	96 092 = 2,46
„ Alsatiae-Loth.	41 649 = 8,09	„	24 794 = 2,36

(Cfr. Elster, Wörterbuch der Volkswirtschaft, 1906 [2]: Armenstatistik).

In *Gallia* anno 1899 adiuti sunt ab institutis publicis (Bureaux de bienfaisance): 1 411 809 pauperes; expendebantur 34 000 000 M. = 24 M. fere pro persona; in 893 hospitalibus erant 296 012 pauperes aegroti vel derelecti. Assecuratio aegrotorum adiuvit 779 988 aegros = 12 000 000 M.; in 1780 domibus aegrotorum sanabantur 632 084 aegroti et 95 940 senes = 113 000 000 M. (Parisiis ipsis horum erant 37 %). (Cfr. Konversationslexikon, Herder, Art. Frankreich III, 765). *Berolini* quotannis 8 000 000 M. pro pauperibus expenduntur. In *Britannia* (Scotia et Iberia exclusis) 8 000 000 pauperes esse dicuntur (= quarta pars totius populationis), qui ipsis necessariis indigent. — Errant igitur, qui affirment medio aevo pauperes numero plures fuisse, quam hodie; pauperismus tunc non tam late patebat, neque tam durus erat, quia ubique caritas fraterna erat, neque divitiae neque paupertas excessiva. — Cfr. Uhlhorn, Die christl. Liebestätigkeit, 3 vol., 1882/90. „Charitas“, periodicum (ex anno 1895 editum a Mgr. Werthmann) pro Charitas-Verband, 1897. Rotes Kreuz (unio internationalis 1863). Kathol. Frauenbund, 1903.

definiendum est, ut sit *potestas moralis in rem aliquam ut suam possidendam in lege fundata*. Notandum est, nos nunc nondum exsistentiam alicuius iuris proprietatis supponere, sed solum eius conceptum exponere. Ius igitur proprietatis vocatur potestas *moralis*, ut distinguatur a potestate physica, qua quis rem, licet non suam, retinet, ut fures et raptores; potestas autem moralis fundatur in ordine morali, cui subest ordo physicus. Dicitur potestas in rem *aliquam*, ut ius in genere significetur; nam ex natura non habemus ius ad *certam* aliquam rem externam (in sensu disiunctivo), sed solum ad quasdam res nobis utiles in genere (in sensu disiuncto, cfr. dial., vol. I, p. 34), quae facto quodam determinandae sunt. Dicitur ad rem ut suam *possidendam*, ut ius proprietatis ab aliis iuribus sive caritatis sive etiam iustitiae sensu latiore acceptae distinguatur, siquidem non respicit nisi res externas nobis quocunque modo utiles vel necessarias easque actu possidendas, unde obligatio ad rem legitimo possessori restituendam oritur, quae in aliis iuribus non adest. Dicitur potestas in *lege fundata*, ut titulus iuris indicetur, qui semper est lex aliqua sive divina sive humana, ad factum aliquod applicata. Factum enim possessionis in se solo non est fundatum; secus etiam fur haberet ius proprietatis; lex autem ex se sola non est determinata; secus omnes omnia possiderent, utpote a natura pares; lex igitur et factum debent concurrere ad ius concretum constituendum: illa ut *forma*, hoc ut *materia* (cfr. supra p. 209). Ex hoc patet, ius proprietatis non inesse nisi in subiecto rationali libero, quippe quod solum legibus et ordini morali subesse possit. Qui igitur e. g. nidum avis sine utilitate auferret vel destrueret, ageret certe irrationabiliter, sed non peccaret contra iustitiam neque ad restitutionem nidi teneretur.

II. *Divisio:* Quum ius proprietatis, sicut omnia iura (cfr. supra p. 213), in aliqua relatione consistat, diversa iura ratione subiecti, termini, fundamenti (tituli) distingui possunt, quae distinctio *ex parte* eadem est atque ea quam supra p. 213 de iure in genere exhibuimus.

1. Ratione *subiecti* distinguitur: Ius proprietatis *publicum*, quando tota civitas qua talis possidet bona (fiscus, patrimonium ecclesiae); *privatum*, quando subditi possident bona; et haec possessio privata iterum potest esse *collectiva* et *individualis*, prout plures personae (familia, societas cooperativa = Genossenschaft, Aktiengesellschaft etc.) vel una sola persona bona possidet. Porro individualis possessio subdividitur *personalis* et *realis*, prout persona physica rem possidet vel iuridica sive moralis (juristische Personen — e. g. hospitalia, fabricae ecclesiarum, sedes episcopalis, scholae publicae superiores, fundationes quaedam — Fideikommisse etc.).

2. Ratione *termini* et quidem 1° *proximi* (obiecti possessi) distinguitur: a) ius proprietatis *perfectum* et *imperfectum*, prout quis dominium in rei substantiam et usum habet, vel si solum dominium *directum* i. e. in substantiam rei, vel solum *utile* i. e. in usum rei habet; b) ius proprietatis in rem *mobilem* vel *immobilem*, prout res possessa loco suo mota eadem permanet vel non; c) in rem *fungibilem* vel *non fungibilem*, prout res possessa pro alia re eiusdem speciei ratione quantitatis et qualitatis supponi vel non supponi potest; e. g. triticum, vinum eiusdem qualitatis et quantitatis sunt res fungibiles; fundi et triticum res non fungibiles; d) in rem *productivam* et *consumptivam;* haec usu consumitur, e. g. cibus; illa usu suo nova bona producit, e. g. fabricae, fodinae, agri, pecunia, pecora, merces vendendae etc., quae etiam sensu latiore „capitale" vocantur. Sensu vero strictiore capitale vocatur, quidquid labore humano productum est et ad nova bona producenda adhibetur; sensu strictissimo autem pecunia, quae loco omnium bonorum habetur [1]). Addendum est, rem aliquam posse esse consumptivam et productivam pro usu diverso, e. g. triticum, quod potest adhiberi ad panem faciendum et ad novam segetem producendam vel pecuniam venditione accipiendam, imo bonum consumptivum *indirecte* etiam aliquid *producit* sc. novas vires corporis ad laborandum. 2° Ratione termini *ultimi* distinguitur *ius in re et ius ad rem;* illud est actualis rei possessio sive perfecta sive imperfecta; hoc vero consistit in potestate morali ad aliquid, quod nondum possidemus, ab alia persona accipiendum ratione promissionis, pacti, hereditatis etc. Persona autem ipsa nunquam potest esse vel fieri obiectum ipsum possessionis, quia persona humana ex natura sua ordinata est ad Deum, tanquam ad dominum absolutum, non ad ullum hominem, ut servi apud veteres; potest tamen aliquis laborem suum sive corporalem sive spiritualem in utilitatem aliorum pretio statuto locare, ut opifices, magistri, ministri publici etc.

3. Ratione *fundamenti (tituli)* et quidem 1° *facti* distinguitur a) ius *certum*, cuius titulus, e. g. emptio, hereditas certo exsistit; *dubium*, cuius titulus non certo exsistit; quod si quis nescit, dicitur possidere *bona fide;* si vero scit, non autem certam scientiam acquirere studet, *mala fide* possidere dicitur. Si vero inquisitione facta certitudinem acquirere nequit, potest rem bona fide possidere, donec certum argumentum in contrarium ei proponitur. b) Ius *connatum*, quod aliquis ex nativitate sua habet, e. g. ut heres legitimus; ius *adventicium*, quod quis sibi labore suo acquisivit, e. g. merces, pensio,

[1]) Cfr. Fuchs, Volkswirtschaftslehre, 1902, p. 68 (Sammlung Göschen, p. 33). Böhm-Bawerk, Kapital und Kapitalzins, II, p. 23 sq.

lucrum ex negotio, fabrica etc., vel quod ei fortuito supervenit, e. g. donatio, inventio rei nullius.

2º Ratione *legis* distinguitur a) ius proprietatis *naturale*, quod, si exsistit, per legem naturae fundatur et omnibus hominibus aequo modo inest; et ius *positivum*, quod per leges civitatis constituitur et pro diversa civium conditione varia est ac mutatur; e. g. leges de testamento legitimo, de hereditate, de pretio constituto, de auxilio operariis aegrotis, invalidis, senibus praestando etc. b) *Ius inalienabile*, cui nemo renuntiare potest sive physice sive moraliter, e. g. ius in integritatem, sanitatem corporis, in vitam etc., ad quod ius tuendum in gravi necessitate etiam bona aliena, quantum necesse est, usurpari possunt (Notrecht). Ius *alienabile*, quo quis uti non tenetur, e. g. bona a nobis possessa vitae non necessaria per modum donationis aliis collata. c) *Ius absolutum*, quod est solius Dei in omnes res, a quo nulla fieri potest exemptio; *relativum*, quod dependet, saltem quoad exsistentiam, a voluntate divina, quoad determinationem a factis quibusdam; hoc modo ius humanum se habet. d) Ius *positivum* et *negativum*; positivum est illud, quod tum ratione legis tum ratione facti est determinatum; comprehendit igitur et ius naturale et positivum sub a) explicatum; negativum est, quod ratione legis et facti est indeterminatum, e. g. ius in res mundi universi ante omnem occupationem.

III. *Finis iuris proprietatis*: 1. *Pro homine individuo*: a) ratione bonorum vitae corporalis hic finis est, ut vivere viresque suas modo debito conservare, necnon libertatem suam externe exerçere possit tum in negotiis faciendis tum in hominum conversatione; qui enim bonis vitae omnibus vel saltem necessariis destituti sunt, vitam miseram degunt, vel saltem prorsus ab aliis dependent carentque libertate illa personali, quae hominem adultum et sui iuris decet. b) Ratione bonorum intellectus, ut cura bonorum materialium liber, perfectioni mentis melius consulere possit studio literarum et artium ingenuarum; nam inter curas et miserias vitae corporalis silent musae. c) Ratione bonorum moralium; licet enim proprietas possit esse occasio malorum (fraudis, furti, avaritiae, odii, luxuriae, desidiae, superbiae, irreligionis etc.), attamen hoc non est per se i. e. ex tendentia naturae suae, sed per accidens sc. ex malitia cordis singulorum hominum. Immo potest esse et saepe fuit occasio bonorum moralium praestantium, primum conservando a periculis multis, in quae pauperes incurrunt (furtum, odium, prostitutio etc.); impellendo ad laborem, siquidem hominibus inest tendentia naturalis proprietatis magis magisque augendae: plus ultra; porro prodest exhibendo media ad alios homines pauperes pecunia vel labore praestito adiuvandos, ad scientias et artes promovendas (Maecenas), ad instituta et monumenta

publica erigenda (Carnegie), ad bona sua ex amore Dei offerenda (votum paupertatis). Res igitur possessae sunt media, quibus salutem nostram et temporalem et aeternam operamur.

2. *Pro familia*: Nam sine ulla proprietate familia vel vivere non potest vel prorsus dependet ab aliis hominibus, et servituti homine indignae subditur. Quodsi nullum ius proprietatis esset, quo paterfamilias quaedam sibi propria reservare et liberis hereditate relinquere posset, nullus esset stimulus operandi; deficeret vinculum firmissimum, imo fundamentum ipsum materiale, quo familia continetur.

3. *Pro civitate*: Si nulla esset proprietas singulorum civium neque ius possidendi: a) societas ipsa omnibus necessaria ad vitam procurare ac proinde etiam omnia producere, administrare et distribuere deberet, quod impossibile videtur, quia neque haberet media, quae sufficerent ad tot alendos, neque ministros, qui, licet hodie tot sint, vix sufficiant ad negotia praesentia peragenda, nedum singulis civibus necessaria providere possint; b) tunc classes civium abolendae essent; deficeret igitur omnis organisatio civitatis, in qua tota eius pulchritudo est atque vis moralis; c) tunc cives omnes fierent servi civitatis, a qua prorsus dependerent, neque ullum stimulum quidquam magni praestandi haberent; imo procacissimus quisque meliora sibi arriperet et in alios dominaretur; corruptio universalis tandem necessario irrueret. Ius igitur proprietatis est etiam fundamentum civitatum.

§ 2. De exsistentia et necessitate iuris proprietatis.

Praenotio: Proprietatem aliquam tum privatam tum publicam, tum collectivam tum personalem in res mobiles vel immobiles, fungibiles vel non fungibiles, consumptivas vel productivas *de facto* exsistere, extra dubium est; experientia enim nostra et aliena omnium temporum, tota historia hoc testatur. Quaestio igitur duplex est: 1º num proprietas etiam *de iure* exsistat, et hoc ius, utrum sit naturale an positivum; 2º quomodo legitime acquiratur. Quoad priorem quaestionem notandum est, agi praecipue de proprietate *privata*; nam ius proprietatis publicae vix quisquam in dubium vocat; deinde agitur de ipsa *lege*, qua ius privatum *in genere et abstracte* fundatur, non de facto positivo aliquo, quo proprietas concreta i. e. huius vel illius rei determinatae: huius agri, domus etc. acquisita fuerit. — Quoad alteram quaestionem investigandum est, qui modi acquisitionis sint legitimi, e. g. occupatio rei nullius, hereditas, pacta, labor etc.

Triplex error decursu temporis de iure proprietatis ortus est: 1. Alii enim legitimitatem omnis proprietatis privatae negant; est sententia *Communismi*. 2. Alii concedunt possessionem legitimam

bonorum privatam praeter fundum ipsum, quem omnibus communem esse debere affirmant; est sententia *Socialismi agrarii*. 3. Alii tandem non negant legitimitatem possessionis privatae, attamen eam ex solo facto aliquo (pacto, lege, labore etc.) derivant; est sententia *Positivismi*. Iam accuratius de his sententiis disserendum est.

Art. 1. *De sententia Communismi.*
(Sozialismus.)

Communismus vocatur illa doctrina, quae docet, omnia bona ab hominibus in communi esse possidenda ac proinde proprietatem privatam esse abolendam. Sed communistae in diversas abeunt sententias.

A. *Communismus absolutus.*

Communismus absolutus postulat, ut omnia bona tum consumptiva tum productiva communia sint. Atque hic communismus antiquitus fuisse videtur in insula *Creta* (versus 1300 a. Chr.) eumque inde *Lycurgus* Lacedaemone (Sparta) introduxit, saltem quoad *statum militarem*, ut omnes discordiae occasiones removerentur et milites semper parati essent ad patriam defendendam. Ad quorum exemplar etiam *Plato* statum suum idealem in libris suis de republica conformavit, expostulans communitatem et bonorum et mulierum et liberorum et mensae et habitationis, sed solum pro *classe militum et magistratus*, expresse docens, hunc statum „idealem“ non esse pro puris hominibus, sed pro diis et filiis deorum (cfr. supra p. 63). Postea aliquae sectae christianae, ut Apostolici, Circumcelliones, Albigenses, Anabaptistae etc., falso interpretantes verba Christi (Matth. 8, 20 et alibi) et exemplum primorum christianorum (Act. ap. 4, 32 sq.), communismum aliquem profitebantur vel etiam instituebant, utique brevi cessantem. — Platonis statum idealem imitatus est *Thomas Morus* in sua „Utopia“ anno 1516, delineans societatem agricolarum in insula remota, qui omnia haberent communia praeter uxores et liberos, copiis omnium rerum necessariarum abundarent, et labore communi a magistratibus sapienter directi atque dispositi omnia producerent. — Similem statum idealem deinde multi alii somniabantur, ut *Campanella*, Civitas solis 1615; *Andreae*, Reipublicae christianopolae descriptio, 1619; *Harrington*, Oceana, 1656; *Vairasse*, Histoire des Sévarambes, 1677; *I. G. Fichte*, Der geschlossene Handelsstaat, 1800; *Morelly*, Naufrage des Iles flottantes, 1753; *Cabet*, Voyage en Icarie, 1848^{5}; *Bellamy*, Looking backward, 1888; *Hertzka*, Freiland, 1890, ad quae opera certo modo addi potest *Defoe* (auctor libri celebris „Robinson“), An Essay on projects 1697 [1]).

B. *Communismus relativus.*

Hic communismus postulat, ut nonnisi bona *productiva* (agri, fabricae, fodinae etc.) communia fiant. Sed iterum duplici modo apparet: 1º Alii enim omnem magistratum politicum reiciunt, non admittentes nisi communitates

[1]) Cfr. Maier, Soziale Bewegungen u. Theorien etc. (1905^{3}; Sammlung: Aus Natur u. Geisteswelt). Kath. Flugschriften (Germania) Nr. 148. Volksaufklärung (Opitz) Nr. 1. L. Stimmen, B. 49, p. 284 sq. Elster, Wörterbuch der Volkswirtschaft, 1907^{2}, Art.: Kommunismus, Sozialismus, Utopien.

singulas, inter se independentes, quae omnia simul possiderent et producerent, directoribus operae publicae a tota communitate libere electis vel etiam ad arbitrium depositis. Atque haec est sententia *Anarchismi*, quem primus docuit *Proudhon* († 1865) [1]) in libro suo: Qu'est ce que la proprieté, 1840, reiciens cum G. Fichte omnem possessionem tum privatam tum collectivam rerum immobilium tanquam furtum (la propriété c'est le vol, ut ante ipsum iam Brisson et Diderot), neque admittens nisi laborem proprium tanquam titulum possessionis individualis. Ipsum secutus est *Bakunin* († 1879), qui anarchismum praesertim in Russia, deinde in aliis nationibus (Réclus, Krapotkin in Gallia; Most in Germania et Statibus unitis Americae) propagavit, unde tot anarchistarum crimina vel perpetrata vel saltem attentata in vitam principum (Alexander II, imperator Russiae † 1881, Guilelmus I, imperator Germaniae, 1878, Carnot, praesul Galliae † 1894, Elisabeth, imperatrix Austriae † 1898, Humbert I, rex Italiae † 1900, Alfonsus, rex Hispaniae, 1906, plures praesules Statuum Americae: Mac Kinley, † 1901 necnon homines politici non pauci). Anarchismus maxime in Russia, in Hispania, Brasilia, Argentinia, Statibus unitis Americae propagabatur.

C. *Socialismus.*

I. *Notio et historia Socialismi.*

1. Socialismus [2]) item postulat, ut omnis possessio bonorum productivorum privata aboleatur, ita tamen, ut toti societati vindicetur, cuius sit, tum productionem quoad quantitatem et qualitatem, tum distributionem singulorum bonorum inter singulos cives sive ad normam laboris praestiti sive indigentiae propriae efficere. Differt igitur Socialismus ab Anarchismo eo, quod civitatem qua talem retinere vult, utique non monarchicam, sed democraticam, a voluntate civium prorsus dependentem; anarchistae autem omnem potestatem politicam reiciunt, non admittentes nisi communitates independentes, quae administratores pro arbitrio eligant. Deinde socialistae rerum potiri nituntur, idque plerumque mediis legalibus sc. suffragio communi, ut tandem statum suum democraticum erigant; anarchistae autem potius vi utuntur, ut quam primum ad finem perveniant; inde tot crimina in principes commissa.

[1]) Cfr. Schaub, Die Eigentumslehre nach Thomas v. Aquin und dem modernen Sozialismus, 1898, p. 10 sq.

[2]) Inter innumera de hac quaestione scripta cfr. *Cathrein*, Der Sozialismus, 1906^{9}, liber in plures linguas translatus; Moralphilosophie, 1904^{4}, II, p. 124 sq. *H. Pesch*, Lehrbuch der Nationalökonomie, I, 1906; Die soziale Frage 3 vol. 1893—1900. *Biederlack*, Die soziale Frage, 1906^{7}; *Weiss*, Die soziale Frage, 1904^{4}. *Retzbach*, Leitfaden für soziale Praxis, 1907^{2}; Die soziale Frage, 1905; *Herkner*, Die Arbeiterfrage, 1905^{4}. *Engel*, Grundriss der Socialreform, 1907. *Hitze*, Soziale Frage, 1878; Arbeiterfrage (1904 iam 24 milia). *Schoenberg*, Handbuch der polit. Oekonomie, 1896/98^{4}, 3 vol. *Staatslexikon* der Görresgesellschaft, Artikel: Sozialdemokratie, Sozialismus, Marx, Lassalle. *de Laveleye*, Le socialisme contemporain^{6}. *Antoine*, Cours d'économie sociale, 1896; *A. Wagner*, Grundlegung der politischen Oekonomie. *R. Meyer*, Der Emanzipationskampf des vierten Standes, 2 vol. 1882^{2}. *Schmoller*, Über einige Grundfragen der Sozialpolitik u. Gesellschaftslehre. 1904^{2}. Alios auctores vide apud *Engel* l. c. p. 2, 53, 152 et *Paulsen*, System d. Ethik, 1900^{5}, II, p. 374.

2. Species aliqua Socialismi simul cum regimine absoluto olim habebatur apud *Inkas* in America centrali, apud quos principes soli proprietarii erant, cives autem eorum servi et operarii. Item historici narrant, apud *Sinenses* annis 1096—1129 socialismum viguisse, quia gubernium proprietatem omnem sibi vindicabat et productionem et distributionem bonorum productorum necnon pretium mercium decretis suis regulabat, usque dum anno 1129 socialistae ex patria expellerentur. — Nostris vero saeculis primus *Babeuf*, ut aequalitatem, quam res publica gallica proclamabat, inter homines revera efficeret, docuit, omnes debere certo tempore a gubernio statuto laborare atque omnes labores, licet molestos, subire, ut a gubernio necessaria ad vitam aequo modo acciperent. Quum autem societatem secretam ad haec principia practice applicanda fundaret, capitis damnatus securi percussus est, 1797. — Post ipsum comes de *St. Simon* († 1825), adoptans principium fundamentale oeconomicum a Locke, Adam Smith, Ricardo proclamatum, laborem solum esse fontem omnis valoris, inde deduxit, operariis primum locum in civitate deberi; eius autem discipulus *Enfantin* omnem reditum non labore, sed fundis vel capitali (pecunia) fundatum iniustum habuit; *Bazard* vero, alius discipulus, ius hereditatis reprobavit; directe tamen et expresse proprietatem privatam non reiiciebant. Neque *Fourier* († 1837) eo progressus est, sed postulat, ut omnibus occasio laboris (Recht auf Arbeit) praebeatur; quod tunc fieri putat, quando bona productiva, dominio directo proprietatis singulis reservato, in communi adhiberentur (phalanges) et ex producto $^{4}/_{12}$ proprietariis, $^{3}/_{12}$ administratoribus sive directoribus operis, $^{5}/_{12}$ operariis tribueretur. In Britannia simile aliquid *Owen* († 1858) conatus est, qui ut director fabricae textilis in New-Lanark in Scotia operarios pauperrimos et materialiter et moraliter multum provexit, legesque in favorem operariorum promovit, fundans coloniam communisticam New-Harmony in Indiana (America), quae tamen mox periit. Idem dicendum est de eius admiratore *Cabet* († 1856), qui coloniam socialisticam Ikariam in Texas et deinde in Illinois constituit, quae et ipsa discordiis internis interiit. Cabet ipse, ex colonia sua eiectus, pauper miserque in urbe St. Louis mortuus est. *Louis Blanc* († 1882) expostulans meliorem laboris organisationem, civitatem docuit omnem productionem tandem arripere, et privata productione per concurrentiam suppressa, laborem ubique legibus ordinare debere; eius tamen „officinae nationales“, a gubernio 1848 institutae, mox propter pigritiem operariorum claudebantur.

3. Primus in Germania socialismum scriptis suis propugnavit *Rodbertus* (1805—1875), qui et ipse adoptans principium liberalismi oeconomici, laborem solum esse fontem omnium bonorum socialium, inde deducit, paulatim omnes reditus ex aliis titulis supprimendos esse, ne pauperismus in operarios irruat. — Maxime vero haec principia in Germania propagavit *Lassalle* (1825—1864), qui multis reunionibus operariorum per totam Germaniam habitis, fundavit 1863 primam apud nos associationem operariorum socialisticam (Allg. deutsch. Arbeiterverein). Inprimis docuit legem mercedis „aëneam“ a scientiae oeconomicae peritis: Smith, Ricardo, Say, Malthus, Bastiat, John Stuart Mill receptam: operariorum mediam mercedem semper eandem permanere sufficientem necessitati, ita ut operarius nunquam ex statu miseriae ascendere possit, stantibus hodiernis laboris conditionibus. Postulat igitur, ut ope

gubernii associationes productivae ubique constituantur, in quibus ipsi operarii simul essent proprietarii, ut totum fructum laboris sui perciperent. Lassalle, nativitate Israelita, postea baptizatus protestans, duello ex aemulatione inito obiit 1864. Lassalle eiusque socios oppugnabat associatio operariorum a „liberalibus“, duce Schulze-Delitzsch, 1863 fundata (Verband deutscher Arbeitervereine) ad mutuum succursum praestandum, cui initio etiam *Bebel* (natus 1840 Coloniae) nomen dedit. Sed brevi (1868) hic dux, hodie praecipuus socialistarum, auctore *Liebknecht*, socialismum Marxii olim oppugnatum adoptavit et associationi socialistae a Schweitzer fundatae sese adiunxit. Initio eius asseclae factionem Lassallianam oppugnabant, usquedum utraque associatio Gothae 1875 pacem et concordiam inierit, recepta lege Lassalliana „aënea“ de mercede operariorum, quae tamen postea ut factis repugnans ab ipsis socialistis refutata fuit. Factio socialistica, legibus ex anno 1878 usque 1890 suppressa, initio paulisper decrevit, sed intrinsecus magis confirmata fuit, ita ut iam 1890 maximum omnium partium numerum suffragiorum obtineret. Anno 1903 habebant 3 010 800 vota et 80 deputatos; anno demum 1907 obtinuerunt 3 250 000 suffragia = 24 % omnium suffragiorum, attamen propter peculiares circumstantias nonnisi 43 deputatos.

4. Maxime vero contulit in socialismum non solum in Germania, sed etiam in Gallia et Britannia propagandum scriptis suis *Carolus Marx*, Treviris 1818 natus ex familia israelitica, sed 1824 ad protestantismum conversus, qui studio iuris perfuncto, primum folium „democraticum“ (Rheinische Zeitung) redegit. Hoc folio a gubernio suppresso, Lutetiam Parisiorum se contulit, qua in urbe amicum *Engels* sibi conciliavit. Propter scripta sua contra absolutismum Parisiis expulsus, Bruxellam emigravit, ubi cum Engels proclamationem ad proletarios omnium nationum anno 1847 publicavit. In patriam redux, sed mox iterum expulsus, Londinum profectus est, ibique propagationem doctrinae socialisticae continuabat, quam praesertim libro suo: Das Kapital, 1867[1]), tanquam evangelio socialistico exposuit. Anno 1864 *associatio internationalis operariorum*, auctore Marx, constituta est, ad „emancipationem“ classis operariae et abolitionem omnis distinctionis socialis (Klassenunterschiede). Haec associatio 1868 Bruxellae decrevit, religioni christianae cultum virorum de genere humano bene meritorum esse supponendum, et Basileae 1869 statuit, proprietatem privatam in collectivam esse transmutandam. Discordiis autem inter anarchistas (Foederalistas) et socialistas (Centralistas) exortis, haec associatio internationalis anno 1876 formaliter quidem dissoluta est, attamen principia ipsa adhuc perdurant, et secretariatu 1900 Bruxellae constituto, nexus internationalis socialistarum servatur. Theoria a Marx († 1883) propugnata est fundamentum programmatis 1875 Gothae et 1891 in urbe Erfurt statuti et adhuc hodie ab eis admiratoribus, praesertim a *Liebknecht* († 1900), *Bebel*, *Kautzky*, *Mehring*, tanquam fundamentum scientificum socialismi habetur.

Similiter in aliis nationibus ultimis hisce annis numerus socialistarum eorumque influxus in rebus politicis et oeconomicis valde auctus est. Sic socialistae in *Gallia* anno 1906 1 088 000 suffragia dederunt, quorum 876 347

[1]) Anno 1890 apparuit quarta editio tomi primi, cui ab Engels editore II et III tomus ex scriptis postumis additi sunt.

pertinebant ad partem unitam severiorem (Marxisten, Blanquisten, Guesdisten) et 54 deputatos eligebant; pars mitigatior (Possibilisten, inter quos Jaurès, Millerand, Briand, Viviani) habebat 211 859 vota et 22 deputatos: in summa igitur sunt 76 deputati socialistici, qui, praesidente Clemenceau et ministro Briand, nunc in Gallia rerum fere potiti sunt et bonis ecclesiae et congregationum sequestratis et dilapidatis, se suosque ditant[1]), quin operarii invalidi et senes pensionem iam diu promissam recipiant. — In *Belgica* socialistae, ex anno 1885 se propagantes, anno 1902 304 000 suffragia dederunt, eligentes 31 deputatos (ex 166); anno 1904 solum 296 599 vota dederunt. — In *Austria* anno 1907 socialistae 1 040 000 vota dederunt (= 24 % omnium votorum), eligentes 85 deputatos (50 Germanos, 23 Tschechen, 5 Polonos, 5 Italos, 1 Ruthenum, 1 Rumaenum); possident 133 folia, quorum 73 sunt societatum cooperativarum (Gewerkschaft). — In *Helvetia* socialistae, uniti cum associatione vetere Grütli-Verein, 1905 dederunt 70 000 vota in concilio nationali eligendo; habent 2 deputatos ex 147; sed iam anno 1904 311 socios in administrationibus cantonalibus et urbicis. — In *Italia*, ex anno 1892 socialistae se propagantes, anno 1904 dederunt 301 000 vota, eligentes 32 deputatos; adsunt 104 folia socialistica. — In *Britannia* ex anno 1900 nova factio socialistica exorta est (praeter trade unions per se non socialisticas iam ex anno 1825 exsistentes, et 2 000 000 fere socios habentes), quae 1906 habebat 321 000 vota et 30 deputatos. — In *Statibus unitis* Americae septemtrionalis ex anno 1897, praeter veteres uniones operariorum[2]) non directe socialisticas, orta est nova factio Marxii principiis innixa, quae anno 1904 iam 426 376 vota habebat et valde propagatur. — In *Batavia* (Holland) 1905 erant 65 743, et in *Hispania* 1905 solum 15 000 electores socialistae[3]).

II. *Doctrina Socialismi.*

Summa igitur doctrinae a Marx suisque asseclis propositae haec est: a) *Status religiosus et moralis:* Religione christiana, immortalitate et libertate animae humanae reiectis, statuit *evolutionem materialisticam*, cuius fundamentum sit status socialis et oeconomicus cuiusvis temporis; quo immutato, etiam veritates et principia ethica, utpote ex eo orta eiusque quasi reflexus et imago idealis, mutantur; non igitur exsistunt veritates necessariae et immutabiles religiosae et morales, quae sint norma et regula vitae socialis et oeconomicae.

b) *Status politicus:* Gubernium absolutum et monarchicum, utpote libertati et aequalitati hominum inimicum, est abrogandum et societas democratica constituenda, in qua tota potestas est apud populum, qui magistratus libere eligit, leges fert et se ipsum regit.

c) *Status socialis:* Classes civium, omnia privilegia, proprietas privata omnium mediorum productionis (fundi, fabricae, fodinae, viae ferreae etc.), quae est ultima causa distinctionis civium, sunt supprimenda, quia civium

[1]) Cfr. ‚Trier. Landesztg.', 1907, Nr. 280, 289; 1908, Nr. 9a.

[2]) Inter eos eminebant Knights of labor, associatio anno 1869 orta quasi secreta, quae anno 1886 plus quam 750 000 socios habebat, sed discordiis et cessationibus laborum (Streik) ita reducta est, ut hodie vix iam influxum habeat.

[3]) Cfr. Elster, Art. Sozialismus.

naturali aequalitati opponuntur; omnes cives aequo modo ad laborem tenentur et quidem omnes cives ad omnes labores, magistratu disponente et *quantitatem* et *qualitatem* laboris pro omnium necessitate. Item magistratus bona producta distribuet singulis tanquam proprietatem personalem eamque solam, idque primum pro mensura *laboris*, postea statu hoc sociali perfecte confirmato pro mensura *necessitatis* singulorum.

d) *Media adhibenda:* Ut status hic socialis obtineatur, primum socialistae potestate publica potiri debent idque per suffragium commune et secretum, unde electionibus inprimis insistendum est. Quodsi hoc modo potestas publica haberi nequit, etiam vis (revolutio) adhibenda est, sicut in revolutione gallica anno 1791 et 1870 factum est[1]). Ut autem eorum doctrina late propagetur, associationes cooperativae et productivae et consumptivae instituuntur et folia scriptaque socialistica omnes regiones inundant[2]). Sperant brevi fore, ut regimen civitatis occupent et rem publicam suam instituant.

e) *Argumenta.* Argumentum firmissimum pro theoria socialistica, reiecta doctrina Lassallii de lege mercedis „aënea", habetur theoria mercedis (Werttheorie) a Marx proposita[3]). Distinguit enim, sicut in omni merce, ita etiam in labore humano valorem *usualem* (Gebrauchswert) et *commutativum* (Tauschwert). Valor usualis consistit in proprietatibus quibusdam rei physicis vel chimicis, quibus aliqua necessitas nostra expletur, e. g. panis ad comedendum; sic etiam vires humanae physicae a capitalistis adhibentur ad quaedam bona (valores) producenda. Valor commutativus, qui secundam quandam mensuram pro re aliqua exhibetur, consistit in *solo* labore humano, quo res aliqua immutatur, ut novum valorem accipiat, quem Marx proprie capitale vocat, quasi laborem crystallizatum sive congelatum. Hic valor commutativus pro labore humano consistit in mercede illa, quam operarius accipit et qua vires suas reficit. Iam vero valor usualis superat semper commutativum, quia tempus laboris longius est, quam ad valorem commutativum producendum requireretur. Ex hac differentia *accrescit* semper capitale (Mehrwert), mercede eadem permanente, quasi bestia rapax et vires operariorum et opes nationis devorat. Sed propter mutuam concurrentiam ex eadem ratione accidit, ut capitale maius sensim capitale minus devincat atque absorbeat, ita ut tandem non remaneant nisi pauci capitalistae. Tunc iniustitia societatis socialis hodiernae (privatae possessionis, liberae productionis, distinctionis classium) omnibus patet, et facile per multitudinem proletariorum pauci hi capitalistae

[1]) Ipse Marx, necnon Liebknecht, Bebel ad vim appellant, si mediis legalibus societas socialistica constitui nequit (Cathrein, Sozialismus, 1906⁹, p. 68 sq.) et folium socialistarum princeps (Vorwärts) laudat eos, qui nuper in Russia homines politicos trucidabant.

[2]) Sic folium eorum quotidianum princeps ‚Vorwärts' plus 100 000 lectoribus habet; ‚Die neue Welt' 300 000. Praeterea exsistunt 80 fere folia socialistica et 69 folia associationum cooperativarum (Gewerkschaften). Anno 1905 fere 680 000 lectores (Abonnenten) numerabantur. Anno 1907 3 250 000 socialistae in electionibus ad diaetam imperii vota dederunt. In fine anni 1906 in societatibus cooperativis socialisticis (Gewerkschaften) 1 799 293 socii erant. —

[3]) Cfr. Schaub, Die Eigentumslehre nach Thomas von Aquin und dem modernen Sozialismus, 1898, p. 151 sq., ubi tota haec theoria valoris late exponitur.

bonis suis iniuste acquisitis spoliantur, „expropriatores expropriabuntur“: adest respublica socialistica.

f) *Status futurus socialisticus:* Quando igitur socialistae rerum potiti sunt, omni possessione privata rerum productivarum exstincta, nullus iam erit pauper, quia omnes erunt aequales, et bona producta in horreis publicis deposita abundabunt. Pro omnibus labor aderit isque variabilis, ita ut labor delectet, praesertim quum paucas horas (ad summum 6) duret et labore peracto omnibus tempus et occassio ad recreationem tum publicam tum privatam praesto erit. Scientiae igitur artesque ab omnibus tunc colentur et mirum in modum florebunt; idem dicendum est de industria novisque in ea inventionibus factis. Quum nulla paupertas adsit neque in futurum sit timenda, neque furtum erit neque neces; tribunalia igitur et carceres non iam erunt, neque vis publica armata neque exercitus tempore pacis, imo neque bella, siquidem proletarii omnium nationum fratres sunt (Hervé in Gallia). Etiam mulieres iisdem in omnibus ac viri gaudent iuribus. Matrimonia erunt libera, contrahuntur privatim, nemine ministrante, et dirimentur libere, nemine prohibente, quando amor cessaverit („freie Liebe“). Liberi sunt reipublicae et publice nutriuntur atque educantur in scholis publicis; religio erit privata, i. e. neque cultus ullus publicus erit neque institutio religiosa in scholis, siquidem religio non est nisi reflexus quidam status socialis et oeconomici. Ex hac rerum immutatione pacem continuam et fraternitatem universalem orituram esse praedicunt, novum paradisum in terra, auream aetatem ab omnibus gentibus desideratam [1]).

g) Sunt tamen alii socialistae, qui in multis hanc theoriam reprobent, praesertim opinionem de mutatione continua sortis proletariorum in peius (Verelendungstheorie: Lassalle, Marx), de interitu mox instanti status hodierni (Kladderadatschtheorie; ita Engels et Bebel), de reprobandis legibus omnibus a gubernio ad sortem operariorum promovendam propositis (Alles- oder Nichts-theorie), de republica vi et revolutione introducenda (Revolutionstheorie [2]). Atque hi vocantur *Revisionistae,* inter quos Bernstein [3]), v. Vollmar, v. Elm, David etc. eminent. — In multis conveniunt cum socialibus oeconomicis (Staats-, Katheder-Sozialisten), e. g. *Schmoller, Wagner, Sombart, L. Brentano, Bücher, Menger* etc., qui statum hodiernum i. e. classes distinctas et proprietatem privatam retinere volunt, attamen gubernio plenam potestatem tribuunt, pro rei indigentia diversas species productionis modo legali ex privata industria in publicam traducendi, ut labore bene ordinato et disposito iustis operariorum desideriis satisfiat et hoc modo socialismus exaggeratus reprimatur. — Similiter etiam in aliis nationibus discordiae inter socialistas habentur; sic in Gallia inter socios unionis: Parti socialiste de France (Guesdisten et Blanquisten), quae theoriam „orthodoxam“ Marxii strictius sequitur, et unionis: Parti socialiste français (Jaurès, Millerand), quae similis est Revisionistis

[1]) Praesertim Bellamy et Bebel [Die Frau, 1906 editio 37 (!)] toti in eo sunt, ut delicias huius paradisi coelestis describant atque praedicent; cfr. Cathrein, Der Sozialismus, 1906 [9], p. 274 sq.

[2]) Cfr. Engel, l. c. p. 138 sq. Schaub, l. c. p. 237 sq.

[3]) Die Voraussetzungen des Sozialismus und die Aufgaben der Sozialdemokratie, 1899/1902.

(Possibilistes). In Italia socii, ducibus Labriola et Ferri, qui tamen et ipsi non concordes sunt, magis theoriam Marxii sequuntur, alii ducibus Turati, Chiesa, Bonomi Revisionistas; similiter Adler et Pernerstorfer in Austria sentiunt; attamen omnes in eo conveniunt, quod productio fieri debeat collectiva, forma gubernii democratica, classis operaria unica; de mediis autem ad hunc finem obtinendis dissentiunt.

III. *Refutatio doctrinae socialistarum* [1]).

Doctrinam aliarum specierum Communismi non expresse refutamus, quia si ostendimus, speciem communismi moderatiorem i. e. socialismum defendi non posse, implicite etiam communismus absolutus et anarchismus reiciuntur. Sunt quaedam, in quibus socialistis consentire possumus, e. g. quod hodie tanta sit differentia inter pauperes et praedivites, quod multi labore et necessariis ad vitam careant, quod tanta sit „productionis anarchia“ ex „libera concurrentia“ orta, quod multi fodinarum et fabricarum possessores vel directores neque sanitati neque moralitati operariorum utriusque sexus satis consulant. — Sed hi defectus ex statu hodierno non necessario et per se, sed per accidens i. e. ex culpa vel negligentia hominum resultant, quare defectus sunt abolendi, sed ipsa societas non destruenda, quasi quis aegrotum curare vellet eo, quod vitam ipsam ei aufert. — Sed doctrina socialistica neque defectus illos auferre neque meliorem rerum statum producere potest. Nam tum eius *suppositum,* tum *fundamentum,* tum *evolutio,* tum *finis* reicienda sunt:

I. *Suppositum* est 1 theoria materialistica et evolutionistica sc. hominem non esse nisi materiam organisatam, ortum ex bestiis evolutione quadam Darwinistica; non igitur est anima humana spiritualis, neque libera, neque immortalis; non est Deus et vita futura sive felix sive infelix pro hominum meritis. — Porro non sunt veritates neque theoreticae neque practicae i. e. morales necessariae et immutabiles, quibus vita humana et privata et socialis regitur, sed ideae et veritates morales oriuntur ex statu sociali et politico cuiusvis aetatis tanquam ex causa et fonte suo et per consequens mutantur cum illo, ita ut quod hodie honestum sit, aliquando non fuerit vel non futurum sit. — Patet, totam hanc doctrinam falsissimam esse et per consequens totum systema ea innixum (cfr. vol. I, p. 250, 369; II, p. 164, 191, 329, 353, 363, 382, 420, 440, 472 sq., supra p. 18, 21 etc.).

2. Praesertim vero in eo est repugnantia, veritates morales ortas esse ex statu sociali et oeconomico cuiusvis temporis. Nam 1⁰ hic status non ex se oritur, sed producitur per activitatem humanam. *Atqui* activitas humana, libera et rationalis, iam supponit regulas et finem operandi (veritates quasdam morales, ideas politicas, sociales, oeconomicas). *Ergo* illae ideae et veritates morales sunt causa ordinis socialis et oeconomicae, non eius effectus. Et certe, unde status praesens socialis et oeconomicus, quem socialistae tam vehementer accusant, ortus est? Ex certis quibusdam ideis et principiis Liberalismi: Liberam concurrentiam esse regulatorem verum progressus socialis et oeconomici; laborem esse unicum fontem valoris; laborem humanum

[1]) Cfr. Encyclicas praeclaras *Leonis XIII* de Socialismo: „Quod apostolici muneris“ de die 28. Dec. 1878, necnon: Rerum novarum de die 15. Maji 1891.

esse mercem, sicut alia quaevis merx, pretio emendam et vendendam; in rebus oeconomicis leges morales locum non habere; non esse curandam nisi felicitatem temporalem. Ideae igitur et principia revera sunt vires eaeque ideales in rebus humanis potentissimae, a quibus ordo socialis dependet. Quod nisi esset, cur socialistae totis viribus foliis, concionibus, associationibus ideas suas propagare et hoc modo statum praesentem immutare conantur? Quomodo religio et ethica christiana ex statu praecedente i. e. ex cultura Romana vel Graeca explicari posset, et quis negaret, ipsam novum statum socialem et oeconomicum produxisse? [1]) Ideae igitur morales non oriuntur ex statu culturae, sed eum potius producunt. 2⁰ Si ideae morales orerentur ex statu sociali tanquam effectus ex causa sua, sequeretur: a) nos nunquam statum praesentem posse reprehendere, si quidem ipse esset norma moralis, nosque debere semper ei nos conformare, ut moraliter operemur, neque licere illum statum mutare. *Atqui* omnes consentiunt, nonnunquam statum socialem et oeconomicum posse esse corruptum et esse mutandum, quod ipsi socialistae continue praedicant conantes omnibus viribus, ut statum praesentem subvertant. *Ergo* supponunt quasdam ideas morales, ex statu praesente certe non ortas, secundum quas tanquam normas conditiones praesentes ut immorales respuunt; ipsi igitur sibi contradicunt. b) Sequeretur, nos nunquam scire, utrum status aliquis adhuc perduret necne, siquidem evolutio in sententia Evolutionismi est necessaria atque continua, neque modus neque finis evolutionis nobis patet. *Atqui* tunc nulla potest esse certitudo de lege morali; deficeret certa norma moraliter agendi, quod et contradicit testimonio conscientiae nostrae et persuasioni hominum, et scepticismum moralem universalem induceret. *Ergo* ideae morales non oriuntur ex statu sociali et oeconomico, sed eius potius sunt causae sive efficientes sive saltem exemplares, secundum quas hominibus agendum et ordo socialis constituendus est. Quae ideae et principia si sunt vera, ordo socialis et oeconomicus bonus et felix inde oritur; si sunt falsa, perversus atque infelix, ut supra vidimus.

Marx, quippe qui ex schola Hegelii prodierit [2]), eius evolutionem historicam mediante principio contradictionis adoptavit. Quemadmodum enim ens per processum triplicem: thesis, antithesis et synthesis, suam contradictionem ex se producat et iterum tollat, i. e. secum coniungat ad unitatem novam conceptus adimpleti constituendam, ita dicit, quamlibet aetatem historicam ordinem socialem sibi oppositum necessario ex se emittere, e. g. absolutismum rempublicam et vice versa, et cum ipso novum iterum statum perfectiorem humanitatis, i. e. ipsius entis absoluti efficere. Patet, in hac sententia nullum statum socialem bonum vel malum vocari posse, quum unusquisque sit stadium necessarium evolutionis entis absoluti aeque bonum et aeque malum, neque normam moralitatis statui posse, siquidem in tota illa evolutione contradictio ipsa tanquam vis et lex rebus intrinseca statuitur [3]).

3. Accedit aliud suppositum ex doctrina rationalismi adoptatum sc. homines naturâ aequales esse, ac proinde etiam sorte aequali frui debere; esse igitur

[1]) Cfr. Engel, Grundriss der Sozialreform, 1907, p. 76 sq.
[2]) Cfr. Schaub, l. c. p. 43, 100 sq. Cfr. vol. I, p. 294 sq.
[3]) Cfr. Weiss, Apologie, II², p. 420 sq. Engel, Grundriss der Sozialreform, 1907, p. 63 sq.

contra naturam humanam, alios esse praedivites et in honoribus constitutos, alios pauperes et ad continuum laborem in utilitatem divitum destinatos; aequalitatem igitur et socialem et oeconomicam esse efficiendam, quae nonnisi in statu socialistico haberi possit. — Profecto verum est, homines naturâ suâ esse aequales, si eorum natura *abstracte* consideratur, i. e. quoad essentiales notas, quibus constituitur. Atque ex hac aequalitate etiam apparet, homines quoad originem et finem et necessitates essentiales eodem modo esse habendos ut personas liberas rationales sui iuris atque independentes. Sed si natura humana *concrete* spectatur, sicut exsistit in ordine physico et sociali, magna est differentia *accidentalis* inter homines: a) ratione *corporis;* alii enim fortes et robusti ac proinde apti ad labores, alii debiles et aegroti et per consequens minus apti ad operam praestandam; b) ratione *spiritus;* alii enim mente expediti ad quodvis opus, alii mente impediti ac proinde minus habiles sunt; c) ratione *aetatis;* alii enim adolescentes sunt adhuc sub potestate parentum educandi, alii homines adulti et sui iuris sunt; d) ratione *sexus;* alii enim viri sunt complexione fortiore a natura instructi et ad alias functiones a natura ipsa ordinati ac mulieres, quae et viribus corporis et magnitudine cerebri et firmitate mentis et voluntatis in genere inferiores sunt viris, quippe quae a natura ipsa ad alias functiones destinatae. Natura igitur ipsa his differentiis, ex quibus, teste historia, ordo socialis et classium distinctio tandem exorta est, indicat, in hominibus etiam diversitatem ratione potestatis, possessionis, subordinationis esse admittendam ac proinde potius contra naturam humanam esse, omnes in omnibus aequales esse; summum enim hoc ius pro omnibus esset summa iniuria pro singulis.

II. *Fundamentum* totius deductionis apud Marx est *theoria valoris* (Werttheorie); sed etiam haec est reprobanda. Verum quidem est, in omni bono distinguendum esse valorem usualem et commutativum, id quod iam Aristoteles et post eum s. Thomas animadvertit [1]); falsum tamen est, *totum* valorem commutativum consistere in labore in rem insumpto. Nam 1⁰ apud omnes constat, naturam rei physicam vel chimicam, i. e. eius *utilitatem* (Bedürfnis), eius *raritatem*, imo etiam *pretium mere subiectivum* „affectionis" valde influere, labore eodem permanente, id quod etiam Aristoteles et Thomas Aqu. monent [2]). Multum e. g. refert, utrum vestes ex lana, lino, an sericis confectae sint, licet opera eadem adhibeatur; idem dicendum est de materia cuiusvis suppellectilis. Agri, vineae saepe eundem laborem requirunt, fructibus autem valde differunt. Rei igitur pretium dependet tum ab eius materia, tum ab eius necessitate [3]) pro nobis, tum *etiam* a labore in eam adhibito, sed etiam sine *ullo* labore res nobis pretiosae esse possunt, e. g. margarita inventa, fructus naturaliter productus. 2⁰ Deinde gratis affirmat, operarium cogi per plures horas laborare i. e. maiorem valorem usualem praestare, quam valorem commutativum i. e. mercedem recipiat. Nam a) non advertit, etiam dominum laborem suum, sive spiritualem directionis et venditionis, sive concursum machinarum,

[1]) Polit. I, 9; s. Thomas in I Polit. l. 7.
[2]) Schaub l. c. p. 178 sq., 198 sq.; ostendit, Aquinatem rei valorem commutativum in eius utilitate et labore insumpto ponere.
[3]) Cfr. Aristot. Eth. V, 8; s. Thomas in V Eth. l. 9; cfr. Zeitschrift für kath. Theol., 1896, p. 578 sq.

fabricarum, capitalis praegrandis saepe cum magno periculo damni praestare, sine quibus operarius nihil facere posset; b) arbitrarie prorsus Marx affirmat, operarium plus laboris ac proinde valoris exhibere, quam recipiat pretii; deficit enim norma talis comparationis; est magna differentia inter operarios sollertes habilesque et pigros stultosque, ita ut non raro hi ultimi minus praestent quam recipiant. c) Neque verum est, numerum operariorum labore carentium in dies crescere, quia machinae adhibeantur; constat enim per statisticam, numerum labore carentium potius decrevisse; sic in Anglia, in qua industria maxime floret, anno 1849 : 1,32; 1859 : 6,70; 1869 : 0,88; 1879 : 0,42; 1889 : 0,34; 1890 : 0,32 ex centenis labore necessario carebant. Porro constat, numerum operariorum continue crevisse; sic in Germania annis 1882—1895 hic numerus a 6 699 026 usque ad 8 601 354 ascendit; idem apud alias gentes locum habet [1]. d) Neque probari potest, numerum *mediocriter possidentium* continue decrescere, augeri autem numerum praedivitum. Quamvis hoc forte concedi possit, si de *sola industria* montana et ferrea (Berg- u. Hüttenwerke) sermo est — numerus enim fodinarum in Germania annis 1871—1903 a 4218 ad 2041 reductus est [2], numero autem operariorum valde et continuo crescente [3] — attamen aliorum negotiorum numerus auctus est [4]. Praesertim vero possessiones rurales mediae et minores relative plus auctae sunt annis 1882—1895 quam maiores: mediae 8 %; minores 3,5 %; idem dicendum est de Gallia, Belgica, Hollandia, imo etiam de Britannia maxime industriali. e) Neque tandem verum est, operariorum sortem semper peiorem fieri (Verelendungstheorie); contrarium enim constat. Sic folium publicum (Reichsanzeiger) exhibet statisticam de mercedibus mediis annuis operariorum in fodinis carboniferis Borussiae; annis 1886—1906 auctae sunt in Westfalia (Dortmund), detractis omnibus expensis

[1]) Cathrein, Sozialismus, 1906 [9], p. 216 sq.

[2]) Attamen advertendum est, illa opera ex possessione unius saepe transisse ad possessionem plurium associatorum (Aktiengesellschaften), ita ut numerus possidentium revera creverit; sic in Britannia sunt associationes, quae constant 12 300, 40 000, 74 262 etc. membris; Engel p. 104.

[3]) Sic numerus operantium erat: 1871 = 277 878; 1903 = 628 630; ergo crevit numerus operariorum 220 %! Idem dicendum est de officinis ferreis (Hüttenwerke); erant anno 1891 = 241, anno 1903 = 230; operarii autem anno 1891 = 47 627, anno 1903 = 61 785; crevit igitur numerus operariorum 130 %.

[4]) L. c. p. 187 sq. Engel, Grundriss etc. p. 102 sq. Ipse Bernstein socialista fatetur: Absolut und relativ wächst die Zahl der Besitzenden l. c. p. 106. — En statisticam incrementi operarum et operariorum in Germania:

	Operae		Operarii		Incrementum	
	1882	1895	1882	1895		
Unus operarius sine machina (motor)	1 877 872	1 714 351	1 877 872	1 714 351	— 8,7 %	— 8,7 %
Plures operarii (1—5) cum machina	1 004 896	1 222 372	2 457 950	3 056 318	+ 21,4	+ 24,3
" " (6—10) " "	68 763	113 547	500 097	833 409	+ 65,1	+ 66,6
" " (11—50) " "	43 952	77 752	891 623	1 620 848	+ 77,0	+ 81,8
" " (50—200) " "	8 095	15 624	742 688	1 439 776	+ 93,0	+ 93,8

Operae igitur unius personae (opifices, Handwerker) 8,7 % decreverunt, alia negotia valde aucta sunt a 21 % usque ad 93 %, dum ipsa populatio illis annis (1882—1895) nonnisi 14 % aucta est. — Cfr. etiam Schaub, l. c. p. 223 sq.

pro associationibus: 772—1402 M.; in Silesia superiore: 490—924 M.; in Silesia inferiore: 586—924 M.; in Saarapонte: 809—1146 M.; Aquisgrani 878—1354 [1]).

Aliquid simile dicendum est de omnibus operariis aliorum negotiorum tum in Germania, tum apud alias gentes, fatentibus ipsis socialistarum ducibus Liebknecht, Bernstein, Burt, Burnett etc. Constat, multos operarios sobrios parcosque multam pecuniam in thesauris publicis et privatis (Sparkassen) reposuisse: in Britannia anno 1906 fere 5 600 000 000 M.; in Belgica anno 1903 734 981 000 Frs., qui pertinent ad 2 088 448 personas; in Borussia 1903: 7 229 600 000 M. [2]), quae pertinent ad 9 772 942 personas.

III. *Tota evolutio* socialistica est iniusta vel impossibilis. Socialistae enim aut vi aut naturali evolutione finem suum: possessionem collectivam, omnium aequalitatem, rempublicam, obtinere volunt. Si *primum*, ut anarchistae et tandem aliquando etiam Marxistae, quum tantus sit numerus possidentium tantaque classium ex multis saeculis distinctio, tantaque in multis gentibus potestas monarchica gubernii, revolutio omnium rerum esset excitanda, quanta nunquam in tota historia fuit, ita ut gentes nostrae sanguine perirent; (cogita de criminibus in revolutione gallica 1791 et 1870, necnon ultimis annis in Russia commissis). Sin autem socialistae sperant, evolutionem necessario fore socialisticam, id quod praesertim Revisionistae et Possibilistae existimant, historia ipsa eis contradicit, testans, quo perfectiorem culturam alicuius gentis esse, eo maiorem esse classium distinctionem et distributionem divitiarum. Imo etiam status evolutionis praesentis, ut supra vidimus, hoc idem testatur. Nisi igitur animi operantium agitatione continua et improba socialistarum exacerbarentur, sperandum esset, fore ut status socialis et oeconomicus pacifice melior fieret, ad hoc concurrentibus et potestate publica et associationibus ipsis operariorum secundum praecepta religionis christianae [3]).

[1]) Apud Krupp in Essen anno 1880 merces *media* operariorum erat = 3,19 M.; 1890 = 3,95, 1900 = 4,78, 1906 = 5,35; numerus autem operariorum a 30 000 auctus est usque ad 60 000. Statistica recens docet, pro 100 locis vacantibus operarios laborem quaerentes fuisse anno 1902 = 168, 1903 = 142, 1904 = 121, 1905 = 113, 1906 = 105, 1907 = 94. Non igitur factis comprobatur, operarios in dies plures labore vacaturos esse, id quod Marx ex theoria sua de valore continuo crescendo deducit; ergo falsa est tota eius doctrina. — Neve dicas, eodem tempore etiam pretia pro rebus necessariis (pro victu, vestitu, domicilio etc.) aequo modo crevisse; nam si pretia nunc maiora nunc minora solvenda sunt, hoc dependet ex circumstantiis singularibus, praesertim ex messi quotanni. Sed minime probari potest, pretium rerum necessariarum continuo crescere, sicut mercedes de facto crescunt. Sic ex anno 1892—1896 porci, quorum carnibus operarii plerumque vescuntur, pretio 21,63 % *decrescebant*, carnes ipsae vero — propter lucrum vendentium — 8,75 %. Idem dicendum est de frumento: pretium eius pro messi quotanni mundiali mox crescit mox decrescit, quin ulla relatio directa ad mercedes crescentes deprehendi possit. Pretium domicilii forte crevit in nonnullis locis, sed pretium vestium propter immensam concurrentiam potius diminutum, quam auctum est.

[2]) Cfr. Cathrein l. c. p. 202 sq.

[3]) Plura de hac re infra in appendice: de quaestione sociali, dicemus.

IV. *Finis* socialistarum [1]) est impossibilis et inhonestus.

a) *Ratione productionis;* nam publica potestas, si qua esse posset, deberet totam productionem determinare et quoad quantitatem, ne quid inutile fieret, et quoad qualitatem, ut bona necessaria producerentur, quemadmodum bonus paterfamilias suis providet. Deberet igitur prius constare de necessitatibus civium totius rei publicae, quae constatatio et determinatio productionis requireret tot magistratus tantumque tempus insumeret, ut tota productio defectu laborantium in periculum vocaretur; esset apparatus publicus, qualis nunquam et in nulla gente fuerit. Porro necessitates et desideria aut pro libito quisque suo postularet, aut ei per potestatem publicam praescriberentur. Si *primum*, certe non possibile erit, illa desideria explere, nisi cives „status futuri" habeas homines omnino sanctos. Imo in productione hodierna, quae propter liberam concurrentiam omnes vires intendit, auctore Engel (anno 1881) nonnisi 375 M., auctore Richter (anno 1890) vix 300 M. [2]) pro quovis individuo quotannis insumuntur [3]). Quid igitur in statu futuro, ubi nulla esset concurrentia et tempus laboris iuxta Bebel ad summum tres horas perduraret (hodie ad minimum 10—11 horas), attamen non minor certe bene vivendi esset cupiditas? An forte cives status futuri pane et aqua, sicut anachoretae, contenti erunt? — Sin *alterum* i. e. si cuique praescribitur, quid manducet et bibat, quomodo vestiatur etc., tunc completa erit servitus, sicut in ergastulis, et talis dependentia a potestate publica, qualis nunquam fuerit. —

Deinde aut erit coactio ad laborandum aut non. Si *primum*, ubique exactores instituendi sunt, ita ut periret libertas individualis; sin *alterum*, plerique nil vel parum laborarent, siquidem nemo pro se et suis, sed pro omnibus laboraret; deficeret igitur stimulus laboris. Denique aut libere in alias regiones meliores vel pulchriores proficisci possent, aut non. Si *primum*, non posset fieri distributio productionis pro quavis communitate, quae evidenter dependet a numero habitantium et a natura conditionum terrae, fodinae, fabricae etc.; sin *alterum*, iterum haberetur servitus intolerabilis, qualis in carceribus invenitur. Item aut omnes, etiam mulieres, tenentur omnes successive suscipere labores: moderatoris, dispensatoris, notarii, secretarii, operarii mox in campis, mox in silvis, mox in fabricis, mox in fodinis, mox in plateis etc. mundandis, et ita porro; aut non omnes tenentur. Si *primum*, vix quisquam in ullo negotio quidquam proficeret; impossibile enim est omnia addiscere negotia; esset igitur ruina productionis; neque tempus neque studium artibus liberalibus scientiisque tribui posset. Sin *alterum*, nulla iusta laboris distributio ac proinde nulla certa productio fieri posset; continuae orerentur discordiae et ad operas inhonestas nemo nisi vi adigi posset; periret igitur libertas, nisi cum Bebel aliisque scriptoribus phantasticis homines in statu

[1]) Cfr. Schaub, l. c. p. 365 sq.

[2]) Haec summa paulisper augenda esse videtur, quum recentioribus calculis (1893) quaevis persona *laborans* quotannis 981—1008 M. percipiat. Quum vero tres partes incolarum (liberi, senes et mulieres) nihil percipiant, pro quovis individuo 330 fere M. supersunt. Cfr. Bachem, Bebel und sein Zukunftstaat vor dem Reichstag, 1893, p. 114.

[3]) A. Wagner 316, Handbuch der polit. Oekonomie, II, Grundlegung [3], 1892/93; Juraschek pro Anglia 1894 = 728 M., pro Gallia 1892 = 520 M., pro Borussia 1890 = M., pro Saxonia 1890 = 407.

futuro habueris omni virtute praeditos. Certe, continuae discordiae, quae nunc inter socialistas vigent, vexationes operariorum in ipsis cooperativis socialisticis, tot furta et defraudationes „sociorum" non sunt praesagium faustum pro moralitate et pace status futuri [1]).

b) *Ratione distributionis:* Distributio productionis aut fieret aequalis pro omnibus, aut non; si *primum*, forte multis non sufficeret, siquidem necessitates naturaliter diversae sunt, et iniuria fieret eis, qui plus et melius quam alii laborarent, ita ut deficeret stimulus omnis laborandi neque ullus progressus fieret; sin *alterum*, laederetur principium aliquod fundamentale socialismi: omnes esse naturâ aequales, fratres esse et socios, ita ut discordiae continuae ex parte subditorum et partium studium ex parte superiorum nascerentur. — Porro si distributionis quaedam norma statueretur, esset aut effectus ipse laboris, aut tempus productionis, aut cuiuscunque necessitas. *Atqui* nulla talis norma apta est: *Non prima;* nam capacitas naturalis diversa est, ita ut quod unus brevi tempore efficiat, alius vix duplo temporis producere possit, quare cum operariis debilibus et infirmis corpore vel mente durius ageretur et tunc principium aequalitatis naturalis laederetur. *Non secunda;* nam tempus productionis dependet a viribus et dexteritate operariorum, unde prior norma rediret. Quodsi cum Rodberto et Marx aliisque dicis, tempus laboris aliquod normale constituendum esse pro conditione operariorum et operae praestandae, non adest iam stimulus pro capacioribus ad maius opus et progressum faciendum; deinde conditiones et materiae laborandi non semper et ubique eaedem sunt et vix tot inspectores constitui possent, ut de singulis fabricatis iudicium ferrent. *Non tertia;* nam necessitates, ut diximus, diversae sunt pro natura, aetate, conditione singulorum, et quum in statu futuro promittatur plena libertas, necessitates et desideria innumera erunt neque unquam explenda, nisi dixeris, unicuique a moderatoribus portionem esse arbitrio distribuendam, ut fit in ergastulis.

c) Ratione *status religiosi, socialis, politici:* Socialistae reiciunt omnem religionem, i. e. exsistentiam Dei personalis, auctoris, rectoris mundi atque iudicis supremi; a fortiori reiciunt omnem religionem christianam, cui sunt maxime infensi [2]). Ostendimus autem, sine religione deficere etiam funda-

[1]) Cfr. Volksaufklärung (Opitz) Nr. 3.

[2]) Sufficiat testimonium, quod Bebel, princeps socialistarum, publice in diaeta imperii Germanici edidit iam 31. Mart. 1881: „Was wir erstreben, ist auf wirtschaftlichem Gebiete der *Sozialismus*, auf politischem Gebiete die *Republik* und auf dem, was man gewöhnlich das religiöse Gebiet nennt, den *Atheismus;*" et 3. Febr. 1893: „Wir sind gegen alle Autoritäten, gegen die himmlischen, wie gegen die irdischen, die Sie uns gegenüberstellten, mit denen Sie bisher die Massen am Leitseil geführt haben und noch zu führen versuchen." Porro: „Christentum und Sozialismus stehen sich gegenüber wie Feuer und Wasser" (Christentum und Sozialismus, p. 16). Qui plura testimonia desiderat, adeat libellum: Kaeser, Die Sozialdemokratie hat das Wort, 1905 [3]. Siebertz, Politisch-soziales ABC, 1900, Art. Sozialdemokratie. Quamvis „programma" socialisticum, Erfurti 1891 constitutum, § 6 declaret, religionem esse „rem cuique privatam", attamen ex omnibus dictis et factis socialistarum apparet, hoc esse dictum ad homines incautos, praesertim rurales religioni adhuc deditos, decipiendos. Cfr. Kaeser, l. c. III. Th. n. 6.

mentum moralitatis. — Porro in statu socialistico nulla erit distinctio classium, unde cives socialistici non essent nisi „rudis indigestaque moles", nullus ordo, nulla organisatio ac proinde nullus esset progressus. Sed historia, ad quam Marx eiusque asseclae toties appellant, docet, distinctionem classium eo maiorem fuisse, quo maior fuerit progressus culturae, quemadmodum ille organismus perfectior est, in quo maior est distinctio partium. Compara e. g. statum socialem gentium barbararum Africae cum statibus florentissimis Europae. — Denique socialistae omnem potestatem politicam abrogare contendunt, non admittentes nisi administratores plene dependentes a voluntate plebis; imo et tribunalia et carceres et exercitum reiciunt. Sed quomodo tunc ordo publicus exsistere potest? Numquid socialistae futuri status omnes erunt sancti, vel angeli, vel anachoretae?

Accedit, quod proclamant „liberum amorem", i. e. quicunque voluerint, sine ulla formalitate coeunt ad liberos procreandos et iterum pro libito sese separant. Liberi non iam pertinent ad parentes, sed ad rempublicam, a qua sumptibus publicis nutriuntur et in scholis publicis gratis instituuntur, omni religione, omni ethica christiana et naturali reiecta. Socialistae igitur destructa familia et moralitate, redeunt ad statum bestialem, a quo dicunt cum Darwinistis homines originem duxisse. Hic igitur erit paradisus socialistarum! Vix opus est dicere, hunc statum fore miserrimum neque posse per longum tempus perdurare, quin genus humanum se ipsum destruat, ut ostendit revolutio gallica 1791 (in qua plus 2 000 000 hominibus dicuntur periisse [1]) et 1870, necnon historia coloniarum socialistarum, quae toties fundatae sunt omnesque mox discordiis intestinis perierunt (cfr. supra p. 298). [2])

---

[1]) Siebertz, Polit.-soz. ABC, 1900, p. 534.

[2]) Cfr. Kaeser, Paradies der Sozialdemokraten, 1899[5]. Cathrein, Sozialismus, 1906[9], p. 242 sq. Iure igitur hic status futurus socialistarum in diaeta imperii Germani sessionibus Januarii et Februarii 1893 risui publico fuit, ita ut ex illo tempore socialistae vix iam audeant de eo loqui (cfr. Bachem, Bebel und sein Zukunftsstaat vor dem Reichstag, 1893). Notatu dignum est, plerosque socialistarum duces esse Judaeos — omnes deputati iudaei in diaeta Germaniae pertinent ad factionem socialisticam — qui in omnibus nationibus socialismo favent eoque ad suos fines utuntur. („Jüdische Schutztruppe" cfr. Volksaufklärung Nr. 2, 13, 95.) Porro notandum est, socialistas in Germania contra omnes leges in favorem operariorum (Kranken-, Unfall-, Invaliden-Versicherung, Arbeiterschutzgesetze) vota dedisse; item dicendum est de legibus contra negotia fictiva (Börsen-, Terminhandlung), necnon de vectigali cerealibus introducendis imponendo ad agriculturam tuendam (Getreide-, Champagner-Zoll). Et hi ipsi praetendunt, se saluti proletariorum consulere! Denique neminem latet, socialistas operarios suos saepe durius tractare eisque minorem mercedem exhibere, maiorem vero laborem imponere quam alii negotiatores, id quod praesertim tribunal iudicio suo de die 9. Iunii 1888 de *Singer* Judaeo, principe socialistarum, Berolini publice affirmavit (cfr. Volksaufklärung 95, p. 12) et quod folia publica toties de aliis ducibus socialistarum (e. g. de administratione foliorum praecipuorum „Vorwärts" et „Leipziger Volkszeitung") referunt. Neque suspicio factis fundata deest, quosdam duces socialistarum (Gewerkschaftsführer), pecunia corruptos, cessationem laboris operariorum in quibusdam fabricis vel officinis effecisse (Streik), ut „concurrentes" earum emptores vel clientes alliciant; neque mirum,

IV. *Relatio socialismi ad liberalismum* [1]).

Liberalismus duplex distingui potest; verus et falsus. *Verus* vi vocis significat illam dispositionem animi, qua quis libenter non solum cuique suum dat, sed etiam, si opus fuerit, suis bonis sive materialibus sive spiritualibus alios pro posse adiuvat. Omnis igitur homo virtute praeditus etiam liberalis erit tum erga Deum quoad religionem, tum erga homines quoad opera iustitiae et caritatis. *Falsus* autem liberalismus consistit in quadam libertate sibi et aliis vindicanda, quae homini non competit. Quadruplex autem hic liberalismus distingui potest: a) *Religiosus*, qui „libertatem cogitationis" sibi vindicans, reicit religionem christianam revelatam et praecepta divina vel ecclesiastica inde derivata. Plerumque etiam Deum ipsum negat personalem, statuens Pantheismum vel Materialismum, vel saltem Dei providentiam, mundi rectorem et iudicem (Deismus). b) *Moralis*, qui in genere cum religioso coniunctus est, libertatem *actionis* sibi vindicans, negat principia et praecepta moralia necessaria et immutabilia simulque animae immortalitatem et sanctionem moralem in altera vita, leges morales ex consuetudine vel statu civili et oeconomico deducens (Evolutionismus, Positivismus ethicus, cfr. supra p. 18 sq.[2]). c) *Politicus*, omnimodam libertatem civilem vindicans, negat civitatem i. e. potestatem publicam in lege naturali ac proinde divina fundari, sed ortam esse ex pacto humano neque in conscientia obligare posse (Rousseau, Kant). Est liberalismus democraticus vel republicanus, ex quo revolutio gallica et recentes respublicae ortae sunt. — Saepe tamen hic liberalismus politicus, si ipsi utilitati est, sententiam oppositam propugnat, potestatem publicam fontem constituit omnis iuris et moralitatis, quasi praesentem Deum (Hegel), cui omnia liceant neque quisquam ullo modo, ne passive quidem, resistere debeat (Hobbes, Spinoza, Positivismus iuridicus modernorum, cfr. supra p. 216 sq.). Est liberalismus despoticus, qui libertatem aliorum civium praesertim quoad

---

quum socialistae neque Deum neque poenam vitae futurae timeant, sed hac in terra felicitatem suam exspectent (cfr. etiam „Soziale Volksbibliothek", Volksverein in M.Gladbach, 1907, Nr. 1—8, à 5 Pfg. Collection: Science et Religion, Nr. 41, 152—155, 171, 197, 264, 292, 326, 327, 358—360, 482 à 0,60 Fr.). Denique notum est, illos duces ex stipendiis pauperum sociorum magnam percipere salariam (Liebknecht 10 000 M., Auer 6000, Schönlank 5000, Fischer 5000, Kautsky 5000, Mehring 3000). Marx, Lassalle, Engels, Bebel, Singer, Arons, Dietz, Friedländer, Stadthagen, v. Vollmar sunt resp. erant ditissimi. Idem dicendum est de ducibus socialistarum in aliis nationibus; sic in Gallia Argelies, Hovelacques, Mielvaque, Pierre, Ricard, Trébois, Goblet, le Zenne, Gousset, Paulin-Merry, Renon, Turigny, Jaurès, Millerand sunt homines divites; item in Belgica Anseele et in Hollandia Domela Nieuwenhuis; porro in Austria Adler Judaeus et in Italia Barcilai, Enrico Ferri Judaeus advocatus [initio pauper, hodie valde dives]; cfr. „Trier. Landesztg." 1904, Nr. 200 a). Et hi seductores socios hortantur ad capitalistas spoliandos et statum futurum creandum, in quo omnes aequales esse debent!

[1]) Cfr. Cathrein, l. c. p. 264 sq. Pachtler, Die Ziele der Sozialdemokraten und des Liberalismus, 1893; H. Pesch, Liberalismus, Sozialismus und christl. Gesellschaftsordnung, 1898; Die soziale Frage, 1893, I, 12 sq. Biederlack, Die soziale Frage, 1904[6], p. 21 sq.

[2]) Cfr. supra p. 132, 142, 216 sq.

religionem et mores opprimere studet legibus iniquis, scholis christianis suppressis, ordinibus religiosis coercendis vel expellendis etc. („Kulturkampf", persecutio ecclesiae catholicae in omnibus statibus modernis, Josephinismus, Gallicanismus, sectae Massonicae ubique terrarum). d) *Oeconomicus*, omnimodam libertatem in negotiis faciendis sibi vindicans, affirmat omnia impedimenta laboris et negotii esse removenda (vectigalia, corporationes, Zollschranken, Zünfte, Wuchergesetze etc.), ut per liberam „concurrentiam" omnes vires excitentur et hoc modo harmonia oeconomica per se ipsam fiat; potestati publicae solum officia iustitiae strictae incumbere, non autem statum oeconomicum ab ea esse dirigendum atque disponendum (Gournay, „laissez faire, laissez passer", Quesnay etc., Marquis d'Argenson, Oncken); laborem esse unicum fontem valoris atque divitiarum (Locke, Smith, Ricardo, Say etc.), neque leges morales in rebus oeconomicis valere.

Ex dictis patet: a) Socialismum consentire liberalismo religioso et morali, quia respuit Deum, religionem, moralitatem, vitam futuram, id quod ipse Bebel liberalibus publice (in sessione diaetae 16. Sept. 1878) in memoriam revocat i. e. socialistas scientiam suam ab ipsis recepisse. b) Item socialismus amplectitur doctrinam liberalismi politici tum *democratici* [1]), expostulans

[1]) Merito igitur Schaeffle (Quintessenz des Sozialismus, p. 49), licet ipse favens socialismo: „Alle Zentralisation des liberalen Staates leistet dem Sozialismus Vorschub und ist ihm kongenial." Item Paulsen (System der Ethik, 1900[5], II, 435) affirmat: „Die sozialdemokratische Partei . . . stammt vom demokratischen Liberalismus ab"; ipse tamen Paulsen, licet socialismum *hodiernum* in genere reprobet, ab eo non satis recedere videtur, tum quia societatem ipsam facit fontem omnis moralitatis et iuris, Deum personalem negans et vitam futuram, fundamenta moralitatis, tum quia principium oeconomicum socialistarum adoptat: laborem esse unicum fontem proprietatis (l. c. p. 317 sq.) — Idem dicendum est de iis, qui dicuntur socialistae status sive oeconomici, qui retinentes quidem proprietatem et ordinem socialem, necnon leges morales, eas tamen ex evolutione culturae repetunt omneque ius ex publica auctoritate derivant et huic vim tribuunt, de omnibus civium bonis disponendi, ut Schönberg, Schmoller, Cohn, Schäffle, Kleinwächter, Wolf, L. Brentano (cfr. Walter, Sozialpolitik und Moral, 1829, p. 151, 243 sq.), necnon ii philosophi, qui salutem publicam vel progressum generis humani supremam legem moralitatis habent, ut Jodl, Paulsen, Wundt etc. (cfr. supra p. 35 sq.). Alii vero non negant quidem leges morales, attamen eas ad vitam oeconomicam dirigendam non applicandas esse affirmant, siquidem agatur de rebus quoad mores indifferentibus et moralitas ex vita oeconomica tandem oriatur; sic sentiunt inprimis Menger et Sombart (l. c. p. 4, 15 etc.) aliique non pauci. — Patet, omnes illos auctores, si sibi volunt esse consentanei, socialismum effugere non posse, quia eius principium fundamentale suum faciunt, sc. non esse ius naturale, neque leges morales necessarias et immutabiles sed pro conditione culturae humanae variabiles et omne ius ex societate haberi. Immerito Sombart, licet laudet consequentiam principiorum moralium scholae catholicae, ea reicit, quasi ex revelatione divina deducta, quum tamen sola ratione detegantur atque probentur (cfr. supra p. 109 etc.). Certe rectius sentit Roscher, solis principiis religionis christianae etiam vitam oeconomicam dirigi posse, licet ipse quoque principia moralia ex utilitate publica deducat, ignorans doctrinam scholasticam. Cfr. Walter, l. c. p. 224 sq. Vide etiam Hertling, Naturrecht und Sozialpolitik, 1893; Recht, Staat und Gesellschaft; Ratzinger,

democratiam et rempublicam sine ulla potestate publica imperante, sed solum administrante, tum *despotici*, siquidem in republica socialistica nulla iam erit libertas sive laboris eligendi sive religionis exercendae, id quod socialistae hodierni satis ostendunt, ubique religionem christianam, praesertim catholicam, acerrime persequentes. c) Denique socialismus reicit quidem liberam concurrentiam, ut fontem superproductionis et laboris exaggerati, recipit tamen principium oeconomicum liberalismi, laborem unicum esse fontem valoris ac proinde operariis ipsis productum laboris esse tribuendum, neque ullam legem proprietatis naturalem admittendam esse, neque leges morales vitam oeconomicam dirigere debere, sed vice versa eas oriri ex statu oeconomico tanquam ex fonte suo.

Addendum tamen est, non omnes liberales totum hunc liberalismum, qui iure vocatur haeresis et error praecipuus temporis nostri, tum religiosum et moralem, tum politicum et oeconomicum i. e. absolutum adoptare, sed multi speciem aliquam liberalismi mitigati profitentur, qui plerumque in divitiis et honoribus sine scrupulis acquirendis vel possidendis consistit.

Nonnunquam socialistae, ut possibilitatem socialismi ostendant, appellant ad communem vitam militum [1]). Sed haec vita communis non perdurat nisi per aliquos (2—3) annos, non per totam vitam, et singuli milites habent bona sibi propria non solum consumptiva, sed etiam productiva (pecunia). Porro in genere coelibes esse debent neque quidquam laborant, i. e. producunt ad usum communem, quae omnia repugnant statui socialistico. Certe hoc modo socialistae sententiam suam ad absurdam deducunt, fatentes nonnisi vi et coactione poenisque gravibus (pro 30 delictis militum poena mortis infertur) homines in statu futuro contineri posse, sicut milites in contuberniis suis.

Neque licet communismum socialisticum comparare cum negotiis illis praegrandibus industrialibus, in quibus plura milia operariorum (e. g. 60 000 apud Krupp) sub communi directione laborant. Nam in his negotiis adest tum possessio propria patronorum singulorum (e. g. Krupp) vel plurium (Aktiengesellschaft), tum etiam proprietas aliqua operariorum, qua proprietate sublata, stimulus laboris et patronis et operariis deesset. Porro perfecta obedientia requiritur, quam qui non praestat, illico eicitur, unde tot socialistarum querelae et laboris abstinentiae (Streik). Accedit, quod haec negotia, licet immensa, semper certo loco sunt constituta, ita ut tandem ab uno administrari possint, status autem socialisticus sese extendens ad totam terram aliquam non iam ab uno dirigi posset, unde discordia et perturbatio continua adesset.

Porro sunt, qui etiam ad societates religiosas animum advertunt, quippe quae multos viros vel feminas proprietate omni carentes sub communi directione contineant. — Sed haec vita religiosorum, communis, votis paupertatis, obedientiae, castitatis fundata, certe non placet socialistis, qui neminem magis quam monachos et monachas odio habent atque, si possunt, persequuntur. Denique sunt qui „reductiones" Indianorum in Paraguay a Jesuitis fundatas (1609—1767, 60 pagi 150 000 incolas habentes) cum statu communistico

Die Volkswirtschaft in ihren sittlichen Grundlagen, 1895[2]; Liberatore, Principii di economia politica, 1889, germanice a comite v. Kuefstein, 1891.

[1]) Cfr. Cathrein, Sozialismus, 1906[9], p. 412 sq.

comparent. Verum est, in his coloniis, in quibus gentes illae barbarae laborisque prorsus ignarae congregabantur, proprietatem tum fundorum tum instrumentorum tum pecudum etc. communem fuisse; sed unusquisque possidebat etiam agrum proprium (alamba = res propria, distincta a tupamba = res Dei), non quidem ut dominium perfectum, sed utile, quia non licebat eum aliis vendere. Porro status hic socialis erat solum initialis, non perpetuo duraturus, usquedum Indiani antea vitae dissolutae et vaganti assueti, bellis et venationibus dediti et a labore maxime alieni, culturae prorsus assuefacti fuissent. — Profecto mirum est spectaculum, si gentium illarum, usque modo ferocissimarum, spectaveris tum obedientiam et devotionem perfectam erga missionarios, tum morum integritatem, imo sanctitatem vitae, necnon prosperitatem temporalem, spectaculum, solum initio ecclesiae christianae vel in monasteriis religiosorum visum, sed in republica socialistica impossibile (cfr. Kirchenlexikon[2] et Konversationslexikon, Herder, Art. Paraguay; Fl. Baucke, Ein Jesuit in Paraguay a Kobler 1870.

Art. 2. De socialismo agrario.

Fuerunt, qui non omnia bona productiva, sed solum immobilia per communitatem possidendas esse censerent: agros, prata, silvas, fodinas etc. Vocantur *socialistae agrarii*. *Quesnay* (†1774) oppugnans Mercantilismum a Colbert excitatum primus videtur fuisse, qui theoriam socialismi agrarii quodam modo praeformavit, docens, terram i. e. fundos unicum esse fontem divitiarum, quare etiam unicum fontem tributorum et fundamentum omnis legislationis civilis esse debere; inde omnes functiones publicas quasi ex se regulari (Physiocratismus). Quesnay autem ipse possessionem *communem* agrorum nondum statuit. Hoc vero eius asseclae faciebant, inprimis in Britannia *Thomas Spence* (1796), *William Ogilvie* (1782), *Herbert Spencer* (1850), *J. St. Mill*[1] († 1873). In Gallia praesertim *H. de Colins* (1849); in Belgica de *Laveleye* († 1892)[2]; in America *H. George* († 1897), *Alfr. Russel, Wallace*[3]. In Germania inprimis hodie *Flürscheim* (natus 1844)[4], *Stamm* (1870), *Hertzka*[5], necnon certo modo *A. Wagner*, *K. Bücher*, *R. Sohm*, *Oertmann*, *M. Gruber*, *Oppenheimer* aliisque[6]. Putabant enim, a natura terram omnibus eodem modo pertinere eâque communiter possessa fore, ut paupertas omnis auferretur. Rationes vero, quibus sententiam suam probant, sunt partim historicae, partim naturales, partim oeconomicae.

A. *Negativa refutatio.*

I. *Rationes historicae:* Duce de Laveleye affirmant, omnes gentes initio totam terram communiter possedisse: a) Praesertim adducunt testimonia

[1]) Principles of Polit. Econ. 1848, 2 vol. germanice 1881[4], 3 vol.

[2]) De la propriété et de ses formes primitives 1901[5], germanice 1879; Eléments d'économie politique 1902[7].

[3]) Inter multa eius opera praecipue: Progress and Poverty 1880; germanice 1892[5].

[4]) Societatem instituit: Verein für Bodenbesitz-Reform, et folium edit.: „Frei Land". [5]) Frei Land, 1896[10].

[6]) Cfr. Elster, Wörterbuch der Volkswirtschaft, 1906[2], Art. Bodenreform (I, 482).

Caesaris[1]) et Taciti[2]) de communi possessione veterum germanorum. Sed immerito; nam auctores disputant de sensu horum testimoniorum[3]). Deinde constat, veteres germanos, utpote venatores, non habuisse terras fixas, sed quovis anno domicilia mutasse, unde de communi possessione ad agros colendos, sicut hic supponitur, sermo esse non potest. Denique quum discreti ac separati ab invicem habitarent, unusquisque agrum suum habebat pro libito occupatum atque a servis et mulieribus cultum. Accedit, quod legislationes Germanorum veteres, quae traditiones antiquissimas servant, proprietatem rerum immobilium supponunt et eam severis decretis tuentur[4]).

b) Deinde exemplum afferunt communis possessionis, quae in pagis Russiae praeter propriam possessionem habeatur (Mir). Sed hodie constat, illam communem possessionem non exsistere nisi ex saeculo 16. et terras illas olim fuisse proprietatem principum, rusticis locatam[5]) — Idem fere dicendum est de communi possessione, quae adhuc in multis pagis Trevirensibus habetur (Gehöferschaften); haec enim communis possessio, tertio vel nono quoque anno, denuo distribuenda, orta est ex 13. saeculo ex proprietate principum locata, neque haec communis possessio ad omnes incolas pertinet, sed ad paucos ex vetere hereditate accepta[6]).

c) Porro si historia veterum antiquissima investigatur, apparet, terrarum proprietatem fuisse privatam apud omnes gentes. Hoc iam ex antiquissimis templorum Aegypti imaginibus (oblatio tributorum dominis terrae) constat, neque minus apparet ex legislatione babylonica regis Hammurabi, quae ubique terram privatim possessam supponit[7]). Quid Israelitae hac de re senserint, satis patet ex legibus 7. et 10. decalogi (Exodus 20: Non furtum facies; non concupisces domum proximi . . . nec omnia, quae illius sunt). Apud Graecos et Romanos proprietatem privatam terrarum fuisse, nemo est, qui neget. — Non obstat, quod saepe etiam communis possessio sive singularum communitatum, sive totius civitatis (fiscus) habetur, quae communis possessio potest orta esse initio, quando terra primum occupata et inter occu-

[1]) De bello gallico, IV, 1; VI, 22.

[2]) Germania c. c. 15, 16, 25, 26.

[3]) Cathrein. Moralphil., II, 254.

[4]) Cfr. Cathrein l. c.

[5]) Cfr. Fustel de Coulanges, Le problème des origines de la propriété foncière (Revue des questions historiques 1889) contra de Laveleye; porro Nouvelles recherches 1891; cui hodie assentiunt Hildebrand et Philippovich; necnon antea Le Play, Meitzen, v. Keussler (cfr. Cathrein, l. c. 3).

[6]) Cfr. Lamprecht, Deutsches Wirtschaftsleben, I (1886), pag. 442 sq. Elster, Wörterbuch der Volkswirtschaft, 1906[2], I, p. 814: Feldgemeinschaft, v. Below; p. 78: Allmende.

[7]) Cfr. Winckler, Die Gesetze Hammurabis, 1902; furtum et rapina plerumque morte puniuntur (cfr. §§ 6—25); hae leges a rege Hammurabi statutae plus duobus milibus saeculorum apud Babylonios vigebant. — Etiam apud Aegyptios antiquitus agros in privata fuisse possessione, apparet ex eorum, „libro mortuorum" (in Papyro Turinensi 1842 a Lepsio edito), antiquissimo libro Aegyptiorum (forte 3000 annos a. Chr. scripto), in quo (c. 125) mortui, deo Osiri rationem vitae reddentes, asserunt, se iniustos non fuisse nec terminos agrorum immutasse (cfr. Cathrein, Moralphilos., I, p. 573 sq.; Baumgartner, Gesch. d. Weltliteratur, 1901[4], I, p. 86 sq.).

pantes a principibus ita distributa fuit, ut praeter possessionem privatam etiam communis fuerit reservata ad necessitates communes explendas. Saepe autem communis haec possessio decursu temporis orta est ex donatione vel emptione et venditione; nihil igitur obstat possessioni privatae, sed eam supponit atque confirmat.

d) Denique etiamsi supponeretur, initio agros communes fuisse, ita ut decursu temporis, crescente cultura, privata possessio terrarum exorta sit, hoc nullum argumentum est pro communi possessione; nam status ille initialis certe imperfectus erat, a natura autem vel potius ex Dei providentia status perfectus generis humani intenditur. *Atqui* constat, apud omnes gentes cultas, politice et oeconomice progressas fuisse proprietatem rerum immobilium, imo quo perfectior est cultura, eo maior est diversitas possessionis huius privatae. *Ergo* per inductionem hanc historicam omnino legitimam constat, esse legem universalem, in societate humana bene ordinata privatam exsistere proprietatem terrae.

II. *Rationes ex natura rei:* Dicunt cum George, a) laborem esse unicum titulum possessionis; terram autem non posse esse fructum laboris; ergo non posse esse substratum possessionis privatae. — Sed hoc principium liberalismi oeconomici et socialismi falsum est, ut supra ostendimus, quia multae res habent ex se ipsis quandam utilitatem iam ante omnem laborem humanum, e. g. terra sponte fructus producens, vel haec utilitas solum ex parte ex labore humano oritur e. g. statua ex ligno, marmore, vel auro facta. — Deinde eodem argumento etiam probari posset, ne mobilium quidem rerum nos possessionem privatam habere posse, siquidem multae valorem habent vel ex toto vel ex parte independentem a nostro labore e. g. gemma inventa.

b) Dicunt, omnes homines habere ius ad *laborem* et *ad vitam;* hoc ius autem supponere proprietatem communem rerum immobilium, quae sunt substratum laboris et conditio vitae sustentandae. — Sed ex hoc solum sequitur, debere adesse substratum aliquod laboris et vitae exercendae, non autem hoc substratum esse nostrum. Sic operarii plurimi materiam non suam labore suo immutant, vel in agris alienis laborant, ita ut ipsis ius perfectum ad laborem et vitam adsit. — Deinde hoc eodem argumento posset iterum sententia socialistarum probari, bona productiva omnia ad totam spectare communitatem.

c) Dicit George, terram aliquam privatim occupare idem esset, ac siquis in theatrum primus ingrediens omnes sedes occuparet[1]. — Sed haec comparatio nullius est momenti. Quemadmodum enim nemo theatrum ingressus omnes sedes occupat vel occupare potest, sed solum illam, quae ei placet et a qua per neminem depelli potest, ita etiam homines primi terram ingressi, non omnes terras sibi vindicabant, sed unusquisque illam, quae nondum erat occupata et quae ei videbatur apta et sufficiens ad vitam suam et suorum sustentandam. Et si plures eandem terram ingrediuntur, tunc ea vel a communi principe est pro cuiusvis necessitate distribuenda, vel pacto mutuo, vel etiam vi et armis definienda; agitur enim de rei occupatione, quae usque modo nullius est.

[1]) Hoc argumentum, olim a s. Basilio, sed alio sensu propositum, iam a s. Thoma (II, II, qu. 66 a. 2) refutatur.

III. *Rationes oeconomicae.* George inprimis insistit in argumento ex natura productionis desumptum: Dicit in omni producto concurrere solum, laborem, capitale. Partem, quae solo debetur, vocat censum sive reditum (rent); partem, quae labori tribuitur, vocat mercedem (wages); partem tandem, quae oritur ex capitali, appellat interesse (interest), ita ut haec formula statui possit: Productum = census + merces + interesse, quae etiam hoc modo exprimi possit: Productum — census = merces + interesse; ex quo pateat, quo maior fiat census, eo minorem fieri et mercedem et interesse. *Atqui,* ita pergit, de facto crescit census continuo. *Ergo* merces et interesse continuo decrescunt, quod etiam factis comprobare nititur. Iam vero hoc esse iniustum, quia solum ex se nihil producat, sed labor humanus. *Ergo* possessionem privatam soli iniustum lucrum possessori per censum continuo crescentem procurare.

Sed tota haec argumentatio et rationi et factis repugnat; nam 1⁰ etsi census cresceret continuo, nondum sequeretur, mercedem et interesse decrescere, dummodo productum etiam aequaliter vel etiam magis crescat, quam census. Et hoc revera locum habet; nam tum tota productio, tum etiam productio ex fundis tantum ubique continuo crescit. Sic in Britannia, cuius praesto sunt data statistica, omnes reditus ex anno 1843—1892 a 251 013 000 Pfd. St. ad 712 181 000 Pfd. St. adaucti sunt; reditus ex fundis eodem tempore a 76 228 000 Pfd. St. ad 211 793 000 Pfd. St. Populatio autem his annis a 19 016 000 crevit usque 37 732 000; haec igitur fere 200 %, reditus vero fere 300 % creverunt[1]. In Borussia reditus medii pro persona erant anno 1876 = 316 M.; 1888 = 329 M., 1890 = 342 M., 1893/94 = 350 M., 1897/98 = 390 M.[2]. Deficit igitur fundamentum ipsum calculi. 2⁰ Deinde non verum est, censum[3] semper crescere; constat enim, hisce annis reditus agrorum ubique ita esse diminutos (2—3 %), ut agricultura grave damnum passa sit multaque praedia vendita sint, imo sub hasta venerint[4]. Rationes praecipuae sunt: quia frumentum ex aliis terris magis frugiferis importatum est, praesertim vero, quia merces operariorum ruralium 80—100 % aucta est. Porro statistica docet, reditus ex agris ultimis decenniis continuo decrevisse, aliorum autem negotiorum in genere crevisse[5]. 3⁰ George docet, mercedem

[1]) Cathrein, Moralphil., II, 272 sq. [2]) L. c. p. 223.

[3]) Censum (Grundrente) scientiae oeconomicae periti vocant reditum ex fundis, qui superat expensa laboris (mercedes) et foenus capitalis adhibiti (Betriebskapital: pretium, pecunia, instrumenta); augmentum igitur reditus dependet a terrae bonitate, deinde ab eius situ (in urbe, prope ferroviam, ad domus vel fabricas vel fodinas exstruendas etc.). Unde gubernium vel urbes saepe pro hoc augmento tributum speciale (Grundwertsteuer) imponunt praeter consuetum (Grundsteuer). Census igitur fundorum est pars aliqua omnium redituum ex agris, plus vel minus magna (cfr. Elster, Wörterb. d. Volkswirtschaft, 1906², I, Art. Grundrente).

[4]) Sic anno 1900 *census* ex fundis medii (detractis expensis sc. mercede et foenore capitalis adhibiti) non erant nisi 0,6 %; dimidia fere pars fundorum nullum censum producebat; hypothecae agris impositae annis 1886—1895 in Borussia 1 500 000 000 M. fuerunt.

[5]) Sic in Britannia erant reditus ex agris 1881 = 1 385 000 000; 1899 = 1 060 000 000; iisdem vero annis ex domibus 2 349 000 000 et 3 400 000 000

semper eandem fere permanere, ita ut sufficiat necessitatibus operarii; sed haec sententia („lex aënea mercedis" Lassalliana) est falsa, ut supra p. 301 et 306 ostendimus et ex dictis apparet. Deinde George mercedem hic alio sensu accipit, ac Lassalle; hic enim merces significat non solum mercedem operariorum, ut apud Lassalle, sed etiam mercedem pro agricolis ipsis i. e. fructus agrorum necnon lucrum negotiatiorum, salarium directorum et aliorum in fabricis et fodinis munere fungentium. 4° Verum quidem est, interesse nunc minus esse quam olim (5%), quando 10—20% solvebantur, si *singulae summae* considerantur; sed quum capitale ipsum mirum in modum auctum sit, etiam summa foenoris hodie multo maior est, quam olim. 5° Denique etiam ratio a George adducta, terram ex se nihil producere ac proinde incrementum census esse iniustum et deberi labori, est falsa, quum revera terra multum producat sine labore vel saltem labor sine ipsa nihil producere possit; est falsum axioma liberalismi et socialismi (cfr. supra p. 312 sq.).

B. *Positiva refutatio.*

Nemo certe est, qui neget, civitatem agros possidere posse, tum ut suis necessitatibus sufficiat, tum ut agros liberos habeat colonis distribuendos, tum ut per bonam agrorum culturam agricolis exemplum exhibeat. Sed hic agitur de quaestione, num melius, imo possibile sit, civitatem omnes agros possidere. Agri ita essent a communitate possidendi, ut ipsa communitas etiam culturam agrorum administraret, vel ut singulis agricolis partem agrorum locaret, vel ut proprietate singulorum conservata, solum censum agrorum tributis impositis exigeret. Sed nullo hoc modo communis agrorum possessio haberi posset:

I. *Non per communem administrationem:* nam a) supponitur, possessores hodiernos proprietate sua spoliandos esse, quod vix sine maxima rerum perturbatione fieri posset, quum agricolae ad minimum tertia pars incolarum Germaniae (circa 17 000 000) sint (in aliis terris, e. g. Hispania, Italia sunt pars maior)[1]) et in genere magis quam alii cives domicilio suo adhaereant.

ex negotiis industrialibus 5 107 000 000 et 8 248 000 000; ex functionibus publicis 664 000 000 et 1 310 000 000 Mk. (Cathrein, l. c. 273).

[1]) Statistica anni 1890 (Elster, l. c. I, 430) docet, totius populationis ex 100 personis pertinere:

	ad agriculturam	ad industriam	ad negotia	ad servitium domest.	Varia
In Germania	37,5	37,4	10,6	6,1	8,4
„ Austria	64,3	21,9	6,4	3,5	3,9
„ Ungaria	53,6	12,6	3,3	4,9	20,6*
„ Italia	56,7	27,6	3,9	3,9	7,9
„ Helvetia	37,4	40,7	10,7	6,2	5,0
„ Gallia	40,0	27,9	13,4	9,9	8,8
„ Britannia	10,4	56,9	10,8	14,7	7,2
„ Irlandia	44,0	30,7	4,5	11,1	9,7
„ Statibus unitis Americae sept.	38,0	24,1	14,6	19,2	4,1

* Videntur potius ad agriculturam pertinere. — Patet igitur, partem *relative* maiorem populationis Europae et Americae pertinere ad agriculturam; in aliis vero nationibus absolute maior adhuc pars agriculturae operam dat.

b) Destrueretur studium et sollertia in agris colendis, si unusquisque non iam pro se et familia sua, sed pro communitate laboraret; ideo reditus ex agricultura tunc multo minores essent, nec iam sufficientes ad communitatem sustentandam, quum hodie iam non plus quam 2—3% efficiant. c) Administratio agriculturae per communitatem supponit numerum ingentem inspectorum, scribarum, diversis muneribus fungentium, quibus muneribus hodie quivis paterfamilias *gratis* fungitur; esset igitur administratio valde sumptuosa, quae insuper propter numerum fungentium difficillima esset et nimiam occasionem aemulationis, fraudis, peculatus i. e. corruptionis publicae exhiberet. d) Agricolae tunc vel libere terram colendam eligerent, vel non. Si *primum*, certe mox agri difficulter colendi, minus fertiles, in regionibus non amoenis desererentur et continuus esset fluxus populationis nullusque ordo in productione; esset certa ruina rei publicae. *Sin alterum*, libertas omnis periret, agricolae fierent servi humo affixi, ut apud veteres Romanos, neque ulla spes esset miseriam effugiendi. e) Si agri fiunt communes, etiam domus et utensilia ad agros colendos necessario fierent proprietas communitatis; adesset igitur plenus Socialismus, quem supra reiecimus. f) Denique classis aliqua civitatis destrueretur, quae omni tempore fundamentum erat ordinis publici. Constat enim, in populatione rurali et sanitatem corporis et constantiam animi, necnon amorem patriae et religionis traditae maxime florere. Quare socialistae inprimis possessionem ruralem destruere conantur, neque ipsi socialistae agrarii, ut George, Fluerscheim communem possessionem et administrationem agrorum volunt.

II. *Non per locationem agrorum.* Nam a) etiam tunc possessores fundorum hodierni primum proprietate spoliandi essent, quod esset summa iniustitia; vel saltem omnes agri a civitate essent coemendi, id quod impossibile esset, praesertim quum debita publica ubique hodie tanta sint, ut homines politici nesciant, quomodo solvi possint[1]). b) Quum reditus ex agricultura iam hodie tam pauci sint, quid tunc fiet, si adhuc pretium locationis solvendum sit? Certe, tunc ubique agricultura magnum damnum pateretur, tum quia vix maiora expensa ad agros meliores faciendos fierent (stercore adhibendo, arboribus plantandis, lapidibus vel vepribus removendis, fossis et canalibus ducendis, stabulis et horreis aedificandis etc.), quam quae absolute necessaria essent, tum propter inopiam locatorum, tum quia nemo sciret, num fructus laboris sui tempore futuro percipere posset, siquidem post ipsum alius forte agros conducet. — Neve dicas, locationem posse esse perpetuam atque hereditariam neque vendibilem; tunc enim, crescente populatione, multi, imo plurimi tandem nullos agros invenirent locandos et mercenarii aliorum per totam vitam esse deberent. c) Etiam in hac terrarum locatione occasio nimia adesset fraudis et aemulationis, praesertim quum hodie tantum partium politicarum studium sit, ita ut conductores terrarum et coloni prorsus dependerent a quovis gubernio et omni carerent libertate politica, id quod hodie nimis evidens est in eis, qui munere publico funguntur. — Accedit, quod etiam hoc modo tandem classis agricolarum independentia prorsus aboleretur. — Haec igitur sententia locationis, praesertim a *Fluerscheim* et suis discipulis propug-

[1]) Sic debita publica imperii Germani sunt 4 000 000 000 M., idem fere dicendum est de omnibus civitatibus praeter Belgicam.

nata, est omnino reprobanda, et experimenta, quae ab eius assecla Hertzka in Afrika et ab Oppenheimer in Germania (apud Eisenach) instituta sunt ad „possessionem fundiariam reformandam", vel irrita fuerunt, vel nondum comprobata sunt tempore [1]).

III. *Non per census confiscationem.* Nam a) tunc omne motivum ad agros meliores reddendos auferretur; nemo enim ex maiore censu utilitatem haberet. — Neve dicas cum George, posse ei aliquid ex censu concedi pro labore compensando; nam hoc „aliquid" aut parvum est aut multum: Si *primum*, non esset sufficiens motivum; nemo enim vellet pro aliis laborare; esset igitur ruina, etsi forte non agriculturae in genere, attamen omnis progressus. Sin *alterum*, hoc aliquid vel non sufficeret ad expensa publica; haec enim George eiusque asseclae volunt unice desumi ex censu fundorum confiscato; vel tandem idem esset, quod sunt tributa, praesertim progressiva pro magnitudine redituum, quae hodie omnibus imponuntur. b) Census agrorum hodie tantillus est, ut vix ad ipsos agricolas sustentandos satis sit, nedum omnibus necessitatibus publicis sufficiat, praesertim si debita publica considerantur. — Quare etiam sententia a St. Mill et George proposita est reprobanda, neque experimenta, quae in Australia *partim* eius propositionibus innixa instituuntur, usque modo hanc sententiam commendabant.

Art. 3. De aliis fontibus erroneis proprietatis.

Plerique proprietatem rerum omnino retinent, attamen ex falso fonte derivant. Alii enim *ex persona humana* eiusque voluntate cum Ahrens, Stahl, Bluntschli, Bruns; alii *ex pacto quodam* primorum hominum, ut H. Grotius, Pufendorf, necnon certo modo Kant, Rousseau et G. Fichte; *alii ex legibus civitatis*, ita post Hobbes, praesertim schola historica (cfr. supra p. 218), necnon Montesquieu, Trendelenburg et nonnulli oeconomistae, A. Wagner, Samter; alii *ex labore*, ut schola „liberalis" post Locke, Smith, Ricardo, Menger etc.; alii ex *historica evolutione*, ut Schaeffle, Neukamp, Grünberg etc. [2]) (cfr. supra p. 205 et 216 sq.). Iam vero hae sententiae sunt reprobandae.

1. Proprietas non oritur ex *personae humanae dignitate seu voluntate qua tali.* Proprietas potest intelligi *ut ius* ad aliquam rem in genere acquirendam et possidendam, et ut *factum* possessionis certae alicuius rei e. g. domus meae. Si *primum*, potest concedi hoc ius in genere pertinere ad dignitatem et perfectionem personae humanae, ut possit esse libera et independens. Sed omne ius supponit legem (cfr. supra p. 208), quae potestatem moralem confert aliisque obligationem imponit; ius igitur proprietatis habet tanquam *finem* illam personae humanae dignitatem et libertatem, non tamen ut causam, quae legem constituat. Si vero proprietas ut actualis possessio consideratur, certe

¹) Cfr. Konversationslexikon, Herder, Art. Bodenbesitzreform. Cfr. Leroy-Beaulieu, Le collectivisme, 1903[4].

²) Cfr. Cathrein, l. c. II, p. 285; Elster, Wörterb. Art.: Eigentum und Besitz. — Sunt, qui iuri Romano tribuant, quod ius proprietatis primum ex occupatione oriatur; sed immerito; nam ius Romanum statuit ius naturale *proprietatem* in genere acquirendi (cfr. supra p. 226), occupationem autem habet tanquam titulum primum *possessionis certi obiecti*, quod adhuc nullius sit.

non oritur ex persona humana et libera eius voluntate qua tali, licet haec sit aliqua conditio; secus omne furtum conferret proprietatem rei ablatae. Sententia igitur modo proposita (theoria personalitatis) confundit causam proprietatis cum eius fine, vel cum aliqua eius conditione [1]).

2. Proprietas non oritur *ex pacto primitivo* sive implicito sive explicito; nam pactum omne supponit, nos habere ius paciscendi de certo obiecto, ius acquirendi vel disponendi, quare ius iam supponitur. Deinde deberet supponi, primos homines ius positivum in terram universam habuisse, quam pacto inter se divisissent, quae suppositio arbitraria est, neque tale pactum primitivum historice constat (cfr. supra p. 220) et hodie ab omnibus, ni fallor, reicitur. — Confundunt igitur ius proprietatis in genere cum aliquo titulo possessionis actualis, i. e. ius proprietatis abstracte et concrete consideratum.

3. Neque *ex legibus civitatis* proprietas orta est. Civitatem enim praecedit familia. Atqui iam in familia vel inter familias primitivas habetur proprietas tum ut ius in genere aliquid acquirendi, tum ut possessio actualis. Ergo civitas per leges suas proprietatem non produxit. — Porro leges civiles legem naturalem supponunt, eam determinant atque applicant poenisque sanciunt (cfr. supra p. 113 sq.). *Atqui* lex naturalis etiam ius proprietatis continet, siquidem omnes relationes hominis sociales necessarias ordinat. *Ergo* leges civiles supponunt iam legem et ius naturale proprietatis. Et certe, si leges civiles proprietatem tum ut ius possidendi, tum ut actualem possessionem constituissent, possent etiam cives privare proprietate, *saltem sine iuris alicuius* laesione, siquidem ius non fieret nisi per legem, quod adversarii ultro concedunt [2]). *Atqui* est persuasio communis, tales leges non solum inhonestas, sed iniustas esse. *Ergo* proprietas formaliter non constituitur per leges civiles, sed per eas solum magis determinatur atque explicatur.

4. Neque *ex solo labore* proprietas orta est. Nam labor supponit obiectum, circa quod versari potest; hoc autem obiectum aut est quodlibet i. e. quodcunque quis voluerit, aut non. Si *primum*, possem quamcunque materiam occupare ad laborandum, quod tamen, omnibus fatentibus, non licet; secus nullus ordo esset productionis et lis continua de obiecto laboris, neque quisquam sibi materiam laboris, e. g. lignum, lapides etc. retinere posset

¹) Neque K. Werner (Christl. Ethik, III, 336—345), cuius ethica in multis laudanda est, ab hac sententia satis recedit, quia ideis Güntheri paulisper imbutus, totam naturam *unam* substantiam realem habet (cfr. psychol., vol. II, p. 402, nota), ex se ordinatam, ut tota fiat corpus et organum humanum; in hac autem ordinatione et tendentia naturae ius possessionis methaphysicum ultimo fundari putat. Reprehendit igitur — certe immerito — s. Augustinum eiusque in hac quaestione discipulum s. Thomam et Patres in genere, quod ius proprietatis non in personalitate humana constituerint, neque proinde a communismi sententia satis abhorruerint vel potius ex peccato proprietatem individualem deduxerint. — Non vidit clarissimus auctor, omnes homines, si ipse recte sentiret, ius *positivum* habere in totam naturam ac proinde communismum esse statuendum, neque fieri posse, nisi aliorum iuribus laesis i. e. per iniustitiam, ut quis rem aliquam sibi soli vindicet. Deinde tunc sufficeret *usus* rerum, non requireretur *ipsa proprietas* rerum.

²) Sic Adolf Wagner, Grundlegung, II. T., § 121. Paulsen, System der Ethik, 1900[5], II, 393.

Sin autem non licet, quamlibet materiam laboris occupare, iam praecedit ius aliquod proprietatis et legitima possessio. *Ergo* labor non est fons proprietatis qua talis. — Deinde proprietas aut consideratur ut ius possidendi in genere, aut ut actualis possessio. *Si primum,* iam ius ad laborem i. e. ad vires exercendas et bona necessaria sibi acquirenda praecedit laborem ipsum; sed ius hoc ad laborem pertinet ad ipsum ius possidendi i. e. ad ius proprietatis acquirendae et conservandae, quod sine labore fieri nequit. *Ergo* labor ipse non est fons iuris proprietatis in genere. Sin *alterum,* labor est quoddam exercitium iuris naturalis bona acquirendi, et est etiam aliquis titulus proprietatis actualis, non tamen necessario ad obiectum laboris possidendum; secus operarius posset retinere ut suum, quidquid in fabrica vel officina domini produxerit; sed habet ius ad mercedem pro labore percipiendam. Res autem effecta illius est, cuius est dominium materiae transformatae, nisi labor ipse valorem rei quasi totaliter constituat [1]). Confunditur igitur aliquis particularis titulus possessionis actualis cum iure proprietatis in genere. — Denique tota haec sententia supponit, laborem esse unicum fontem valoris. *Atqui* hoc falsum est, ut supra ostendimus; et est sententia, quae necessario ad socialismum ducit. *Ergo* ius proprietatis non oritur ex solo labore.

5. Neque tandem orta est *ex historica evolutione proprietatis,* ut hodie de facto exsistit. Nam haec sententia supponit positivismum ethicum sc. non esse leges morales naturales immutabiles, quae ultima norma sint atque fundamentum tum vitae humanae in genere, tum etiam vitae socialis et oeconomicae. — Deinde historica illa evolutio, quae non constat per se nisi ex factis quibusdam, sola certe non sufficit ad proprietatem et iustitiam fundandam; nam aut quaecunque facta sive quaelibet evolutio historica fons est atque norma iuris proprietatis, aut non. Si *primum,* etiam fraudes, furta et rapinae, siquidem sunt facta historica et pertinent ad evolutionem socialem et oeconomicam, ius proprietatis conferrent, quod nemo admittet. Sin *alterum,* iam conceditur, facta illa et evolutionem historicam ad quandam normam esse referenda i. e. supponere legem et iura proprietatis, quae evolutionem praecedunt atque dirigunt, vel saltem dirigere deberent. — Porro si haec sententia vera esset, liceret talem nunc evolutionem historicam incipere, quae iuri proprietatis opposita est, siquidem evolutio historica dependet a libera hominum activitate. Posset igitur quis alios spoliare, et socialistae prorsus suo iure uterentur, si statum hodiernum proprietatis subverterent. Nulla igitur proprietatis esset securitas neque ordo publicus stabilis. — Denique docet historia, proprietatem ab initio apud omnes gentes fuisse et sacram esse habitam. *Atqui* quod ubique invenitur, ex naturae humanae ipsius necessitate nasci debet. Exsistit igitur ius proprietatis ante evolutionem generis humani. Vidimus, hanc sententiam evolutionismi a socialismo adoptari. Status culturae exhibet solum facta, ad quae leges morales *applicandae* sunt; est igitur *materia* et *conditio* aliqua, non autem *causa et fons* ordinis moralis et iuridici [2]) (cfr. supra p. 18 sq.).

[1]) Cfr. BGB. (Bürgerliches Gesetzbuch) §§ 953—956.

[2]) Cfr. Roscher, Grundlagen d. Nationalökonomie, 1897 [22], § 21 b. Schaub, l. c. p. 100, 119 sq.

Art. 4. *De necessitate proprietatis privatae.*

Thesis XX: Proprietas privata in societate humana perfecta moraliter necessaria est ac proinde ius proprietatis est naturale.

St. qu. 1⁰ Non sermo est nisi de proprietate privata; nam societatem posse proprietatem habere, a nemine negatur. — Dicimus in societate perfecta, ut illas hominum aggregationes excludamus, quae nondum aliquam saltem classium distinctionem ratione nobilitatis vel operationis (bellatores, servi, agricolae, opifices) vel possessionis, neque magistratum sive principem habent. Non inquirimus, num tales hominum aggregationes anorganicae unquam exstiterint; ratio dubii est, quia hodie gentes etiam maxime barbarae aliquem prae se ferunt ordinem socialem et politicum necnon proprietatem habent privatam. — Dicimus hanc moraliter necessariam esse, ut indicemus, posse forte absolute loquendo i. e. sub quibusdam conditionibus gentem aliquam tempore brevi sine proprietate privata exsistere, non tamen diu, neque sub conditionibus, in quibus homines in genere versantur, considerata ipsa natura humana tum individua tum sociali.

2⁰ Dicimus, ius proprietatis privatae tum acquirendae tum conservandae esse naturale, quia a natura ipsa i. e. ab auctore naturae unicuique collatum est simulque aliis officium negativum impositum, nos in hoc iure utendo non illegitime impediendi. Non tamen affirmamus ius omnino absolutum et illimitatum, quum per legem caritatis vel etiam civitatis coarctari et determinari possit (cfr. supra p. 114). Quamvis ius naturale proprietatis statuamus, non tamen affirmamus, unumquemque debere proprietatem acquirere; nam nemo tenetur ordinarie uti iure suo, et ius latius patet, quam officium. Multo minus affirmamus, unumquemque a nativitate habere ius ad certa quaedam obiecta possidenda; nam ius, quod nos statuimus, est universale et consistit in lege divina naturali, qua nobis potestas moralis confertur ad bona quaedam acquirenda et possidenda. Quae autem illa bona sint, per experientiam nobis constat; ius igitur illud naturale per factum aliquod determinatur, e. g. per occupationem, hereditatem, emptionem etc. Consideramus igitur proprietatem *abstracte* ut ius naturale, non *concrete* ut actualem possessionem rei certae [1]), quae potest vocari „categoria historica", non autem ipsum *ius* possidendi nobis innatum.

3⁰ Nobis hic adversantur tum ii qui proprietatem privatam reiciunt sive omnem, ut Communistae et Socialistae, sive particularem (immobilia), ut Socialistae agrarii, tum qui proprietatem privatam

[1]) Duas has quaestiones, aliam de *iure,* aliam de *facto* proprietatis, multi confundunt vel ex eodem principio perperam explicare conantur; cfr. Elster, Wörterbuch etc., Art. Besitz; porro Sozialismus u. Kommunismus, II, p. 877.

ex falso fonte derivant ut Positivistae (cfr. supra p. 321). Similiter aliqui haeretici ius proprietatis negabant, ut veteres Apostolici, Manichaei, Circumcelliones, Albigenses medio aevo etc.[1]).

I. *Proprietas privata in societate humana perfecta necessaria est*[2]).

Prob. 1. *Per exclusionem:* Proprietas aliqua bonorum in societate necessaria est tum ad vivendum tum ad operandum; haec autem proprietas erit aut communis, aut privata, aut mixta, ita ut pars bonorum societati, pars privatis propria sit. *Atqui* ostendimus contra Communistas et Socialistas, possessionem communem omnium bonorum vel saltem productivorum esse moraliter impossibilem in societate nostra humana; porro vidimus, etiam fundorum tantum proprietatem communem esse reprobandam. Deinde mixta possessio bonorum non excludit proprietatem privatam; imo eam supponit. *Ergo* proprietas privata in genere necessaria est.

2. *Ex necessitate vitae:* a) Constat, nobis ad vitam sustentandam bona quaedam *consumptiva* necessaria esse ad usum exclusivum nostrum. *Atqui* nisi nobis esset proprietas privata horum bonorum, ex eorum usu omnes alios excludere non possemus; tunc conditio humana esset similis bestiarum, quae mutuo cibos sibi disputant.

b) Ad bona consumptiva procuranda requiruntur bona quaedam *productiva*. *Atqui* vidimus, necessariam esse possessionem privatam rerum consumptivarum. *Ergo* idem dicendum est de bonis productivis. — Neve obicias, sufficere ut bona productiva ab aliis suppeditentur, e. g. a patre in familia, a domino in fabrica, a societate ipsa civili; nam bona productiva aut sunt in possessione privatorum aut ipsius civitatis; si primum, exsistit proprietas privata, quam requirimus; sin alterum, socialismus inducitur, quem ostendimus esse moraliter impossibilem, siquidem ordinem naturalem productionis et distributionis pervertit et libertatem personalem destruit.

3. *Ex necessitate operationis:* A natura ad laborem ordinati sumus eumque inprimis corporalem et deinde spiritualem, qui corporalem supponit eumque dirigit, e. g. industria. *Atqui* sine proprietate privata: a) deficeret *materia* operationis; si enim alii eodem iure eam occupare possent, vel nulla fieret operatio vel continua esset discordia. Neve dicas, sufficere, ut materia operationis ab aliis exhibeatur, e. g. in fabricis; nam haec materia aut est aliis

[1]) Cfr. K. Werner, Christl. Ethik, 1852, III, p. 340 sq.
[2]) Cfr. S. Theol. II, II, qu. 66 a. 1 et 2; C. gent. III, 27. Aristoteles, Polit. II, 5. H. Pesch, Liberalismus, Sozialismus und christliche Gesellschaftsordnung, 1896, I, 2.

propria, et tunc habetur proprietas privata, aut est totius civitatis, et tunc redit socialismus saltem agrarius moraliter impossibilis (cfr. supra p. 314 sq.).

b) Deficeret sufficiens *motivum* et *stimulus laboris*. Experientia tum propria tum aliena, necnon historia hominum docet, amorem proprium i. e. egoismum (neque solum illicitum, sed etiam licitum, cfr. p. 248 sq.) potissimum esse motivum laboris, ut sua quisque bona adaugeat et hoc modo vitam tranquillam necnon honorem et auctoritatem apud alios consequatur. — Neve dixeris, amorem proximi melius esse atque nobilius motivum; est quidem, attamen pro natura humana, in peius potius sese vergente, motivum caritatis in genere cedit egoismo. Si igitur hominibus pro bono communi semper operandum esset, moraliter certum est, plerosque id tantum facturos esse, ad quod physice vel moraliter necessitarentur idque animo non prompto. Econtra experientia docet, homines omnes contendere nervos ac vires, ut suas quisque opes adaugeat. *Ergo* possessio privata est necessaria, ut stimulus laboris adsit.

4. *Ex necessitate familiae:* Homines omnes vivunt in familia, quae constituit unitatem aliquam naturalem, ab aliis distinctam, et per consequens etiam characterem quendam inprimit membris suis, unde tanta diversitas in hominibus quoad characterem, inclinationem, indolem etc. *Atqui* nisi esset proprietas privata in familiis:

a) Deficeret *fundamentum* et *vinculum materiale* unitatis, siquidem membra familiae ratione vitae, laboris, imo et domicilii et cohabitationis ab aliis i. e. a societate dependerent, quare mutua relatio obedientiae, amoris et reverentiae ex parte liberorum, amoris et providentiae ex parte parentum cessaret, i. e. familia periret. b) Deficeret tum in parentibus tum etiam in liberis stimulus laboris, siquidem nihil pro familia acquirere possent. *Ergo* requiritur privata possessio pro familia.

5. *Ex necessitate societatis:* Fundamentum societatis est ordo, concordia, sollertia civium. *Atqui* sine proprietate privata, *ordo* laboris et productionis facile turbatur, quia tunc non essent classes distinctae civium, sed plebs indiscreta, et quilibet omnia procurare deberet, vel quod ipsi placet, vel coactus a publica potestate. Deinde *concordia* deficeret, quia quilibet meliora vel faciliora desideraret et magistratus fieri vellet; ideo usque modo omnes coloniae socialisticae per discordiam interierunt. Denique *sollertia* deficeret, quia vix quisquam ex amore boni publici laborem subiret maiorem quam deberet. Si vero sua quisque possidet atque procurat, diversae oriuntur classes, in quibus ordo et organisatio laboris habetur; tunc pro viribus et conditione sua unusquisque laborem suscipit, laetus lucro proprio et ad nova semper negotia inde excitatur. Unde in societate

hodierna, quae in proprietate privata fundata est, tanta varietas et distributio laboris, viribus singulorum adaptata, tantusque progressus vitae oeconomicae et divitiarum nationalium habetur. *Ergo* proprietas privata necessaria est societati perfectae.

6. *Ex necessitate vitae intellectualis:* Nisi proprietas privata exsisteret, vix quisquam tempus vel otium haberet scientiae artisque acquirendae; nam in societate communistica omnes aequo modo laborare deberent. Deinde nemo, inventione facta, utilitatem propriam inde acciperet. — Neve cum Bebel aliisque utopistis: Stern, Bellamy etc. dicas, in statu socialistico non fore laborem nisi trium horarum, ita ut omnes tunc scientiis artibusque vacare possint. Vidimus enim (supra p. 308), hoc prorsus impossibile fore, tum quia hoc tempore non satis produci posset ad omnes nutriendos, tum quia stimulus sciendi et proficiendi deficeret; ad summum homines desidiae et voluptati effrenatae se dederent.

7. *Ex necessitate morali:* Nisi privata esset proprietas: a) deficeret *libertas personalis* atque *independentia,* digna homine adulto; esset enim prorsus dependens ab administratoribus publicis; quare corruptioni campus latissime pateret; b) deficeret *caritas in proximum,* qua quisque suis se spoliat, ut proximos adiuvet et amicos sibi conciliet, in qua re maxima hominum dignitas invenitur et vinculum morale atque sociale; c) neque virtus christiana *paupertatis liberae* esse posset, quae spreto mundo, animi fortitudinem et constantiam prae se fert et tot opera misericordiae erga proximum perpetravit (cfr. supra p. 289 sq.).

8. *Ex testimonio historiae:* Historia gentium docet, ubique et semper fuisse proprietatem privatam et quo magis cultura progressa sit, eo maiorem fuisse distributionem proprietatis privatae. Et si alicubi gens invenitur, cuius princeps dominus totius terrae dicitur (e. g. apud Inkas, Sinenses etc.), hoc non obstat proprietati privatae, siquidem subditi suam quisque rem quasi propriam procurabant, licet principi, non societati ipsi, fuerit quasi altum dominium [1]). Ita etiam apud veteres Israelitas Deus ipse vocatur dominus proprius terrae; Israelitae autem illam inter se dividebant et tanquam propriam possidebant. *Atqui* id quod ubique invenitur, non per fraudem et abusum, sed ut institutum publicum, quod eo perfectius habetur, quo perfectior est civitas, hoc saltem moraliter necessarium esse debet. *Ergo* proprietas privata in societate perfecta moraliter necessaria est.

[1]) Aliquid simile in quibusdam Germaniae gentibus apparet, quarum principes terram occupatam pro cuiusvis meritis devidebant, sibi supremum dominium solum retinentes, unde „status feudalis" (Feudalstaat) medii aevi ortus est.

II. *Ius proprietatis privatae est naturale.*

Prob. 1. *Ex eius necessitate:* Quidquid homini ut individuo et sociali necessarium est, ei a natura ipsa sive a Deo cum ipsa natura confertur; secus Dei providentia deficeret et opus naturae esset mancum. *Atqui* ostendimus modo, proprietatem privatam necessariam esse hominibus in civitate perfecta. *Ergo* ius proprietatis acquirendae et possidendae homini est connatum i. e. naturale.

2. *Per exclusionem:* Ius possessionis privatae aut oritur ex sola rei occupatione, aut ex pacto aliquo primitivo sive explicito sive implicito, aut ex legibus civitatis, aut ex evolutione historica vitae oeconomicae et socialis, aut ex ordine naturae. *Atqui* vidimus (supra p. 320 sq.), ius acquirendi et possidendi non ex occupatione sola vi vel astutia ortum esse, quia occupatio, ne sit furtum vel rapina, iam supponit *ius* acquirendi; neque ex pacto, siquidem et ipsum supponit iam ius dispositionis liberae; neque ex legibus positivis, quae iam familiam et ius privatum possessionis supponunt; neque ex evolutione historica, quae omnes priores fontes: occupationem, pacta, leges, in se comprehendit; hae enim facta praecise evolutionem historicam constituunt; iisdem igitur argumentis haec sententia refellitur, praesertim quum leges morales ipsas ex hac evolutione tanquam ex fonte suo unico derivet et socialismo viam praeparet. *Ergo* non restat nisi ut ius proprietatis sit naturale nobisque omnibus connatum.

3. *Ex persuasione hominum:* Hominibus omnibus temporibus persuasum erat, ius ipsum proprietatis non ex sola occupatione, neque ex solo pacto vel decreto publico oriri, sed altius repetendum esse ex voluntate divina. Ideo appellant ad Deum testem et vindicem pactorum et ultorem proprietatis laesae. Sic omnes sciunt, decalogum Mosaicum proprietatem privatam divina voluntate confirmare; sic apud veteres Babylonios et Assyrios dii invocantur ad pacta de proprietate confirmanda et ad laesionem proprietatis ulciscendam; sacerdotes adhibentur ut testes pactorum et haec ipsa in templis deorum asservantur [1]); sic Aegyptii mortui diis iudicibus: Osiri, Horo, Maat etc. testantur [2]), se bona aliorum non rapuisse. Neque aliter sentit iam Aristoteles, quasi pater scientiae politicae et oeconomicae, qui strenue refutat socialismum illum in statu ideali a Platone depictum et ius statuit proprietatis naturale (δίκαιον φυσικόν) (cfr. supra p. 222) [3]). Item Cicero, homo politicus et iurisconsultus Romanorum facile princeps, necnon ipsum Corpus iuris Romani,

[1]) Cfr. Cathrein, Moralphil., II, p. 267 sq.

[2]) In libro mortuorum antiquissimo, forte ca. 3000—4000 annos a. Chr. scripto (cfr. supra p. 111). [3]) Aristot. Polit. I, 2.

quod est quasi exemplar et norma legislationis gentium occidentis (supra p. 222 et 226).

I. *De scriptorum proprietate.*

Scholion: Quaestio nostro tempore orta est, num etiam auctores librorum habeant eorum proprietatem quasi „spiritualem", et utrum hoc ius proprietatis sit naturale an positivum. Ratio dubitandi quoad primam quaestionem est, quia multi iurisprudentes, duce Bartolo († 1357), obiectum proprietatis habeant nonnisi corporale, ita ut physice possideri possit; haec sententia dicitur fuisse corporis iuris Romani, an merito, dubitatur ab aliis [1]), et est sententia adhuc hodie publice recepta [2]). — Sed vix potest esse dubium, quin verum sit ius proprietatis librorum, quo moralem habemus potestatem alios prohibendi, ne libros nostros, nobis invitis, reimprimendos curent. Nam licet cogitationes libris expressae fiant bonum commune, non tamen *forma illa* specialis, in qua sunt publicatae; haec enim est productum laboris auctoris ac proinde eius proprietas. Accedit, quod haec forma non est mere spiritualis, sed sensibilis ac proinde aliquo modo corporalis. Quare proprietas auctorum in genere admittitur et unione internationali 1886 Bernae habita, pro multis regnis confirmata est [3]).

Quoad alterum quaestionem, sunt, qui cum A. Wagner hoc ius proprietatis habeant positivum et eo utantur ad theoriam legalem in genere probandam. Sed non distinguunt inter ius ipsum et eius applicationem. Ius ipsum proprietatis in rem a nobis factam est naturale; fructus enim laboris ad operantem spectat, sicut effectus ad causam. Attamen applicatio iuris ad hoc factum tandem facta est per leges positivas, quae ius ipsum non creabant, sed confirmabant et poenis sanciebant. Nostris autem saeculis, arte imprimendi tandem inventa, haec applicatio facta est, quia antea materia legis deficiebat. Quaestio igitur eadem est atque de aliarum rerum possessione legibus confirmata.

II. *De sententia s. Thomae* [4]): Sunt, qui Aquinati exprobrent, quod Socialismum doctrina sua praeformaverit; ita Bebel, Roscher, Ritschl aliique. Sed certe immerito. Doctor enim angelicus primum dicit, Deum esse dominum omnium rerum et ipsum solum de rerum substantia disponere posse, nobis autem usum rerum privatum esse traditum, qui proprium dominium, licet a Deo derivatum, constituat. Hoc ius proprietatis cum Aristotele vocat naturale: „Est homini rerum exteriorum aliqua *naturalis* possessio, non quidem quantum ad naturam earum, sed qantum ad usum, quo ipsis secundum rationem et voluntatem uti potest ad suum commodum et utilitatem" [5]). Porro duce Aristotele probat necessitatem proprietatis privatae, ut *sollertia, ordo* et *pax* in hominibus servetur. Unde concludit: „Impium est et erroneum asse-

[1]) Cfr. Elster, Wörterb., Art. Eigentum.
[2]) Sic codex iuris civilis novus (BGB.) § 90: „Sachen im Sinne des Gesetzes sind nur *körperliche* Gegenstände" (cfr. § 903).
[3]) Cfr. Elster, l. c. II, Art. Urheberrecht, p. 1145.
[4]) Cfr. Walter, Das Eigentum nach Thomas von Aquin und dem Sozialismus, 1895; Schaub l. c.
[5]) S. Theol., II, II, qu. 66, art. 1: Conclusio.

rere, ipsum (hominem) non posse quidquam proprium habere quoad potestatem procurandi et dispensandi" [1]).

At nonne ibidem dicit, „hominem non decere aliquid ut proprium habere quoad usum?" Certe, sed, ut ex toto contextu apparet, his verbis dicere intendit, universum mundum a Deo ordinatum esse ad utilitatem omnium hominum ita, ut omnes homines ius habeant rebus utendi, quare tenemur alios non prohibere ab usu rerum, quae eis necessariae sunt, immo tenemur in casu necessitatis eis etiam nostris rebus succurrere [2]). Quod praesertim apparet ex solutione obiectionis primae [3]): secundum ius naturale omnia esse communia. Respondet enim: „Communitas rerum attribuitur iuri naturali, non quia ius naturale dictet, omnia esse possidenda communiter et nihil esse quasi proprium possidendum, sed quia secundum ius naturale non est distinctio possessionum, sed magis secundum humanum condictum, quod pertinet ad ius positivum." — At nonne Aquinas modo affirmat, proprietatem esse „iuris positivi", et alibi [4]), pertinere ad ius gentium positivum? Certe, sed iam supra p. 226 explicavimus, quid intelligat sub voce iuris gentium, sc. eam partem ipsius iuris naturalis, quae *etiam* per leges positivas expresse statuitur. Quemadmodum igitur s. Doctor praecepta: non esse occidendum, pacta esse servanda, non esse furandum appellat praecepta iuris gentium, quamvis secundum ipsum certe etiam ad legem naturae pertineant, sic idem de iure proprietatis dicendum est, praesertim quum proprietas sit fundamentum societatis civilis ac proinde ante omnia alia iura determinanda atque per leges civiles confirmanda erat. Ex hoc autem modo loquendi s. Thomae non recte intellecto factum est, ut nonnulli theologi et philosophi, e. g. Lessius, Laymann necnon Suarez, non satis clare de iure naturali proprietatis locuti sint [5]).

A nonnullis etiam aliqua ss. Patrum testimonia adducuntur, quibus privatam possessionem negari putant. Ita *Ambrosius:* „Natura ius commune generavit, usurpatio vero fecit privatum" [6]). Et *Basilius* adducto exemplo spectaculorum (cfr. supra p. 316) loquitur: „Divites communia, quae praeoccuperunt, aestimant sua esse" [7]). Similiter *Chrysostomus* (Homil. 10 in ep. I ad Cor.), necnon ipsum ius canonicum (c. Dilectissimis, dec. Grat., p. II, c. 12, qu. 1 dictum Clementis I). — Sed isti ss. Patres nullo modo negant ius proprietatis privatae, quod aliis locis aperte adstruunt, imo his ipsis locis supponunt, sed urgent officium *caritatis*, qua tenemur, egentes adiuvare bonis nostris. Affirmant igitur usum rerum communem, sed *supposita privata possessione eaque legitima.* Sic Ambrosius: „Ab *ipso accepistis*, quod offeratis." „In tua potestate est largiri, quod velis" [8]). Et Basilius: „Num iniustus Deus, qui nobis *inaequaliter vitae necessaria* distribuit? Cur divite te ille pauper est? Annon utique, ut et tu benignitatis ac fidelis dispensationis mercedem accipias et ille magnis patientiae praemiis donetur" [9]). Neque appellari

[1]) Ibid. art. 2. [2]) Ibid. art. 7. [3]) Ibid. art. 2. [4]) Ibid. qu. 57, a. 3.
[5]) Cfr. Cathrein, Philos. mor., 1907 [6], p. 303.
[6]) De officiis I, p. 28.
[7]) Apud s. Thomam l. c. a. 2.
[8]) De Nabuthe Israel, c. 15, n. 67; de offic., I, p. 30.
[9]) Homil. in Luc. Destruam n. 7; cfr. Ratzinger, Die Volkswirtschaft in ihren sittl. Grundlagen, 1895 [2], p. 83 sq.

potest ad *primos christianos*, quibus, teste s. Scriptura (Act. 4, 32 sq.), „omnia erant communia“; nam hic status primitivus christianus erat effectus gratiae extraordinariae et caritatis superabundantis; erant enim etiam „cor unum et anima una“; qui status perfectionis non est ordinarius neque ut normalis supponendus, praesertim in societate socialistica sine Deo, religione et moralitate. Deinde haec communitas erat *libera*; nemo cogebatur sua facere communia, unde proprietas privata supponitur, quod expresse in facto illo Ananiae (act. 5, 1 sq.) apparet: „Nonne (ager) manens tibi manebat et venundatum in tua erat potestate?“ Idem dicendum est de *congregationibus religiosis*, in quibus professi possessioni privatae libere renuntiant votis solemnibus factis. Quare „Apostolici“, qui coniugibus et proprietati renuntiandum esse docebant, iam ab Augustino tanquam haeretici habebantur atque ab Ecclesia Christi separati[1]), necnon postea Albigenses, Wicleffitae, Anabaptistae aliique haeretici, possessionem propriam ut illicitam reicientes. Ecclesia autem expresse saepe legitimitatem proprietatis privatae declaravit, praesertim vero Leo P. P. XIII in suis encyclicis 1878 et 1891, docens, ius proprietatis esse „lege naturali sancitum“, „ab ipsa natura profectum“; vocat „remedium (a socialistis propositum) cum iustitia aperte pugnans, quia possidere res privatim ut suas ius est homini a natura datum“.

At nonne bona naturae omnibus communia sunt, siquidem nemo ex se ius ad res habet determinatas? Certe, sed ex hoc non sequitur nisi communitas bonorum *negativa* sc. ex natura nullam rem usui privato esse assignatam, sed omnem rem posse fieri cuiuslibet hominis, *si accedat determinatio et assignatio per quaedam facta*. Non igitur ex naturae ordine adest communitas *positiva*.

At nonne ex privata proprietate tot in societate oriuntur mala: divitiae enormes ex una parte, paupertas excessiva ex alia et ex hac diversitate classes distinctae, oppressio pauperum, discordiae, invidia, odium, furtum, rapina, imo caedes? — Haec omnia utique ex privata possessione nasci possunt, sed, ut iam Aristoteles monet[2]), non ex proprietate privata qua tali, sed ex hominum perversitate i. e. per accidens ex usu malo rerum; nam ex una parte divites nimia rerum cupiditate ducti, potentia sua nonnunquam utuntur ad pauperes opprimendos, vel egenos non pro posse adiuvant; ex alia parte pauperes ipsi nimium aestimant bona temporalia neque unquam satiantur. Quodsi in societate religio viget illaeque virtutes exercentur, quae ex religione oriuntur: timor Dei, amor proximi, modestia, temperantia, sollertia cum spe vitae futurae, vitia illa evanescunt et societas, classibus distincta, perfecte unita, prae se fert imaginem organismi, in quo membra sunt quidem diversa, sed unum membrum aliud adiuvat, omnia autem ad finem commune conspirant, qui est in corpore perfecta vita et in civitate salus publica. Haec autem salus publica non habetur, nisi in societate vere christiana, quae verba Domini sectatur: „Quaerite primum regnum Dei et omnia alia adicientur vobis“.

[1]) Cfr. S. Theol. II, II, qu. 66, a. 2.
[2]) Cfr. Polit. II, c. 5.

§ 3. De modis proprietatem acquirendi sive de titulis possessionis.

Non sufficit, ut nobis a natura ius competat aliquid possidendi; oportet hoc ius i. e. haec facultas moralis etiam ad res quasdam applicetur; hoc autem fit modis diversis. Distinguuntur modus *primitivus* et *derivatus*. Modus primitivus isque unicus est *occupatio*. Unde primum de occupatione, deinde de titulis derivatis disserendum est.

Art. 1. *De titulo primitivo sive de occupatione.*

Occupatio est usurpatio alicuius rei actualiter nullius domini ea intentione, ut tanquam propria habeatur. Supponitur igitur: a) rem occupandam usque modo non esse proprietatem alterius possessoris, e. g. ager incultus in terra inhabitata; gemma inventa usque modo a nemine possessa, fera in agro vel silvis legitime capta.

b) Debet tum physice tum moraliter apta esse ad occupationem; sic nemo aërem pro se occupare potest propter physicam impossibilitatem vel integras regiones; neque personas humanas, quia non licet personam ad modum proprietatis possidere propter eius dignitatem.

c) Requiritur voluntas rem illam ut suam retinendi; voluntas enim haec, utique lege naturali fundata, est quasi *forma*, res occupanda *materia* possessionis. Haec voluntas actualis, nisi adesset, non posset determinari, utrum quis rem aliquam a se ipso an ab alio possidendam occuparet[1]).

[1]) Immerito igitur Jhering hanc voluntatem possidendi (Besitzwille 1889) reicere videtur, quippe quum sine voluntate rationali nulla possessio fieri possit, ut in brutis apparet. Unde etiam definitio § 854 novi codicis civilis videtur esse non satis congrua: „Der Besitz einer Sache wird durch Erlangung der *tatsächlichen Gewalt* über die Sache erworben.“ Numquid igitur fur vel raptor rem alienam, quam physice habet, etiam legitime possidet? Neve obicias, furem habere etiam voluntatem eam rem possidendi; nam diximus, hanc voluntatem lege i. e. iure naturali fundari debere (cfr. Neukamp apud Elster, Wörterbuch etc. Art. Besitz, p. 436). Sane, possessio actualis est signum aliquod legitimae proprietatis, unde praesumptio stat pro possessore, usquedum probatum sit, possessionem non esse legitimam. Tota igitur confusio et dubitatio ex eo orta est, quod recentiores iurisprudentes ius naturale vel negant vel neglegunt. In re enim possidenda duo concurrere debent: *lex*, qua potestas moralis aliquid possidendi conferatur, et *factum*, quo haec potestas ad certum obiectum applicetur et determinetur. Quodsi unum ex his duobus deficit, actualis possessio legitima ipsa deficit. Quod ipse Neukamp advertere videtur (l. c.): „Die bisherige Streitfrage, ob der Besitz ein „Recht“ — (was m. E. unbedingt zu bejahen) — oder ein „Faktum“ ist, ist auch nach dem BGB. (Bürgerl. Gesetzbuch) eine offene; ein Versuch, sie endgültig zu lösen, kann erst dann gelingen, wenn man über den *Begriff des Rechtes ins klare gekommen ist, woran es noch vollständig mangelt*“ (cfr. supra p. 205 sq.).

d) Haec voluntas debet externe manifestari signis quibusdam, quae pro natura rei vel consuetudine possunt esse diversa, e. g. sepes circa agrum facta, scriptura affixa, arbores vel segetes plantatae, conservatio rei mobilis in domo sua etc.; secus enim nemo posset probare, se aliquam rem occupasse, si sola voluntas interna sufficeret, et innumerae rixae et disputationes orerentur. Inde etiam apparet, neminem posse plus agri occupare, quam physice ut suum significare potest.

Thesis XXI: Occupatio est titulus primitivus isque solus proprietatis.

St. qu. 1° Affirmamus igitur, occupationem alios titulos proprietatis antecedere tum tempore, quia alios praecedit, tum natura, quia alii eum supponunt.

2° Nobis hodie plurimi adversantur, praesertim vero socialistae agrarii (George, cfr. supra p. 316), qui reiciunt occupationem tanquam titulum illegitimum et laborem habent tanquam primum vel unicum titulum possessionis.

I. *Occupatio est titulus legitimus.*

Prob. 1. *Ex natura occupationis:* Occupatio est titulus legitimus, si per eam ius nullius laeditur et res apta est atque ordinata ad possessionem privatam. *Atqui* ex definitione occupationis elucet, eam supponere rem occupandam nullius esse ac proinde nullum ius laedi; deinde res mundi tum mobiles tum immobiles a) *aptae* sunt ad occupationem: *physice,* quia potestate humana contineri possunt vel immediate, ut res mobiles manu apprehensae, vel mediate, ut res immobiles signis quibusdam affectae; *moraliter,* siquidem agitur de rebus irrationabilibus, quae in potestatem humanam redigi possunt, teste historia et experientia quotidiana. b) Sunt etiam a natura ordinatae ad possessionem privatam, quum eis indigeamus sive ad propriam vitam, sive ad societatem conservandam atque perficiendam. *Ergo* occupatio legitimus titulus possessionis est.

2. *Ex historia et experientia:* a) Primi homines sive individua sive gentes certe terram aliquam sive ad agros colendos sive ad greges pascendos sive ad bestias venandas occupare debebant, ut possent vivere. *Atqui* tunc terra nondum erat ullius possessoris. *Ergo* occupatio certe licebat.

b) Etiam postea, terra iam divisa, multae res sunt nullius possessoris, e. g. ferae liberae, lapides pretiosi inventi, fructus in arboribus non possessis crescentes, pisces in aqua. *Atqui* omnes homines existimant, licere tales res occupare et suas facere. *Ergo* occupatio est titulus legitimus possessionis.

c) Inde est, quod ipsae legislationes titulum occupationis rei liberae sive nunquam ab alio possessae, sive a suo possessore derelictae omnino legitimum habent. Sic iam Hammurabi in codice suo in columna scripto (cfr. supra p. 111) § 30 definit, eum qui agrum a possessore suo derelictum per tres annos coluerit, eum legitime possidere. Ita etiam corpus iuris Romani occupationem habet titulum legitimum; imo recentiores ei, utique immerito, exprobrant hanc „theoriam occupationis"; neque aliter codex novus iuris civilis apud nos occupationem rei non possessae omnino permittit atque confirmat[1]).

3. *Ex aliis titulis possessionis:* Ab omnibus multi alii tituli possessionis admittuntur, e. g. alluvio, labor, emptio, hereditas etc. *Atqui,* ut mox videbimus, omnes illi tituli sunt derivati et supponunt primitivum, qui solus est occupatio. *Ergo* a fortiori occupatio titulus legitimus possessionis esse debet.

II. *Occupatio est titulus primitivus.*

Prob. 1. *Ex natura occupationis:* Ille titulus est primitivus, qui alios tempore et natura praecedit. *Atqui* occupatio praecedit alios titulos: *tempore;* nam priusquam primi homines aliquid habere, immutare vel vendere vel hereditate relinquere poterant, illud possidere ac proinde occupare debebant: *natura;* nam in omni alio titulo occupatio implicite inest: in labore, quia labor supponit materiam, circa quam versatur; in emptione et venditione, quia prior rei possessor i. e. venditor rem libere derelinquit, ut novus i. e. emptor eam occupet; in hereditate idem dicendum est. *Ergo* occupatio est titulus omnino primitivus.

2. *Per exclusionem:* Nam praeter occupationem tanquam tituli primitivi adducti sunt vel adduci possent: pactum, labor, decretum principum. *Atqui* a) *non pactum* admitti potest, siquidem prius res possidenda est, de qua paciscendum est; supponitur igitur, quod explicandum est; porro eiusmodi pactum, quod Hobbes, Rousseau, Kant, Fichte sive explicitum sive implicitum supponebant, est prorsus inhistoricum et hodie ab omnibus reicitur. b) *Non labor;* nam etiam labor supponit materiam laboris iam occupatam. c) *Non decre-*

[1]) Cfr. „Aneignung", §§ 958—964. Quoad res inventas lex nova praescribit, ut, si possessor ignotus est, res inventa magistratui quam primum denuntietur vel tradatur, dummodo plus 3 M. valeat. Si post unum annum possessor legitimus non innotuit, res fit propria inventoris. Si possessor apparet, inventor *per legem* recipit tanquam praemium 5 % pretii rei inventae usque ad summam 300 M.; ultra hanc summam 1 % pro centenis M. (BGB., §§ 965—984). — In hac igitur quaestione titulus occupationis et praescriptionis concurrunt idque vi legis positivae.

tum principum; nam hoc debet esse iustum, unde supponit iam ius proprietatis in rem occupandam vel saltem eam adhuc nullius esse. Ceterum neque haec decreta *primitiva* per historiam conprobantur. *Ergo* occupatio est titulus unicus.

III. *Occupatio est titulus unicus primitivus.*

Prob. Ex eisdem rationibus: nam alluvio, labor, emptio, venditio, hereditas semper supponunt rem iam occupatam et physice possessam [1]).

Neve obicias cum George, esse iniustum, primos homines terram pro
se et semper occupare, ita ut posteri nil iam iuveniant. Nam quum terra
ex supposito nondum sit ullius, nemini iniustitia fit; porro quum primi ho-
mines neque voluerint neque potuerint omnem terram occupare, restat mul-
tum pro posteris, quemadmodum nemo iniuriam facit, si in theatrum primus
adveniens, optimum locum occupat: prior tempore, potior iure. Ceterum
praeter agros etiam multa alia media praesto sunt ad vitam conservandam,
imo ad divitias comparandas, ut negotiatores et argentarii exemplo suo osten-
dunt; et hodie certe agricolae divitiis non abundant. Ceterum est potestatis
publicae prudentis atque bene ordinatae curare, ne nimiae opes in manus
singulorum hominum confluant, ita ut paulatim alii pauperiores semper fiant
atque opprimantur. Hoc fieri potest, ut infra videbimus, tum per tributa
pro possessione progressive imposita, tum per statuta, quibus bonarum im-
mobilium venditio et acquisitio restringatur vel ordinetur limitibus quibus-
dam supra et infra positis (Fideikommisse, Heimstätten-, Erbschafts-Gesetz).
Sic Moses sapientissime, nullo praevio exemplo in tota antiquitate, constitue-
rat, ut anno Iubilaei i. e. quinquagesimo quovis anno possessio vendita ad
familiam primam rediret, ne pauperismus in populum Dei irrueret (III. Mos.
25, 8—55).

Art. 2. De titulis derivatis.

I. *Accessio* sensu latiori significat quodvis incrementum proprietatis; hoc sensu comprehenderet omnes titulos possidendi; quare hic sensu strictiore accipitur, *ut illud incrementum, quod ad rem nostram ut ei accessorium accedit.* Et hoc fieri potest: a) eo quod res immobilis ad immobilem accedit, ut fit in alluvione; b) quod res mobilis ad immobilem accedit, ut si quis in fundo alieno semina spargit, arbores plantavit, vel domum aedificavit; haec omnia fiunt possessoris fundi, quia accessorium siquitur partem principalem; hic tamen illum indemnem pro expensis habere debet, nisi mala fide fecerit; c) quod res mobilis ad mobilem accedit, ut si quis in ligno vel carta aliena opus artis producit, quod tamen, si bona fide fecerit, ipsius fit, siquidem pars principalis habetur, dummodo dominum materiae indemnem habeat.

[1]) Cfr. Elster, l. c. I, p. 436: „Die Besitzergreifung . . . ist die einzig zulässige und mögliche Form des (ursprünglichen) Besitzerwerbes.“

II. *Confusio et commixtio* est plurium rerum unio talis, ut ab invicem iam separari non possint, e. g. mixtio liquidorum vel confusio examinum apium. Uterque tunc dominus pro parte rerum mixtarum dominium in totum habent.

III. *Specificatio* est immutatio rei alicuius alienae per nostrum laborum, ita ut bonum alterius speciei fiat, e. g. lignum, ex quo statua fit. Attamen pretium materiae possessori eius solvenda est (cfr. supra sub I, c.).

IV. Fructificatio [1]) est perceptio fructuum ex re possessa, e. g. fructuum arborum, foetus animalium etc.; quodsi res ipsa ad alium pertinet, fructus autem ex bona conscientia percipiebantur, res quidem domino reddenda est, non autem fructus iam *consumpti*.

V. *Praescriptio* est acquisitio rei ex tempore elapso. Duplex est: *liberativa* (Verjährung), qua ab onere (debito) levamur [2]); *acquisitiva*, qua ius consequimur (usucapio in iure romano); et haec sensu strictiore vocatur praescriptio. Ut autem legitime fiat, requiritur: 1. *res praescriptibilis;* secus deficit materia; legis autem positivae est, hanc determinare [3]); sic iura familiaria quaedam et iura inscripta non praescribuntur [4]); 2. possessio *bonae fidei* i. e. sine dubio prudenti de iure inchoata atque continuata. Lex autem supponit hanc bonam fidem, si quis rem per tempus praescriptionis pacifice i. e. sine postulatione alterius personae possederit; differt igitur in hoc a iure naturali et canonico, quod sine bona fide praescriptionem in conscientia non admittit. Sufficit tamen bona fides *negativa*, qua quis alium non impedivit, ne coram tribunali rem sibi expostulet, quando sola adest culpa *iuridica*, non theologica i. e. in conscientia [5]). Tempus a lege definitum, quod diversum est in diversis legislationibus [6]). — Licere titulum praescriptionis idque vi iuris naturalis saltem in genere, ex eo apparet, quod sine eo innumerae quaestiones

[1]) Hi tituli iuris Romani etiam in iure nostro eidem fere sunt. Cfr. BGB. (novus codex civilis) §§ 946—1007.

[2]) Sic garantia pro aede constructa post 5 annos, foenera (Zinsen, Renten etc.) post 4 annos, ius ad damnum compensandum ex actione aliena etc. post 3 annos, mercedes vel salaria opificum, artificum, medicorum, debita negotiatorum etc. post 2 annos, garantia pro laboribus in fundo vel defectus fundi empti etc. post 1 annum, defectus rei mobilis emptae, laboris praestiti, pretium locationis, depositi etc. post 6 menses, defectus pecudis emptae, acceptio vel refutatio hereditatis post 6 hebdomades, recompensatio pro deposito post 1 mensem praescribuntur, nisi praescriptio postulatione vel iudicio tribunalis impediatur. Cfr. BGB. §§ 194—240, 400.

[3]) Ibid. §§ 937—945, vide plura apud Lehmkuhl, Das bürgerl. Gesetzb., p. 59, 728 sq. [4]) Cfr. §§ 194, 898, 902, 924. [5]) Plura vide Lehmkuhl, l. c. 61.

[6]) In iure romano 3 anni pro rebus mobilibus; pro immobilibus 10 inter praesentes, 20 inter absentes; in codice civili germanico pro mobilibus 10, pro immobilibus 30 anni.

de rebus possessis orerentur, quarum tituli certi non adsunt, sive ex tempore immemoriali perierunt; pax igitur publica et secura possessio continue turbaretur. Inde est, quod in omnibus legislationibus praescriptio tanquam titulus legitimus habetur [1]. Legis autem positivae est, tempus conditioni gentis conveniens statuere. Lex igitur positiva etiam in hac re legem naturalem interpretatur atque determinat.

VI. *Traditio et acceptio est translatio dominii in rem aliquam ab uno possessore in alium per mutuam voluntatem facta. Licere* talem traditionem, apparet ex natura proprietatis, quae in eo consistit, quod quis libere de re aliqua sive quoad substantiam et usum, sive saltem quoad substantiam vel usum disponere potest. — *Necessarium* autem est tale ius traditionis et acceptionis, ut finis proprietatis tum pro singulis hominibus tum pro societate obtineri possit; secus unusquisque, quod haberet, semper retinere deberet, unde nemo quidquam acquirere posset, nemo ditior fieret, neque quisquam ad laborem et lucrum faciendum incitaretur; possessore autem mortuo vel civitas omnia occupare vel distribuere deberet, vel de bonis derelictis homines vi et astutia inter se dimicarent, ita ut pax publica perturbaretur. — Quare historia docet, eiusmodi traditionem et acceptionem bonorum tum mobilium tum immobilium apud omnes gentes legitimam fuisse et legibus esse ordinatam atque confirmatam [2]. — *Acceptio* autem potest comparari cum occupatione, siquidem novus possessor rem a priore pretio accepto in illius favorem quasi derelictam occupat. Lex autem determinat, quando res in proprietatem perfectam emptoris transit sc. vel ipso momento emptionis, ut ius Gallicum, vel tandem in rei ipsius traditione, ut ius Romanum et Germanicum [3].

VII. *Diversae species traditionis et acceptionis.*

A. *De hereditate.*

I. *Notio: Hereditas obiective* spectata est universitas bonorum alicuius defuncti, quae in proprietatem superviventium transeunt. Atque hi heredes superviventes primo loco sunt descendentes (liberi, nepotes etc.) defuncti vel etiam eius ascendentes (parentes, avi etc.); deinde deficientibus descendentibus et ascendentibus secundo loco sunt agnati sive in gradibus proximis sive etiam remotis, si illi desunt, quem tamen ordinem heredum leges positivae singularum nationum modo diverso sive secundum gradus sive lineas determi-

[1] Iam in codice Hammurabi supra p. 333.
[2] Cfr. BGB. §§ 433—515.
[3] Ibid. §§ 929—936.

nant [1]. — Addendum est, bona hereditatis ut totum aliquod habenda esse et hoc modo ad heredes transire; qui si plures sunt, omnes etiam in communi tenentur ad debita, quibus hereditas gravatur, solvenda, dummodo hereditatem accipiant [2]. Hereditas *normative* spectata sunt leges positivae, quae modum et ordinem hereditatis in singulis nationibus constituunt et quae magnam partem codicis civilis (apud nos quinta fere pars) [3] efficiunt. Hereditas *subiective* spectata est ius succedendi in bonorum defuncti possessionem. Hoc ius, sicut ius in genere, fundatur *lege* aliqua et actuatur *facto* quodam. Iam vero quaeritur, qualis sit illa lex, solane positiva an naturalis. Certe, exsistunt leges positivae permultae de iure hereditatis, sed ipsae ius naturale iam supponunt illudque magis confirmant atque determinant, id quod infra fusius exponetur. Factum autem, quo haec lex actuatur quodque eius quasi materia est, est voluntas sive explicita sive praesumptiva defuncti.

II. *Divisio.* Haec ultima voluntas manifestari potest: a) per *testamentum*, quo quis heredem bonorum suorum constituit. Ex iure naturae per se satis est quaevis voluntatis externa manifestatio sufficiens, ut innotescat; sed leges quasdam formas praescribunt, ut discordiae inde facile orientes evitentur. b) *Legatum* est obligatio heredi universali in testamento imposita aliquam partem bonorum defuncti personis determinatis tradendi. c) *Donatio inter vivos* habetur, si quis sive testamento sive alio modo alii confert dominium, ita tamen, ut usque ad mortem suam rei usum retineat. d) *Donatio mortis causa* talis est, qua quis alicui proprietatem rei suae confert, ita tamen, ut demum post mortem suam ille alius dominium rei recipiat. Quodsi donatarius ante donatorem moriatur, donatio cessat, sicut etiam testamentum et legatum, i. e. eius heredes non habent ius in rem ex donatione illa ortum; habent autem, si adesset donatio inter vivos, quare ambae hoc modo potissimum differunt. e) *Ab intestato* fit hereditas, quando quis sine testamento moritur et eius liberi vel propinqui ipso iure ei succedunt in possessione bonorum. Differt igitur hic modus hereditatis a prioribus, eo quod voluntas defuncti minime sit manifestata, *praesumitur* tamen eius intentio, bona sua liberis vel cognatis tradendi, si potuisset vel attendisset.

[1] Cfr. Elster, Wörterbuch der Volkswirtschaft, Art. Erbrecht, p. 272 sq. Sic BGB. §§ 1924—1936 distinguunt quinque ordines heredum: a) Descendentes defuncti; b) eis deficientibus defuncti parentes eorumque descendentes; c) eius avi eorumque descendentes; d) eius proavi eorumque descendentes; e) cognati defuncti pro gradu cognationis. Cfr. Behringer, Das Erbrecht des deutschen BGB. in seinen wichtigsten Bestimmungen unter kurzem Hinweis auf sein Verhältnis zum natürl. und kirchl. Rechte, 1906.
[2] Hoc iuxta BGB. infra 6 hebdomades magistratui declarandum est, ne praescriptio fiat. [3] Cfr. BGB. §§ 1924—2385.

III. *Historia:* Ius Romanum, ortum ex legibus antiquis XII tabularum (450 a. Chr.) [1], hereditatem non solum titulum legitimum acquisitionis habebat, sed etiam eum in iure naturae fundatum esse docebat [2]). Quae sententia ab omnibus fere recepta erat usque ad *Pufendorf*, qui licet ius naturale minime negaret neque ius hereditatis ab intestato reiceret, attamen ius per *testamentum* collatum negabat, quia ad contractum mutuum voluntas *actualis* contrahentium requireretur, quae in testamento deesset. Post ipsum alii etiam ius hereditatis ab intestato reiciebant; sic Socialistae tum communistici tum agrarii, quia sine labore non liceret quidquam proprium habere et hereditate distributio aequalis bonorum ex natura communium impediretur [3]). Alii vero non negant ius hereditatis, sed ex principio erroneo sive non sufficiente repetunt; sic Positivistae tum ethici tum iurisprudentes (cfr. supra p. 218) ius hereditatis ex sola lege positiva derivant. Alii vero, ut ius aliquod naturale statuerent, cum Leibnitio censebant, defunctum retinere possessionem bonorum, eius autem heredes non esse nisi eius administratores; alii autem totam familiam (parentes et filios) proprium possessorem esse bonorum omnium existimabant, ita ut membro aliquo defuncto nulla traditio necessaria esset. Sic Vermeersch saltem ius hereditatis ab intestato explicare nititur. Ad omnes has de iure hereditatis quaestiones dilucidandas statuitur:

Thesis XXII: Ius hereditatis est legitimum atque moraliter necessarium et iure naturae fundatur.

St. qu. 1⁰ Ius hereditatis potest *active* et *passive* spectari: active est ius uniuscuiusque bona sua heredibus, sive a natura ipsa sive per suam voluntatem determinatis, per testamentum vel pactum inter vivos pro casu mortis tradendi; passive est ius supervivientium bona hoc modo tradita accipiendi, et si opus est, reclamandi. In thesi ius tum active tum passive spectatum, utpote inter se inseparabile, affirmatur. Hereditas duplici potissimum forma fit: *per testamentum* et *ab intestato;* uterque modus legitimus habetur. Quod de hoc modo hereditatis valet, etiam de legato et de donatione inter vivos et pro casu mortis dicendum est; imo hae donationes iam naturam contractus mutui induunt, qui ab omnibus legitimus habetur.

2⁰ Affirmamus primum, ius hereditatis legitimum esse, abstractione facta ab eius fundamento; deinde rationem addimus sc. eius moralem necessitatem, quia sine eo ordo socialis vix persistere posset. Ex hoc autem conclusio deducitur, ius hereditatis non solum legibus positivis, sed ipsa lege naturali fundari. — Qui adversarii sint thesis nostrae, supra sub III vidimus.

I. *Ius hereditatis est legitimum.*

Prob. 1. *Ex eius natura:* Ius hereditatis active spectatum in eo est, ut aliquis per ultimam suam voluntatem possit determinare possessorem bonorum suorum post mortem; passive spectatum est ius

[1]) Hae de hereditate praescribunt: „Uti legassis super pecunia tutelave suae rei, ita ius esto". [2]) Cfr. Cathrein, p. 331. [3]) Cfr. Elster, l. c. p. 780.

heredis, haec bona ei derelicta accipiendi et retinendi. *Atqui* a) certe licet cuique bonis suis renuntiare, supposita ratione sufficiente; secus ne donare quidem vel vendere quidquam liceret, quod absurdum est; et adest ratio maxime sufficiens, designandi possessorem bonorum suorum post mortem, ne lites de possessione bonorum defuncti oriantur. b) Item certe unusquisque bona ab aliis donata accipere potest, neque per se quidquam refert, utrum haec donatio ex casu mortis fiat necne. *Ergo* ius hereditatis legitimum est.

2. *Per exclusionem:* Si ius hereditatis per se esset illegitimum, ratio esset, vel quia solo labore proprietas acquiri possit, ut Socialistae affirmant, vel quia per hereditatem bona nimis cumulentur et inaequaliter distribuantur, ut iterum Socialistae obiciunt, vel quia in hereditate per testamentum deficit actualis mutuaque contrahentium voluntas, ut Pufendorf censet, quae ratio magis adhuc contra hereditatem ex intestato urgeri posset. *Atqui* a) iam probavimus (supra p. 321), laborem non esse unicum titulum proprietatis; b) licet nonnunquam bona cumulentur, ex hac tamen cumulatione alia bona oriuntur et mala maiora vitantur, ut infra sub II patebit. Neque verum est, hereditate bona magis magisque semper cumulari in singulis familiis idque detrimento salutis publicae; nam 1⁰ nonnunquam saluti publicae valde prodest, nonnullas familias divites adesse, quae pauperes adiuvent tempore egestatis et culturae promovendae artibusque colendis melius se devovere possint. 2⁰ Per hereditatem plerumque bona potius distribuuntur, praesertim si aequale ius singulis heredibus competit, ut in codice civili gallico. c) Quamvis voluntas testatoris defuncti physice non iam adsit, quando heres eius bona acceptat, moraliter tamen perdurat, et hoc sufficit ad iuris effectum producendum. Neque in aliis contractibus inter vivos haec actualis atque simultanea voluntatis consensio requiritur neque eius physica perduratio; secus absentes non possent inter se contrahere e. g. scriptis, neque contractus longius perdurare posset, quam actualis et physica voluntatis determinatio, quod tamen ab omnibus absurdum habetur. — Neve dicas, in hereditate ab intestato nonnunquam nullam defuncti adfuisse voluntatis determinationem; nam licet concedi possit, non adfuisse actualem voluntatem, potest tamen supponi, adfuisse virtualem, i. e. saltem intentionem, heredibus quibusdam bona sua relinquendi. In hoc casu saepe est legis positivae determinare, qui sint heredes, ut dubia et discordiae evitentur. *Ergo* ius hereditatis est legitimum.

II. *Est moraliter necessarium.*

Prob. 1. *Pro testatore ipso:* Nisi testator ius haberet, bona sua suis relinquendi, non sufficiens adesset ei stimulus laboris, siquidem

nemo vellet operam dare, ut alieni sive civitas inde utilitatem perciperent; unde unusquisque tantum sibi acquireret, quantum necessarium esset ad vitam suam et familiae sustentandam et curaret, ut ante mortem omnia consumeret. *Atqui* ordini naturae et societatis repugnat, non exsistere medium ad sollertiam, industriam, parsimoniam, continentiam civium excitandam, in quibus virtutibus civium salus publica continetur, sed potius ad desidiam et luxuriam promovendam. *Ergo* ius hereditatis moraliter necessarium est.

2. *Pro familia:* Magni momenti est pro salute publica et ordine sociali, ut familiae conserventur tum in statu suo bono materiali, tum in statu suo spirituali ac morali. *Atqui* ius hereditatis, qua bona familiae conservantur, eas in statu suo materiali retinet; deinde membra familiae bonis patriis, praesertim domui paternae, quasi affigit vinculis fidelitatis et caritatis necnon memoriae iuventutis felicis; et si quis procul a domo paterna malam expertus sit fortunam, habet, quo refugiat et requiem inveniat, id quod maxime tunc locum habet, quando tota hereditas saltem immobilis heredi principali traditur. *Ergo* ius hereditatis moraliter necessarium est.

3. *Pro societate:* Bonum societatis est salus publica, quae potissimum consistit in ordine stabili sociali et in pace mutua subditorum. *Atqui* nisi ius hereditatis adesset, ordo stabilis socialis non iam esse posset, siquidem morte parentum tota familia ex statu suo excideret, forte ex ditissima pauper fieret; sic classes sociales, quae plerumque in diversitate possessionis fundantur, destruerentur; et familiae, fundamento suo materiali orbatae, disicerentur earumque membra in universum mundum dispergerentur, omni vinculo unitatis rupto. *Ergo* ius hereditatis est necessitas socialis.

4. *Per exclusionem:* Nisi ius hereditatis esset, bona defuncti vel fierent primi occupantis, vel ipsius familiae, vel civitatis, vel eorum, quibus civitas eorum confert possessionem. *Atqui* a) non possent esse primi occupantis; secus homines de bonis defunctorum vi et astutia dimicarent; imo forte ipsi vitae morientis insidiarentur, id quod gravissima causaret pericula. b) Si ipsius familiae fierent, conceditur, quod volumus. c) Si civitatis fierent, vel civitas ea ut sua retineret, quod socialismum impossibilem induceret; vel civitas ea, quibus vellet, tribueret, id quod corruptioni et iniustitiae viam aperiret latissimam, vel familiae defuncti traderet; sed tunc idem est saltem quoad effectum, quasi adesset ius hereditatis, unde inutile esset, civitati hoc ius conferre, quod retinere non potest. *Ergo* ius hereditatis moraliter necessarium est.

III. *Ius hereditatis est naturale.*

Prob. 1. *Ex eius necessitate:* Ostendimus, ius hereditatis esse necessarium tum pro individuis tum pro familia tum pro ipsa societate. *Atqui* quod necessarium est, ipsa natura vel potius auctor naturae nobis cum ipsa nostra natura humana confert, ne ipse sit imprudens et improvidus, neve homo a fine suo deficiat. *Ergo* ius hereditatis est naturale.

2. *Per exclusionem:* Ius hereditatis qua tale aut est a natura constitutum, aut per leges positivas. *Atqui* formaliter et ultime non constituitur per leges positivas. Nam tunc a) ante leges positivas nullum fuisset ius hereditatis, ita ut vel quilibet bona defuncti arripere potuisset, vel descendentes illegitime in eius possessionem successissent, quod utrumque et sanae rationi et persuasioni hominum et historiae repugnat. b) Tunc leges positivae vel magistratus sine iniustitia etiam alios heredes praeter descendentes et propinquos determinare vel totam hereditatem fisco vindicare possent, quod item et communi persuasione et historiae testimonio reprobatur. *Ergo* ius hereditatis est naturale.

3. *Ex iure proprietatis:* Ostendimus, ius proprietatis esse naturale ac proinde etiam ius libere disponendi de bonis possessis, dummodo aliorum iura non violentur; nam sine hoc iure dispositionis ipsa possessio inutilis, imo potius molesta esset. *Atqui* inter modos diversos disponendi de bonis suis est etiam testamentum; imo hic modus omnium maxime necessarius est, ut plena habeatur possessio tum pro se tum pro suis. Neque ulla aliorum iura per testamentum violantur. *Ergo* sicut ius proprietatis, ita etiam ius hereditatis est naturale.

Coroll. I. Argumenta proposita evincunt primum ius *testamento* constituendi heredes sive descendentes et cognatos sive alias personas, exclusa iniustitia contra alios; secus non haberet ius plenum in proprietatem suam libere disponendam. Deinde ostendunt, etiam ius heredum ab *intestato* legitimum esse atque naturale, ne familia ex statu suo excidat, neve de bonis defuncti lites oriantur.

II. Sunt qui ius hereditatis ab intestato ex possessione bonorum *communi* familiae totius derivent, ut Vermeersch[1]) et Neukamp[2]): ille, quia familia unitatem moralem constituat; hic, quia sententiâ Evolutionismi innixus censet, parentes suis similiter bona per hereditatem relinquere, sicut per legem naturalem hereditatis organisationem et corporalem et spiritualem posteris transmittant. — Sed tunc a) parentibus non liceret, legata facere, siquidem ius heredum, imo possessorum legitimorum laederent; b) quid tunc illi, qui sine testamento et naturalibus heredibus moriuntur? Cuius erunt eorum bona? c) Si tota familia qua talis bona possideret, infantes pecuniam domi furantes non peccarent contra iustitiam, quod tamen communiter theologi affirmant. d) Denique tunc familia hereditatem et debita, quibus onerata est, non possent recusare, siquidem essent iam possessores et debitores ante mortem testatoris, quod tamen et theologi et leges positivae permittunt.

[1]) Cfr. Cathrein, Moralphil., II, p. 335. [2]) Elster, Wörterb., I, p. 779.

III. Quaeritur, quale ius *potestas publica circa testamenta* habeat. Quamvis ius hereditatis sit naturale, attamen iuris positivi est, hoc ius applicare ad statum particularem civitatis atque in singulis determinare, sicut tum salus familiae defuncti, tum salus publica requirit. Potest igitur a) *formam* certam testamenti praescribere, ut validum sit[1]). Disputatur inter theologos, utrum testamentum „informe" ex se simpliciter invalidum sit, an liceat testamento informi innixum bona defuncti occupare, usque dum per tribunal irritum declaretur. Plerique hanc ultimam sequuntur sententiam, legibus positivis tribuentes vim, ut testamenta informia singillatim irrita reddere valeant. Per se enim, i. e. si solum ius naturale spectatur, quaevis voluntatis testatoris manifestatio sufficeret ad bona sua hereditate transferenda; sed ne falsae fiant testamentorum suppositiones, neve salus familiae vel civitatis detrimentum patiatur, lex positiva ius habet formam testamentorum determinandi.

b) Porro potestas publica non solum formam testamentorum definit, sed etiam eius *materiam* et *subiectum* nonnunquam ex parte saltem determinat[2]). Requirit enim, ut testator certam partem descendentibus suis relinquat (Pflichtteil), quae pro singulis legibus maior vel minor est. Porro si descendentes non adsunt, definit, quo ordine hereditas fiat inter cognatos, et ius nonnunquam sibi reservat legatum aliquod vel integram hereditatem confirmandi vel irritandi, praesertim si agitur de heredibus, qui personam moralem constituunt (ecclesiae), qua in re leges positivae non raro fines suos transgredi videntur, saltem si agitur de testamentis vel legatis pro ecclesiis et piis fundationibus. Idem dicendum est de tributis nonnunquam nimis gravibus, quae heredibus imponuntur.

IV. Disputatur, qualis modus legalis testamentorum melior sit: a) obligatio inter omnes descendentes bona sua aequaliter distribuendi; b) plena libertas heredem designandi principalem; c) obligatio distribuendi bona inter heredes modo aequali, attamen ita, ut quis partem aliquam libere relinquere possit, cui voluerit? — Primus modus est ille, quem legislatio gallica (code civil) ubique apud nos induxerat, per novum codicem iuris civilis abolitum (cfr.

[1]) Sic BGB. §§ 2229—2264 praescribit, ut testamentum vel *privatum* fiat i. e. holographicum, quod totum a testatore, appositis nomine, anno, die erectionis, scribatur, vel *publicum* i. e. coram iudice et actuario vel duobus testibus sive coram notario, alio notario vel duobus testibus adhibitis, ore vel scripto fiat. Minores demum post decimum sextum annum testamentum privatum (holographicum) facere valent; antea publicum (coram iudice vel notario) erigere debent, sicut et scripturae ignari. Tempore necessitatis urgentis publicum testamentum etiam coram praefecto pagi et duobus testibus fieri potest, quod tamen post tres menses, si testator supervixerit, occasione data coram iudice vel notario renovandum est. — Simili modo etiam aliae legislationes formam testamenti determinant.

[2]) Leges gallicae (code civil) permittunt solum de quarta parte bonorum per testamentum disponere, si tres vel plures adsunt liberi legitimi; lex nova Germanica (BGB. § 2303), sicut et Austriaca, dimidiam partem testatoris dispositioni liberae relinquit. Si heredes ab intestato succedunt, bona paterna aequaliter inter ipsos distribuenda sunt. — Qui mente captus est vel propter vitium ebrietatis vel dilapidationis bonorum suorum administratione est privatus, a lege vetatur testamentum condere (BGB. § 2229).

supra p. 339). Ex aequali bonorum divisione, teste Le Play († 1882), familia fit *instabilis* et facile dissolvitur et multae discordiae necnon pauperismus saepe sequuntur[1]), quare ipse et unio ab eo 1871 fundata hunc modum aequalis divisionis reprobant. Revera per eam Napoleon familias ditissimas et potentissimas novo regimini obluctantes fregit[2]). — Plena autem libertas hereditatis apud gentes plurimas orientales, praesertim apud Sinenses, invenitur, et est fundamentum familiae quae vocatur *patriarchalis,* in qua saepe usque quatuor generationes sub patre communi continentur et natu maior vel filius a patre determinatus in regimen familiae succedit. Atque hic familiae ordo, ut patet, patris auctoritatem valde corroborat, unitatem familiae auget, favet conservatismo, libertati tamen et propriae industriae singulorum membrorum acproinde progressui sociali et oeconomico non raro obest. — Tertius modus, intermedius inter priores, permittit patri, ut liberorum illum heredem universalem constituat, quem aptiorem et digniorem habeat, ita tamen, ut alii liberi certam summam pecuniae recipiant ad vitam sustentandam, nisi voluerint in domu paterna permanere. Patet, hoc modo auctoritatem patris retineri et familiam *originariam* quasi intactam permanere; alii autem liberi praeter heredem paulisper durius tractari videntur, attamen coguntur ad vires suas omnes adhibendas, ut vitae necessaria sibi procurare et statum sibi convenientem acquirere possint, id quod certe progressui valde prodest. Atque hic modus testamentorum potissimum in Britannia et Statibus unitis Americae septentrionalis necnon in aliquibus provinciis Germaniae (e. g. Westfalia) receptus esse videtur. — Ceterum multum refert, qualis sit indoles civium, traditio historica, conditio terrae, vita socialis et religiosa, ut inde modus testamentorum magis conveniens atque utilis definiatur.

B. *De contractibus in genere.*

I. *Natura contractus: Contractus est obligatio orta ex mutua plurium conventione de re aliqua.* Est igitur a) *obligatio,* et sic a promissione distinguitur; haec autem obligatio potest esse vel ex fidelitate, quando obligatio non est mutua et contrahens promissum potius sibi debet, tunc vocatur proprie *pactum;* vel est ex iustitia commutativa idque tunc, quando obligatio ad aliquid praestandum est mutua; tunc habetur contractus sensu strictiore. b) Obligatio haec orta est ex *conventione* i. e. ex libera voluntate, qua utraque pars contrahentium vel saltem alterutra se obligare vult et hanc voluntatem externe sive ore sive scriptis manifestat; non igitur sufficit ad contractum sola mentis intentio. c) Dicitur *plurium* conventio, quia ad contractum saltem duae personae requiruntur. d) Vocatur mutua conventio, quia vel utraque pars contrahens ad aliquid praestandum se obligat et recipit obligationem alterius, vel saltem alterutra pars se obligat et altera accipit obligationem, ita ut eius praestationem requirere possit sive ex iustitia sive saltem ex fidelitate;

[1]) L'organisation de la famille, 1884 [3]; La réforme sociale, 3 vol., 1901 [8].
[2]) Cfr. L. Stimmen, XIII, p. 164 et 367 sq.

hoc modo differt praesertim a sola intentione, licet seria et efficaci, quam tamen nemo expostulare potest. e) Conventio est *de re aliqua* sive praestanda e. g in emptione et venditione, sive facienda e. g. contractus de labore sive corporali sive spirituali exhibendo e. g. ab operario, magistro, ministro publico etc.[1]).

II. *Proprietates sive conditiones contractus:*

1. Ratione contrahentium requiritur: a) *plenus usus rationis;* secus non potest oriri obligatio moralis ex iure naturae; sic infantes (infra 7 annos), amentes, ebrii vel etiam solum in praesenti mente impediti, vel a lege propter amentiam, ebrietatem vel prodigalitatem potestate disponendi de rebus suis privati, non possunt valide contrahere; b) ut habeant *liberam rei dispositionem;* sic minores non possunt contrahere de rebus suis nisi cum consensu tutoris; parentes non possunt de *omnibus* bonis, e. g. per contractum hereditatis disponere, quia lex quandam partem liberis reservat; qui habent possessionem lege firmatam (Fideikommiss) non possunt eam vendere[2]).

2. Ratione materiae sive obiecti requiritur: a) ut res sive actio, de qua contrahitur, sit *physice possibilis;* nam ad impossibile nemo tenetur; b) ut sit etiam *moraliter possibilis* i. e. licita et honesta; non enim valet contractus contra bonos mores[3]). 3. Ratione formae requiritur: a) Consensus *verus* i. e. non solum externus, sed etiam internus, sine quo ex iure naturae obligatio oriri non potest. Attamen contractus solum externe factus a iure positivo validus *praesumitur*, ne tales contractus saepius ex intentione decipiendi vel ex levitate facti fidem publicam et securitatem negotiationis destruant. Porro qui simulate contraxit, tenetur alium indemnem reddere, neque hic per se tenetur credere, contractum per simulationem invalidum fuisse[4]). b) Ut consensus sit *liber*, quod iterum ex iure naturae apparet. Libertas autem haec impeditur: α) per *errorem*, qui, si est de *substantia rei*, contractus est invalidus ex iure naturae, e. g. si quis pro vino acetum emit; idem dicendum est, si error est vel *de specie contractus*, ut se quis vellet solum rem commodare, alter vero eam emere vel vendere. Si error est *accidentalis*, contractus *gratuitus* (unilateralis) fit invalidus, *onerosus* (bilateralis) est rescindibilis ad nutum decepti, saltem ex lege positiva i. e. iudicio tribunalis emisso, ne tales deceptiones impunitae maneant, neve fidem publicam evertant. β) Per *violentiam*, qua quis cogitur, e. g. chirographum subscribere. γ) Per *metum extrinsecus iniuste* incussum; metus intrinsecus solus actum non reddit simpliciter involuntarium ac proinde invalidum, nisi reflexionem tollit. Contractus metu externe coactus, si est gratuitus, invalidus est ex iure naturae; si onerosus, potest rescindi per legem[1]).

[1]) Cfr. BGB. §§ 145—185; porro Lehmkuhl, l. c. p. 118 sq.

[2]) Ibid. §§ 104—115. Liberi usque ad septimum annum conpletum non possunt valide contrahere; minores septem annis completis usque ad annum vigesimum primum completum possunt valide contrahere *cum consensu tutoris;* potest autem minor post annum decimum octavum a tribunali maior declarari.

[3]) Ibid. § 138 contractum invalidat, qui abutitur necessitate, ignorantia, levitate contrahentis alicuius ad eius damnum.

[4]) Cfr. BGB. §§ 116—144; cfr. notas de his §§ apud Lehmkuhl l. c.

III. *Fundamentum contractus: Fundamentum contractus est ius naturae.*

Prob. 1. *Ex eius necessitate:* Contractus necessarius est a) *ad vitam privatam;* nam sine contractu i. e. nisi contractus vi sui ipsius obligaret, nemo secure re sua se abdicaret in utilitatem alterius, et loco eius aliam sibi utilem vel necessariam acciperet ex metu, ne frustra hoc faceret; vita igitur privata vel necessariis indigeret, siquidem vix quisquam omnia sibi necessaria ad victum, habitum, domicilium comparare potest; nullus igitur culturae progressus esse posset; vel nulla saltem esset securitas vitae privatae, nisi contractus vi naturae suae obligarent, sed libere infringi possent. b) Contractus necessarii sunt pro *vita sociali;* nam sine eis non posset fieri traditio et acceptio certa possessionis rerum immobilium, neque pacta de mercede operariorum ex utraque parte firma essent atque stabilia, unde securitas publica prorsus deficeret. *Atqui* quidquid ad salutem tum privatam tum publicam necessarium est, a natura ipsa i. e. ab eius auctore determinatum atque constitutum esse debet (cfr. supra p. 218 sq.). *Ergo* contractus fundatur in iure naturae indeque vim suam habet.

2. *Per exclusionem:* Contractus aut ex lege positiva totam vim habent, aut ex aliqua hominum conventione primitiva, aut ex lege naturae. *Atqui* 1° non ex *legibus positivis;* nam a) contractus esse debebant ante ullam legem positivam, quae esse non potest nisi civitate constituta. Civitatem autem praecedit familia et individua humana, sicut vitam socialem praecedit vita individua. b) Accedit, quod adversarii i. e. Positivistae ethici et sociales (cfr. supra p. 216 sq.) plerumque etiam civitatem ex contractu hominum primorum, quo libertatem suam ex parte abdicabant et principi communi conferebant, ortam esse docent, unde supponunt iam vim contractus ante civitatem. c) Denique haec sententia non posset iam admittere contractus validos inter plures civitates vel nationes, siquidem sunt inter se independentes neque communi civitati subditae. 2° Neque ex *hominum primorum conventione;* nam tunc a) aut iam supponitur obligatio ad contractum servandum, aut non; si *primum*, contractus

[1]) Ibid. § 12 et 124; 459 sq.; lex permittit *infra annum* contractum ex deceptione vel coactione initum rescindere; secus fit praescriptio.

vim suam non habet iterum ex contractu; secus in infinitum esset recurrendum; sin *alterum,* contractus illi nihil valerent neque obligarent. *Ergo* iam supponitur, vim contractui ex natura sua i. e. ex iure naturae inesse. b) Non intelligeretur, quomodo primi homines *nos* obligare possent; nam eodem iure, quo ipsi obligationem statuerunt, nos eam abrogare possumus. *Ergo* vis contractus non ex hominum conventione orta est, sed ex lege et iure naturae.

3. *Ex absurdis:* Quodsi lex vel conventio humana contractum formaliter constituerent, liceret pacta frangere sine iniustitia et peccato contra contrahentem, ubi nullae essent leges, vel ubi leges applicari non possent, e. g. propter defectum probationis vel conditionem singularem contrahentium (hominis praepotentis vel familiaris etc.), vel ubi conventio hominum de pactis servandis nondum facta est. *Atqui* hoc omnes absurdum habent eumque dicunt esse iniustum, qui contractum frangit, etiamsi lex nulla eum punire vel cogere possit, omnesque tunc appellant ad divinam iustitiam et legem non scriptam in cordibus nostris (cfr. supra p. 111, 115, 222 sq.). *Ergo* contractus fundantur in lege naturae.

Hoc tamen minime impedit, quominus formae externae et conditiones contractus validi ratione vel contrahentium vel materiae et formae ipsius per leges determinentur pro statu culturae civitatis; legis enim positivae est, legem naturalem determinare atque confirmare, ut ex ipsis paragraphis legis positivae apparet; neque licet inde argumentum deducere contra vim naturalem contractus (cfr. supra p. 113 sq.).

C. *De contractibus in specie.*

I. Distinguuntur ratione *obiecti:* Contractus *realis,* qui confert ius in re e. g. emptio et venditio; *personalis,* qui confert ius ad rem i. e. ad aliquam praestationem, e. g. ad laborem praestandum. Ad quos etiam pertinent contractus *innominati* iuris Romani: do, ut des; do, ut facias; facio, ut facias; facio, ut des.

II. Ratione *formae:* a) Contractus *verbalis* et *literalis,* prout verbis vel etiam scripto fiunt[1]); b) *absolutus* et *conditionalis,* prout simpliciter effectum habent vel sub conditione.

III. Ratione *subiecti contrahentis:* 1. *Gratuiti,* si solum uni parti onus imponunt, quare *plerumque* sunt *unilaterales.* Gratuiti iterum subdividuntur a) in *promissionem*[2]), qua quis gratuito se obli-

[1]) Lex saepe praescribit contractum scriptum sub poena nullitatis (BGB. § 125) saltem in foro externo; cfr. BGB. §§ 873—902; sic emptio et venditio rerum immobilium nonnisi per notarium vel librum fundorum (Grundbuch) fieri potest; sic promissio donationis et recognitio debiti solvendi nonnisi scripta valet saltem coram lege (BGB. §§ 518, 780, 781).

[2]) Ibid. § 328—335; requiritur contractus scriptus.

gat ad aliquid alicui praestandum sive ex fidelitate sive etiam ex iustitia commutativa. b) *Donationem*[1]), qua quis proprietatem alicuius rei alii tradit. c) *Commodatum*[2]), quo quis usum rei suae pro certo tempore alii concedit; si pro tempore incerto, vocatur *precarium.* d) *Mutuum*[3]), quo quis alii dominium rei fungibilis e. g. pecuniae, frumenti, tradit sub conditione, ut rem aequivalentem recipiat; est species aliqua commodati; differt ab eo, quod res commodata physice eadem redditur; differt a foenore, quia gratuito fit. e) *Depositum*[4]), quo quis rem suam alteri custodiendam tradit.

2. *Onerosi* sunt contractus, quando utrique contrahenti onus imponunt, unde et bilaterales vocantur. — Iam singulas species exponamus:

Emptio et venditio.

Emptio et *venditio*[5]) est contractus, quo pretio constituto res traditur vel accipitur. Distinguitur pretium *legale, vulgare, conventionale.* Legale est pretium per leges constitutum; conventionale per mutuum consensum determinatur; utrumque autem in genere ad normam vulgaris definitur. Vulgare igitur est pretium, quod per aestimationem publicam constituitur. Conficitur autem pluribus momentis: rei ipsius utilitate intrinseca, eius raritate in se vel opera humana impensa (opus artis), multitudine emptorum vel etiam subiectiva aliqua, licet falsa, aestimatione (Affektionspreis). Distinguitur pretium hoc vulgare ex natura rei variabile: *summum, medium, infimum.* Ultra summum pretium non licet vendere, ne emptori iniustitia fiat; infra ultimum pretium emere non licet, ne venditori iniustitia fiat vel violentia inferatur. Licet se conformare pretio vulgari, etiamsi in se rei non sit adaequatum, e. g. gentibus barbaris res utiles vel ipsis desiderabiles pro gemmis eis inutilibus vendere. Emptiones et venditiones fiunt vel privatim vel publice idque vel in auctionibus vel in nundinis ad hoc institutis.

Speciale aliquod institutum decursu temporis ortum est ad res fungibiles emendas vel vendendas, quod vocatur *bursa* (Börse). Initium sumpsit apud negotiatores in Italia (ibi loggia saepe vocata) saeculo 12—13 medii aevi et deinde per omnes nationes cultas propagata est; sic in Germania hodie 30 fere bursae habentur in urbibus praecipuis. Distinguuntur *bursae effectuum,* quae actiones negotiorum et obligationes ex debitis publicis civitatum, provinciarum, urbium etc. praesertim ortas emendas vel vendendas offerunt; et *bursae productorum,* in genere cum prioribus eodem loco coniunctae, quae magnam copiam frumenti, olei, vini, carbonum etc. emendam vel

[1]) Cfr. BGB. §§ 516—534. [2]) Ibid. §§ 598—606.
[3]) Cfr. BGB. §§ 607—610, 700. [4]) Ibid. 688—704.
[5]) Cfr. BGB. §§ 433—515. Res empta secundum BGB. et ius Romanum fit emptoris non iam per ipsum contractum, sicut in iure Gallico, sed per rei traditionem (§§ 433, 440, 446, 447).

vendendam offerunt. Res emptae sive venditae aut statim solvuntur (Kassageschäfte), aut termino quodam futuro statuto (Termingeschäfte). Quodsi in his ultimis res empta vel vendita reipsa traditur et accipitur, vocantur negotia *effectiva* (Effektivgeschäfte); secus negotia differentia (Blanko- oder Differenzgeschäfte), in quibus sola differentia pretii rei die negotiationis et termini futuri constituti solvitur[1]. Patet, pretium rerum in bursis negotiatarum dependere primarie a copia rerum vendendarum oblata et multitudine emptorum (Angebot und Nachfrage); deinde a statu sociali et politico, qui, si prosper est et pacificus, emptio et venditio in bursis floret, secus stagnat; denique multum influit speculatio negotiantium, qui saepe cursum (Kurs) i. e. pretium rerum subito promovent sive deprimunt ad se ditandos. In hac igitur speculatione periculum est negotiationis bursarum, unde gubernia ubique fere eam legibus ordinant (apud nos lege de die 22/6 1896), ita ut nulla bursa sine gubernii permissione institui possit, ut continuo inspectioni gubernii subsit, ut pars dimidia directionis supremae (Ausschuss) non sint negotiatores bursae, sed ad agriculturam vel industriam pertineant. Porro lex vetat negotia terminativa quoad fodinas, fabricas, frumentum et farinam, praesertim vero negotia terminativa *ficta*, quae maxime speculationi inserviunt (Differenzgeschäfte), quae non iam ad tribunal deferri, neque solutio extorqueri potest[2]. Accedit, quod negotiis bursae maiora tributa imposita sunt (hodie in Germania fere 40 000 000 M.). Ceterum bursae hodie necessariae sunt, ut centrum commune habeatur, ubi valores fungibiles undique ex toto mundo confluant et facile emi vel vendi possint. Propter nexum intimum cum statu sociali et politico omnes mutationes pretiorum in bursa sunt quasi index sive barometrum situationis politicae.

Locatio et conductio.

Locatio et conductio est contractus de solo dominio *utili* alicuius rei. Quodsi res locata est domus vel alia res ad solum *usum* dicitur *pensio* (Miete); si est fundus vel ius aliquod (e. g. piscatio) ad usum fructum, vocatur *vectigal* (Pacht); si est labor corporalis operariorum, servorum etc., vocatur *merces*; si labor spiritualis potius magistrorum, magistratuum, medicorum, iudicum etc., vocatur *honorarium* sive *salarium*, de quibus omnibus leges quaedam statuunt[3].

De mercede iusta.

Quaestio specialis oritur de *iusta mercede* pro servo et operario definienda[4], quia operarius laborem i. e. vires suas vitales locat, quae certe non comparandae sunt cum agro vel domo aliqua, sed unum aliquod constituunt cum

[1]) Sic e. g. mense Aprili 1890 solum 3 089 000 Bushel frumenti New-York advecti, sed 245 000 000 in bursa ibidem negotiati sunt solo mense Aprili, toto anno nonnisi 15 000 000 ibidem *effective* venditi sunt (cfr. Biederlack, Soz. Frage, 1904[6], 173). [2]) Cfr. Elster, l. c. Art. Börsenwesen. Herders Konversationslexikon, Art. Börse. Siebertz, Soziales Abc, 1900: Börsengesetz und Börsensteuer. Cfr. BGB. § 764. [3]) Cfr. BGB. §§ 535—580; 581—597.

[4]) BGB. §§ 611—630; cfr. Lehmkuhl, p. 140 sq.

persona humana; non igitur solum tanquam merx aliqua habenda est, prorsus obnoxia oblationi et requisitioni (Angebot und Nachfrage). Tunc enim pretium per „liberam concurrentiam" regularetur et ad infimum possibile reduceretur. Accedit, quod operarius labore suo et se et familiam sustentare debet, quare non pro quacunque mercede laborum suum locare potest. — Quaeritur igitur, quae sit iusta merces pro operario.

Qua in re duplex error vitandus est: Error eorum, qui laborem operariorum ut mercem quamcunque habent, cuius pretium dependeat unice a copia operariorum laborem quaerentium (Angebot) et dominorum operariis egentium (Nachfrage). Atque haec est sententia falsi Liberalismi, quam modo iam refutavimus, quia operarius mercedem infimam possibilem, vix ad vitam sufficientem reciperet. — Alius error est eorum, qui nimis exaggerant pretium laboris docentes, operarium *debere* participem fieri partis lucri totius negotii labori suo proportionatae; est fere doctrina Socialistarum. Sed haec admitti nequit; *non ratione laboris sui*, quia lucrum plerumque non labori suo debetur, sed adiunctis quibusdam prosperis vel sollertiae domini; *non ratione contractus* sui, siquidem hic contractus non fuit societatis, sed servitutis.

Qualis igitur operario debetur merces? Distinguitur merces *individualis* sive *personalis*, quae sufficiat ipsius vitae alendae, et *familiaris*, quae necessaria sit ad eius familiam sustentandam. Iam vero extra dubium est, quod ei debetur merces individualis sive personalis. Iustitia enim commutativa requirit, ut aequalitas sit inter valorem commutativum, qui est labor praestitus, et usualem, qui est merces, qua vitae necessaria comparantur. Haec igitur merces erit infima, infra quam ne iustitia quidem habeatur et operario inopi alium laborem non habenti vis inferatur. Quae autem haec infima merces sit (Minimallohn), non tum facile decerni potest, siquidem multum dependet a pretio domicilii, nutrimentorum, vestium necnon a constitutione ipsius operarii, quae conditiones diversis locis diversae sunt[1]). Quare haec

[1]) v. Thünen († 1850) formulam mathematicam mercedis constituit: $\sqrt{ap}$, in qua formula a significat expensa necessaria operarii pro se et familia quatuor membrorum, p vero productum eius laboris; sed haec formula reicitur ab oeconomiae peritis (Knies, Mithoff etc.), quia vix possibile sit decernere, quid operis producti labori operarii, quid capitali fabricantis sit tribuendum. — Mercedes olim saepe erant nutrimenta vel vestimenta vel agri (Naturallohn), quam mercedem nunc leges (1831 in Britannia, 1849 in Germania) saltem in fabricis et fodinis vetant, nisi eodem pretio, quo empta fuerunt illa obiecta, operariis traduntur (Trucksystem). Merces nunc in genere consistit in pecunia (Geldlohn), quae vel pro certo *tempore* laboris (Zeitlohn), vel pro certa *quantitate* laboris (Akkordlohn), vel pro *singulis obiectis* conficiendis (Stücklohn) solvitur. Saepe etiam hodie hae species mercedis ita coniunguntur, ut certum tempus et pretium pro obiecto faciendo sit constitutum; qui tamen breviore tempore hoc efficit, certum praemium pro brevitate temporis recipit. Ita industria operariorum magis excitatur et tempus laboris abbreviari potest, attamen vires nimis debilitantur, cautelae ad vitam et sanitatem tuendam saepe negliguntur, concurrentia crescit, ita ut tandem mercedes reduci debeant, neque deest periculum operis minus solidi, quare in nonnullis operationibus (e. g. in architectura, in fodinis) merces pro certo tempore retinetur (cfr. Elster, Wörterbuch etc., Art. Lohn.).

merces infima pro quavis regione vel etiam pro quavis specie operationis (fabrica, fodina, rure etc.) definienda esset idque non per solos dominos, sed etiam per operarios inter se associatos (Tarifverträge). Neque quidqam obstat, quin ipsa civitas hanc mercedem infimam quovis anno constituat, ne quis viribus operariorum, unico eius capitali, abutatur neve pauperismus irruat[1]). Publica enim salus est suprema lex civitatis. Sed infima haec merces individualis non videtur sufficere; esset enim misera vita operarii, si solum absolute necessaria haberet. Deinde aequum est, etiam expensa sua vel parentum pro vita anteacta, quibus vires ad laborandum acquisivit, fructus fere, qui mercede maiore quam absolute necessaria haberentur; ita etiam negotiatores, fabricantes etc. non solum lucrum, sed etiam fenus capitalis investiti exspectant (Kapitalverzinsung, Abschreibung der Material- und Geschäftsunkosten). Etiam eius dexteritas recompensanda est, sicut scientia professorum melius remuneratur. Accedit, quod vires operarii paulatim consumuntur, quod etiam tempori futuro, morbo, invaliditati, cessationi laboris etc. providere debet[2]). Inde merces individualis augenda est, sicut etiam fabricantes summam quandam pro casu necessitatis accumulant (Reservefonds). Hoc autem accrementum mercedis prosperitati totius negotii proportionale esse deberet (augmento dividendorum).

Si merces *familiaris* spectatur, sunt, qui doceant, mercedem tantam esse debere, ut operarius totam familiam suam sustentare possit. Sic praesertim Pottier, Vermeersch aliique sentiunt, hanc doctrinam Leonis P. P. XIII esse rati. Sed in hac re distinguendum esse videtur inter officium domini ratione *iustitiae* et *caritatis*. Certe, caritas ipsum plus obligat, quam alios, operarium *suum* adiuvare, si merces ordinaria non sufficit eius familiae, modo operarius parcus sit et fidelis in labore. Si autem officium *iustitiae* spectatur, non videtur adesse obligatio, ut operarius mercedem recipiat *extraordinariam*, quae toti familiae eius, forte numerosae et debitis aggravatae, sufficiat. Attamen merces *ordinaria* tanta esse debet, ut si eius familia est mediocris et si ut homo prudens et parcus quaedam reposuit tempore anteacto et si eius liberi grandiores bene educati cum ipso laborant, omnia necessaria possit procurare,

[1]) Ita multi auctores sentiunt cum viris scientiae oeconomicae peritis (Haider, Thesen; cfr. Biederlack l. c. p. 145). Fundamentum huius mercedis *infimae* legaliter constituendae, meo iudicio, posset esse lucrum negotii (fabricae, fodinae etc.) usque ad 5% capitalis investiti. Lucro crescente *proportionaliter* etiam merces augenda esset. Quamvis non sit directe iniustum, dominos sive possessores actionum nonnunquam 20%, 30%, imo 50% redituum (Dividende) habere, operarios autem eandem semper recipere mercedem, hoc tamen videtur esse contra aequitatem, et est fons uberrimus discordiarum et cessationum laboris. Fundus tamen proportionatus (Reservefonds) accumulandus esset, ne tempore minus prospero et lucrum negotiatoris et merces opificum subito nimis diminuenda essent. Quodsi negotium nullum lucrum facit, cessare debet, vel pretium possibile cum operariis, quibus nulla alia occasio laboris est, constituendum esset.

[2]) Hisce tamen necessitatibus ex magna parte iam provident leges de operariis aegrotis, invalidis, aetate provectis adiuvandis; labore destitutis associationes operariorum necnon administrationes communitatum saltem ex parte succurrunt (cfr. supra p. 289 sq.).

imo etiam aliqua pro tempore futuro reponere. Maxima enim miseria hodie ea est, ut operarii plerique voluptatibus inhiantes vix quidquam tempore iuventutis seponant. Atque hoc est, quod Leo P. P. XIII in sua encyclica „Rerum novarum" exprimit verbis: „Alendo opifici, frugi quidem et bene morato, haud imparem esse mercedem oportere"[1]).

Quaeritur, num liceat operariis inter se associatis maiorem mercedem *cessatione laboris* (Streik) sibi procurare. Sine dubio hoc licet, modo finis et media legitima sint[2]). *Finis* legitimus est, si operarii mercedem infimam vel etiam mediam augere volunt et negotiator id praestare potest, lucro modico non cessante. Idem dicendum est, si brevius tempus laboris vel maiorem tutelam vitae et sanitatis expostulant. Non autem licet, si hoc modo negotiator perderetur, vel si alii plurimi inde maius damnum haberent, quam est utilitas ex cessatione laboris operariis ipsis emergens. Praesertim non licet, si praevident, cessationem laboris nil profuturam, sed sibi aliisque magnum damnum illaturam esse, vel si cessatio laboris ab associatione quadam instituitur ad associationem ipsam augendam vel ad negotium in favorem concurrentis perdendum, id quod nonnunquam duces socialistarum fecisse dicuntur. — *Media et conditiones* sunt legitima, si tempus laboris deponendi a lege constitutum[3]) (duae hebdomades in fabricis et fodinis) observant, si vim physicam neque dominis inferunt neque iis qui laborare volunt (Streikbrecher); secus laboris cessatio non liceret. — Ceterum frequentes hae cessationes a labore maximum inferunt damnum et negotiis ipsis et familiis operariorum et aliorum qui ab illis negotiis dependent, necnon salutem publicam, pacem et moralitatem saepe subruunt, teste experientia, praesertim postquam etiam negotiantes foedera ad illas cessationes cohibendas[4]) inierunt. Quare non mirum, Leonem P. P. XIII in sua Encyclica: „Rerum novarum" eas non quidem prorsus reprobare, attamen valde dehortari exoptans, ut quaestiones de mercede et tempore laboris inter patronos et opifices pacifice componantur[5]). Communi igitur concilio merces statuenda esset pro certo tempore (Tarifverträge) et tribunal ex patronis et operariis aeque constituendum quo, si opus fuerit, utraque parte audita, auctoritate legali quaestio dirimatur (obligatorische Schiedsgerichte), id quod ex aliquo tempore in Australia et nuper in Britannia factum est et apud nos quoque tempore futuro speratur[6]).

Contractus societatis.

Contractus societatis adest, quando plures sive capitale sive operam suam conferunt ad communem quaestum faciendum, ita ut

[1]) Editio Herder, 1891, p. 63; cfr. Biederlack, l. c. p. 148. Cathrein, Moralphil., p. 365 sq. De difficili hac quaestione cfr. Schindler, Der Lohnvertrag, 1892. Eberle, Arbeit und Lohn, 1894; H. Pesch, Lohnvertrag, Lohnfrage L. Stimmen, 1894, I—V et VIII, 1897, p. 29 sq. [2]) Cfr. Lehmkuhl, Arbeitsvertrag und Streik, 1904[4]. [3]) Cfr. BGB. § 621. [4]) Ex anno 1889 apud nos (cfr. Elster, II, 1037). [5]) Cfr. editionem Herder, p. 55.

[6]) Sic in Belgica annis 1901—1905: 474 cessationes a labore erant, quarum 325 i. e. tres partes nil utilitatis, sed magnum damnum afferebant. Anno 1906 Socialistae in Germania 13 748 412 M. pro labore cessantibus expendebant; maior pars cessationis a labore nullam utilitatem afferebat. Similiter in aliis nationibus.

quisque tum lucrum tum damnum inde emergens pro rata parte accipiat. Quodsi unus ex sociis *assecurationem tum sortis* tum etiam *lucri* eo pacto suscipit, ut ipsi maior pars lucri pacto determinata contingat, habetur *contractus trinus*. Iam vero hi contractus societatis possunt ita institui, ut socii solum capitale conferant, non operam, quam directores operis cum suis operariis praestant; vocantur *societates actionum* (Aktiengesellschaften). Vel ita sunt instituti, ut socii et capitale et operam praestent; et vocantur *societates cooperativae*, quae iterum sunt *productivae*, si quid producunt ad vendendum e. g. nutrimenta, vestimenta, aliaque fabricata; vel *consumptivae*, si socii simul emunt necessaria ad consumendum, e. g. nutrimenta, utensilia domus, carbones etc. Atque omnes hae societates hodie magni sunt momenti: *actionum*, ut capitale magnum habeatur ad opera sumptuosa suscipienda: vias ferreas, fabricas, fodinas, bursas, pecuniam mutuo dandam [1]) etc., modo ne soli speculationi inserviant, qua pretium rerum undique coemptarum saepe maxime necessariarum nimis augetur (Ringe, Corners); *cooperativae* eaeque *productivae*, ut operarius ipse totum fructum laboris sui percipiat sitque rei alicuius proprietarius; *consumptivae*, ut res ad vitam et operationem necessariae facilius melioreque pretio ab ipso producente immediate acquirantur, negotiatoribus intermediis seclusis [2]).

Est species quaedam societatis intermedia inter priores, ultimis hisce decenniis demum orta, quae vocatur *syndicatus* (Kartell). Magni enim producentes sive privati sive societates actionum (fabricae, fodinae etc.), retenta quidem *propria* negotii sui administratione, associationes ineunt, ut vel productio vel pretium vel regiones ad producta vendenda vel etiam venditio communis cuique constituatur (inde Absatz-, Preis-, Produktions-, Verkaufs-Kartelle), ne per nimiam productionem et mutuam concurrentiam pretium deprimatur et lucrum et capitale ipsum incertum fiat; accedit tanquam ratio

---

[1]) In Borussia anno 1902/03 erant 2554 societates actionum, quarum capitale erat 6622 Mill. (Mill. = 1 000 000); in Austria anno 1900: 529 cum capitali 2011 Mill. Kr.; in Britannia (Scotia et Iberia) anno 1904: 37 287 cum capitali 1899 ½ Mill. Lstr. = 38 000 Mill. M. Actiones, quae solo anno 1904 in Gallia emittebantur, valorem habent 1362 Mill. Frs.

[2]) *Productivae* societates vel sunt *rurales* vel *commerciales* (opificum, artificum, mercatorum etc.) Rurales, praesertim a Schulze-Delitzsch († 1883) et Raiffeisen († 1888) fundatae (1849), maxime propagatae sunt. Notandum est, has societates ex parte etiam consumptivas ac proinde quasi intermedias esse. Anno 1904 in imperio Germanico exsistebant societates rurales 18 309, quorum 12 477 ad mutuum dandum (Kreditgenossenschaften), 1754 ad res emendas et vendendas (Bezugs- und Absatzgenossenschaften), 2713 ad lac et butyrum vendendum (Molkereigenossenschaften), 1365 aliae. Harum societatum 14 936 erant inscriptae (eingetragene Genossenschaften mit unbeschränkter Haftpflicht), 3274 non inscriptae (ex anno 1889 mit beschränkter Haftpflicht), negotium totale (Geschäftsumschlag) plus quam 3 000 000 000 M. — Societates productivae commerciales a Buchez et L. Blanc

secundaria mutuum auxilium in cessatione laboris (Streik) [1]). Hi syndicatus, modo ne soli lucro inhient, possunt esse utilissimi ad productionem moderandam et pretia firma retinenda, licet saepe pretia nimis augeant, producentes minus potentes perdant, vel materiam brutam producentes cogant ipsis solis vendere, vel negotiatores intermedios, ab ipsis solis emere, ita ut potentia sua facile abutantur. — Similes hisce syndicatibus sunt illae societates praesertim in Statibus unitis Americae, quae maximas negotiationes eiusdem speciei *sub communi directione* uniunt ad certas res coemendas et pretium arbitrarie constituendum (prima Rockfeller, Standard Oil-Trust 1881); vocantur *Trusts*, quae, licet anno 1890 lege prohibitae, tamen iterum exortae, sunt causa potissima crisium, quae in bursa oriuntur.

Oppigneratio.

Oppigneratio est contractus, quo quis creditori rem tradit ad eius ius aliquod assecurandum. Quodsi res tradita est mobilis, habetur oppigneratio sensu proprio; si est res immobilis vocatur *hypotheca*. Creditor acquirit ius ad rem, quam, si debitum non solvitur, vendere potest, ut pretii tantum retineat, quantum est debitum. Leges ubique ordinant hunc contractum [2]) multisque locis eiusmodi instituta sunt sive ab ipsa civitate, sive ab urbibus, sive a

---

in Gallia, deinde a Lassalle et Schulze-Delitzsch in Germania fundatae, multo pauciores sunt: 1905 = 199, in quibus 23 153 socii erant; difficultas est, capitale acquirendi ad res producendas, deinde res productas vendendi, quum tanta sit concurrentia, denique dirigendi has societates, quare spem ex multa parte fefellerunt. — Societates *consumptivae*, primum in Britannia ortae duce Owen (1820—1839), (Pioniere von Rochdale, 1844), hodie ubique propagatae sunt, maxime autem in Britannia. Pro quantitate mercium a singulis sociis emptarum eis lucrum (Dividende) dividitur eisque solis (ex lege 1889/96) vendere licet apud nos, alibi omnibus e. g. in Britannia. Anno 1905 in imperio Germanico erant 1853 societates, in quibus 900 481 socii; 166 inscriptae (24 529 socii), 1683 non inscriptae (875 104 socii), quae iterum plerumque inter se associatae sunt ad res suas a communi centrali (Hamburg) emendas, (cfr. Elster, Art. Konsumvereine, Landw. Genossenschaften, Produktivgenossenschaften. Herder, Konversationslexikon: Konsumvereine, Produktivgenossenschaften). Herder numeros paulisper alios habet societatum consumptivarum: In Germania anno 1903 = 1915 cum 1 023 644 sociis et negotiatione totali : 250 Mill.

„ Britannia et Scotia	„	1903 = 1481	„	1 987 768	„	„	„	„	1150	„
„ Gallia	„	1903 = 1880	„	570 000	„	„	„	„	144	„
„ Austria (Ung.)	„	1903 = 1300	„	170 000	„	„	„	„	29	„
„ Helvetia	„	1903 = 400	„	150 000	„	„	„	„	40	„
„ Italia	„	1902 = 886	„	181 595	„	„	„	„	47	„

[1]) Anno 1905 in Germania erant 385 syndicatus 12 000 operas comprehendentes, quorum praecipui sunt carbonum syndicatus Rheno-Westfalicum 1893 in urbe Essen fundatus et syndicatus ferri in Düsseldorf. In Austria plus quam 100 syndicatus sunt, plurimi vero in America septentrionali (Elster, Art. Unternehmerverbände; Germania, Wissensch. Beilage, 1907, Nr. 46: „Das Rhein.-Westf. Kohlensyndikat“). [2]) Cfr. BGB. §§ 1204—1296.

privatis iisque a publica auctoritate approbatis (cautione ab eis exhibita) erecta ad mutuum dandum pignore dato. Orta sunt ex montibus pietatis, olim saec. 14 et 15 in Italia multis locis ad pauperes contra usurarios adiuvandos institutis. Quodsi institutis monetariis (Banken) merces vel chirographa (Wertpapiere, Aktien, Polizen) tamquam pignus offeruntur, vocatur negotium *Lombardicum* (Lombardieren). — Species huius contractus vocatur *revenditio*, quo quis, pecunia egens, alteri vendit rem aliquam ea lege, ut illam postea pretio determinato, utique minore, redimat. Differentia haec pretii constituit lucrum rem illam ementis. Patet, in his negotiis facile fraudem vel foenus iniquum locum habere posse, quare indigent permissione auctoritatis publicae [1]).

Ab oppignoratione sensu proprio differt *hypotheca* [2]); nam 1° per eam traditur ius in rem *immobilem*; 2° debitor retinet rem eiusque usum fructum, pignus autem mobile a creditore retinetur; 3° hypotheca semper actu publico per notarium vel immediate per inscriptionem in librum fundiarium efficitur; 4° oppignoratio praesertim pauperibus mutuum procurat, hypotheca autem ad pecuniam etiam permagnam mutuandam omnibus praesto est.

Depositum.

Depositum est contractus, quo quis alteri rem mobilem custodiendam tradit ea lege, ut eam certo quodam tempore domino reclamanti restituat. Custos rei alienae tenetur eam ut bonus pater familias intactam conservare, praesertim si mercedem accipit. Quodsi per eius culpam perit vel damnum patitur, ad restitutionem tenetur; si non per eius culpam, contrahit culpam quidem iuridicam i. e. per legem potest cogi ad restitutionem, non tamen habet culpam theologicam, quae eam in conscientia obliget. Si utitur re deposita (pecunia, instrumentis etc.) ad suam utilitatem, lex quidem pretium (foenus) praescribit. Attamen si de hac re inter deponentem et depositarium nil statutum est, neque periculum neque damnum adest rei depositae, tenetur quidem ad illud pretium, si a deponente *vi legis* postulatur, non tamen certo in conscientia obligatur, ut *ultro* foenus offerat. — Caupo vero, si res ei ab hospitibus offeruntur custodiendae, per legem tenetur eas accipere servandas, et si per eius culpam detrimentum patiuntur, ad restitutionem obligatur. Si

[1]) Elster, Art. Pfandleih- und Rückkaufgeschäfte. Gewerbe-Ordnung § 34, 38; Str.GB. § 360, 12. — Huic contractui similis est contractus mohatrae (a mochatara arab. = periculum) vel baratae (a barad hispanice = fraus), qua venditio et reemptio nonnisi simulate fiebat ad leges usurae fugiendas, unde lege civili et ecclesiastica vetitus erat.

[2]) Ibid. §§ 1113—1203.

culpa solum iuridica adest, non tenetur ante iudicium tribunalis eum condemnans [1]).

Fideiiussio.

Fideiiussio est contractus, quo quis fidem facit pro praestatione, ad quam alius ex iustitia tenetur; quam si hic non exhibet, fideiussor ad eam tenetur, modo scripto sese obligaverit et creditor media legitima contra debitorem adhibuerit. Fideiussor, debito soluto, fit ipse creditor debitoris [2]).

Assecuratio.

Assecuratio est contractus, quo quis semel vel statutis temporibus pretium solvit, ut damnum aliquod determinatum forte ei obtingens pecunia compensetur. Hi contractus primo in Italia orti ad merces navium contra pericula moris assecurandas, deinde in omnibus nationibus contra diversa genera periculorum in usum venerunt, idque vel inter privatos, vel per auctoritatem publicam, vel per societates. Atque hae societates possunt esse *actionum* ad lucrum faciendum vel possunt esse *mutuae* ipsorum assecuratorum, ita ut ipsi tandem omnem inde percipiant utilitatem. Obiecta autem assecuranda possunt esse personae (contra accidentia), bona (e. g. domus contra incendium, pecudes contra morbos, fruges contra grandines etc.), valores quicunque (pro responsabilitate — Haftpflicht, contra hypothecarum vel redituum periculum etc.) [3]). — Requiritur, ex parte assecurati, ut quotam constitutam solvat, ut omnes circumstantias, defectus etc. indicet, quae summam solvendam mutent, neve ex mala intentione rei defectum producat e. g. domum incendat. Ex parte assecurantis requiritur, ut potens sit damna fortuito orta recompensare, unde saepe cum aliis associationibus et ipse init assecurationem.

Assecurationes vitae pro certo tempore vel casu mortis non proprie spectant ad hunc locum, quia solutio praemii certa erit; neque assecurationes operariorum per leges, licet aliqua similitudo adsit, quum nullus fiat contractus. Quum contractus assecurationis hodie tanti sint momenti, legislatio in plerisque nationibus: Germania, Austria, Helvetia, in Statibus unitis Americae, in Japonia pro omnibus societatibus assecurationis, in Gallia et Dania saltem pro assecuratione vitae sibi reservat et concessionem earum et inspectionem; contractus assecurationis scripto confirmandi sunt.

[1]) Cfr. BGB. §§ 688—704. Caupones possunt teneri ad damnum resarciendum usque ad pretium 1000 M. Si vero pretium rerum depositarum declaratum erat, ad integrum restituendum per legem obligantur (§ 702). Lege, quae Lehmkuhl, l. c. p. 180 sq., de his legibus dicit.

[2]) Cfr. BGB. §§ 765—778.

[3]) Cfr. Elster: Versicherungswesen, ubi et copiosam de hac re litteraturam invenies.

Contractus aleatorii.

Contractus *aleatorius* adest, quando lucrum vel damnum ab eventu futuro dependet, qui per ipsum contractum oritur. Differt igitur hic contractus ab assecuratione, in qua eventus futurus non dependet ab exsistentia ipsius contractus. Distinguitur *sponsio, ludus, lotteria*. Per sponsionem[1]) plures se obligant, se illi praemium certum daturos esse, qui veritatem dixerit vel victoriam reportaverit. — Per lusum plures conveniunt, ut certam summam pecuniae, quam tanquam praemium constituunt, victori exhibeant[2]). — Per lotteriam aliquis taxam quandam solvens habet ius per sortem rem aliquam vel certam summam pecuniae acquirendi[3]). Si lotteria instituitur ad lucrum privatum faciendum, lucrum non debet superare illud, quod ex eadem pecunia pro obiectis lucrandis expensa alio modo ad lucrum faciendum exhibitum fuisset; aliud dicendum est, si lotteria ad communem aliquam utilitatem instituitur. Lotteria, anno 1530 Florentiae primum instituta, inde in omnes nationes propagata est et nonnunquam ab ipsis civitatibus hodie instituitur[4]) ad expensa publica. Privatae autem et externae non permittuntur nisi per auctoritatem publicam, et si fiunt publice sine permissione, graviter puniuntur[5]); si privatim, non habent ullam vim ludentes obligandi[6]). Lotteriae, saltem a civitatibus ipsis, melius essent omittendae, ne cives incertissimae sortis ignari, ad lusum hunc allicerentur.

Contractus foeneris.

1. *Natura: Contractus foeneris* ille est, quo quis summam certam pecuniae alteri tradit ea lege, ut post certum tempus aequalem summam recipiat, necnon statutis temporibus e. g. quotannis pensionem quandam inde percipiat. Differt igitur a locatione domus vel fundi, quia pecunia tradita fit alterius quoad rem et eius usum; consumitur igitur respectu prioris possessoris; convenit cum locatione et conductione, quia pensio quaedam percipitur et capitale saltem aequale recipitur. Foenus distinguitur iustum et iniustum; illud limites sive ex natura rei sive lege et consuetudine constitutos excedit, et vocatur proprie *usura*; secus vocatur *foenus* sensu strictiore.

Quaestio praecipua est, num liceat foenus percipere. Ratio dubitandi est, quia pecunia *ex se* nihil producit, sed ut res in se plus minus *pretiosa* (metalla rara), *solida, facile divisibilis, communicabilis* et *permanens* est potius

[1]) Cfr. BGB. §§ 657—661.
[2]) Ludus *vi legis* nullam creat obligationem ludentibus, BGB. § 762.
[3]) Ibid. §§ 762—764.
[4]) Saltem in Germania, Austria, Italia.
[5]) St.GB. § 286. [6]) BGB. § 762.

mensura cuiuscunque valoris et ut talis *medium* praecipuum negotiationis et *thesaurus facile conservatu*. Habet igitur valorem commutativum omnium maxime praecipuum. Inde est, quod quaedam species pecuniae etiam apud gentes barbaras in usu sit (e. g. kauris nigrorum = testa conchae) et iam ex tota antiquitate nota sit hominibus; nimis enim difficile esset et negotium impediret, si homines solas res consumptivas, e. g. vestes, fructus, pecudes etc., inter se commutarent, quia deficeret certa mensura rebus omnibus inter se adeo diversis communis, neque maior copia rerum consumptivarum facile et commode conservari et de loco in locum transferri posset. Ubi igitur non est negotium nisi inter vicinos, neque bona nisi primo usu consumptibilia emuntur et venduntur i. e. illis temporibus, quibus homines sibi necessaria plerumque ipsi producebant, pecunia ad summum habebat valorem commutativum, non productivum. Sed crescente cultura humana laboribusque humanis inter plures classes hominum distributis, praesertim vero negotio cum alienis florente, quo merces et pecuniae hinc inde commutabantur, pecunia facta est quasi centrum omnis valoris non solum commutativi, sed etiam productivi; nam negotiator, quo maiorem summam habebat pecuniae, eo maiorem copiam mercium emere et cum lucro iterum vendere potuit, ita ut pecunia semper augeretur. Ex hoc facile intelligitur, iudicium de natura pecuniae et de foenore inde percipiendo decursu temporis valde fuisse immutatum.

2. *Historia:* Iam antiquitus foenora pecuniae habebantur; leges Babylonicae usque ad 20% permittebant. Leges XII tabularum Romanorum vetabant foenora plus quam $8\frac{1}{3}$%; sed crescente usura, foenora lege diminuebantur et anno 339 a. Chr. per legem Genuciam prorsus abolebantur; sed iterum permittebantur ultimis rei publicae temporibus usque ad 12%, imo foenus nauticum propter periculum sortis erat illimitatum usque ad codicem Justinianum, qui negotiantibus 8%, illustribus 4%, aliis 6%, nautis 12% permittebat[1]). — Plerique veteres philosophi et homines politici foenus, quod idem habent ac usuram, omnino reprobabant, tum quia pecunia ex se non esset frugifera, tum quia saluti publicae damnum inferret; sic Plato, Aristoteles, Seneca, Plutarchus, Cato, qui dicebat (de re rustica praef.): „Maiores ita in legibus posuerunt, furem dupli condemnari, foeneratorem quadrupli“[2]).

Praesertim vero Judaeis per legem Mosaicam foenus accipere non licebat nisi ab alienis (Deut. 23, 19 sq.; Exod. 23, 25; Lev. 25, 36), quam legem etiam christiani suam faciebant (cfr. Luc. 6, 34 sq.). Notandum autem est, prohibitionem usurae in lege Mosaica fuisse legem civilem, non naturalem; secus non licuisset ab alienis foenus accipere. Deinde merito videtur affirmari, Christum apud Lucam non loqui de foenore, sed de caritate, neque certum est, ibine de praecepto an de solo consilio sermo sit. Patres ecclesiae et Concilia et decreta pontificum cum scholasticis[3]) quasi uno ore foenus tanquam usuram reprobant utrumque confundentes, quia pecunia ex se non sit frugifera et ut res consumptibilis iam alterius facta sit; porro iniustum esse, aliquem plus requirere quam dederit. Sic Concilium Lateran. V anno 1515: „Ea est propria usurarum interpretatio, quando scilicet ex usu rei

[1]) Cfr. Elster, Art. Wucher. [2]) Cathrein, Moralphilosophie, II, p. 352.
[3]) Cfr. S. Thomam, II, II, qu. 78, art. 1—4; De malo, qu. 13, art. 4.

quae non germinat, nullo labore, nullo sumptu, nullove periculo lucrum foetusque conquiri studetur." Adhuc anno 1745 Benedictus P. P. XIV doctrinam ecclesiae proponit, qua usura ut fructus solius pecuniae „vi mutui" prohibetur, tituli autem alii, iam a Concilio Lat. indicati: labor, periculum sortis, sumptus etc. admittuntur[1]. Ex illo tempore ecclesia, quamvis decreta sua de usura non formaliter aboleverit, distinguens tamen foenus ab usura, foenus iuxta leges et consuetudinem moderatum tolerat[2].

Addendum est, quod etiam leges civiles a Carolo M. usque ad saeculum XVI usuram vetabant, necnon ipsi Reformatores Luther, Melanchthon, Zwingli aliique. Solus Calvinus foenus limitatum permittebat et post ipsum Molinaeus (Dumoulin), Salmasius (Claude de Saumaise), Hugo Grotius, Bessold aliique. Leges civiles post saec. XVI plerumque permittunt foenus usque ad 5—6%, quae leges apud nos ab anno 1867 usque 1880 a „liberalibus" abolitae, iterum praesertim „Centro" auctore ferebantur, primum ad usuram pecuniae (Zinswucher) abolendam, deinde 1893 ad usuram rerum quoque tollendam (Sachwucher), si ad modum negotii exercebatur, denique 1900 ad omnem actionem usurariam vetandam idque poenis gravissimis[3]. — Sunt, qui ecclesiae vitio dant, quod medio aevo legibus suis contra usuram negotium et progressum culturae impedierit. Sed immerito; nam 1° illo tempore pecunia nondum erat ita productiva, ut hodie, siquidem commercium nondum erat internationale et fundi in systemate feudali medii aevi raro vendebantur. 2° Foenus non simpliciter vetitum erat, sed solum vi mutui; admittebantur autem tituli extrinseci: Damnum emergens, lucrum cessans, periculum sortis, poena conventionalis propter moram solutionis capitalis. Accedebant plures species contractuum, qui supplebant foenerationi et ab ecclesia approbabantur: contractus trinus, mohatra[4] et census annui (Rentenkauf)[5]. 3° Constat insuper, ecclesiae decreta non obstitisse, quominus medio aevo negotia et commercium, praesertim in republicis Italiae (Florentiae, Genuae, Venetiae, Pisae, Livorno etc.) necnon in societatibus negotiantibus Germaniae (Kaufmannsgilden: Coloniae, Lübeck, Hamburg, Bremen, Nürnberg, Augsburg) terra marique valde floruerint. 4° Ecclesia tam strenue impugnans omnem speciem usurae, societati multum profuit multosque tuebatur contra Judaeorum usurariorum insidias[6], et laborem tanquam principalem fontem lucri magni fecit.

---

[1] Cfr. Gury-Ballerini 1866[17], I, p. 789 sq.

[2] Cfr. Funk, Zins u. Wucher, 1868; Zur Geschichte des Wucherstreites, 1901; Geschichte des kirchl. Zinsverbotes, 1876; Ratzinger, Die Volkswirtschaft in ihren sittl. Grundlagen, 1895[2]. Schaub, Der Kampf gegen den Zinswucher im Mittelalter, 1905. Lessel, Die Entwickelungsgeschichte der kanonistisch-scholastisch. Wucherlehre, 1905.

[3] Cfr. Str.GB. § 302a-e; BGB. §§ 138, 246—248, 288. Lex permittit publice 4%, nisi aliud privatim statuatur; qui solvit 6%, potest semper post sex menses capitale deponere, qui abutitur alterius necessitate, levitate vel ignorantia ad maius foenus quam legale extorquendum, gravibus poenis tanquam usurarius punitur.

[4] Modo ne sit usura palliata (cfr. Gury-Ballerini, l. c. p. 811).

[5] Cfr. Kirchenlexikon[2], XII, Art. Zins u. Wucher (Koch); X, Rentenkauf (v. Funk). [6] Cfr. Kirchenlexikon, XII, p. 1970 sq.

3. *Fundamentum foenoris.* Fundamentum sive titulus foenoris distingui potest intrinsecus (per se) et extrinsecus (per accidens). Ille ex ipsa natura foenoris emanat, et in eo esset, quod pecunia mutuata ex se sola fructum produceret. Iam vero patet, pecuniam ex se non esse frugiferam, unde ratio potissima, ex qua veteres foenus reprobabant, etiam hodie vim suam habet. — Titulus extrinsecus est ille, qui pecuniam non per se afficit, sed propter rerum circumstantias. Iam vero hi tituli sunt: lucrum cessans, damnum emergens, periculum sortis (pecuniae mutuatae), mora in reddenda pecunia. Propter has rationes etiam veteres foenus permittebant, imo foenus nautarum semper licebat. — Adest tamen titulus partim intrinsecus, partim extrinsecus, qui fundatur quidem in natura pecuniae ut medii commutativi, sed requirit quasdam circumstantias, sine quibus effectum suum exercere nequeat. Hic titulus est *productivitas* pecuniae ad negotium et commercium iam explicatum amplificandum, praesertim vero ad instituta monetaria fundanda (Aktiengesellschaften, Banken, Börsen, Wechsel- und Scheck-Verkehr), sine quibus negotium modernum internationale impossibile esset. Imo hodie et minima summula pecuniae illico cum fructu deponi potest (Sparkassen, Rabatt-Sparmarken), id quod temporibus medii aevi impossibile erat[1]. Hic igitur titulus productivitatis, certe bene fundatus, veteribus, negotio nondum explicato, non innotuit. Licet igitur hodie foeneratio, saltem ex iustitia: a) ex *ratione intrinseca,* quia pecunia hodie non solum est res commutativa, sed productiva et quasi aequivalet omnibus aliis rebus: fundis, domibus, mercibus, frumento etc.; b) *ex rationibus extrinsecis,* quia, qui hodie pecuniam sine foenere aliis mutuatur, damnum subit simulque lucrum perdit, siquidem potuisset censum percipere, quem alii ex eius pecunia habebant. Immerito igitur Socialistae reprobant reditus ex foenore, quod tamen et ipsi sine scrupulo percipiunt. — Ille certe peccat contra iustitiam, qui tantum foenoris exigit, ut mutuans nil lucri inde percipere possit; in hoc tamen magna est differentia inter personas mutuantes; alii enim, ut agricolae, parum lucri hodie ex pecunia percipiunt, unde ipsis, saltem *theoretice,* minus foenus imponendum est; alii, ut negotiatores, maiorem fructum inde habent, unde per se maius foenus ab eis expetere liceret; alii, ut fabricarum et fodinarum necnon „bancarum" possessores, maximum brevi tempore producunt lucrum, quare maius foenus solvere possunt. — Attamen *in praxi* foenus illud solvendum est, de quo utraque pars convenit, nisi leges usurae id vetaverint. Si vero officium *caritatis* spectatur, potest esse obligatio foenus minus legitimo requirendi ab eo, qui in magna necessitate constitutus est; tunc enim valeat praeceptum

---

[1] Sic statistica anni 1906 (Elster, Wörterb. der Volkswirtschaft, 1907[2], II, 934) docet:

		anno				deposita		pro quovis cive
In	Borussia	1904	fuisse	10 211 976	libellos,	7 761 930 000 M.	=	210,59 M.
„	Belgica	1903	„	2 105 142	„	596 130 000 M.	=	85,34 M.
„	Britannia	1903/04	„	11 378 483	„	4 092 650 000 M.	=	95,64 M.
„	Gallia	1903	„	11 469 961	„	3 444 590 000 M.	=	88,41 M.
„	Italia	1903	„	6 740 138	„	1 999 020 000 M.	=	60,18 M.
„	Batavia	1903	„	1 412 881	„	328 950 000 M.	=	60,57 M.
„	Austria	1903	„	5 159 417	„	3 866 390 000 M.	=	144,59 M.
„	Russia	1903	„	4 338 000	„	2 206 660 000 M.	=	15,43 M.

illud Mosaicum: „Fratri tuo absque usura id, quod indiget commodatis, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo“ (Deut. 23, 20).

Ex dictis patet, alios titulos foenoris vel non legitimos esse vel non sufficientes vel superfluos. Sic fuerunt (Tostatus, Pichler[1]), necnon recentiores Schäffle, A. Wagner), qui foenus *ex lege civitatis* derivent, quae meritum aliquod de re publica propter pecuniam emissam foenore recompensare velit. Sed nimia auctoritas in hac re civitati videtur tribui, quae tunc posset etiam unicuique imperare pecuniam suam ad foenerandum expendere et arbitrarie censum constituere; neque lex foenus legitimum reddere potest, nisi ex se iam liceret, unde civitatis solum est limites iustos foenoris determinare, sicut ipsa et alia a iure naturalis praecepta vel permissa determinat. — Alii censent cum Senior, foenus deberi mutuanti, quia hic onus subiret privationis capitalis sui (Entbehrungslohn), quam sententiam praesertim Lassalle irridet. Sed qui hodie pecuniam mutuantur, vix pauperes sunt habendi neque minus curae habent, quando pecuniam suam locant. Verum tamen est, eis lucrum cessare, quae ratio certe valet, attamen non unica est neque praecipua. — Alii tandem cum Böhm-Bawerk foenus deducunt ex differentia temporis, quia capitale praesens plus aestimatur, quam futurum restituendum ad instar „disconto“ in chirographis mutuo dandis (Wechseldiskont); sed certe vix quisquam pecuniam mutuans de hac differentia cogitat; imo gaudet de pecunia cum magno foenore aliis tradita; deinde haec ratio iam supponit consuetudinem foenoris accipiendi, ut comparatio inter capitale praesens et futurum quoad aequalitatem fieri possit. Certe si differentia haec temporis concipitur ut periculum aliquod sortis, est ratio aliqua extrinseca, sed non unica neque praecipua foenoris legitimi[2]). — Neque sententia a Mac Culloch proposita videtur admittenda, capitale esse laborem accumulatum ac proinde aliquid ex se producere; sed ipse possessor capitalis nihil praestat, neque capitale ex se quidquam producit, nisi labore adhibito applicatur; accedit, quod capitale traditum non iam est in eius possessione, ac proinde ei nihil iam acquirere posset. Permittitur igitur foenus tum ex rationibus extrinsecis iam a veteribus admissis, tum ex ratione quasi intrinseca, quia pecunia hodie de facto est productiva, ne maiora mala ex foenore vetito irrepant, ut historia docet[3]).

Sect. II. Ethica socialis.

Homines non sibi solis vivunt, sed in societate multiplici iam a nativitate sunt constituti; imo natura nostra socialis postulat, ut cum aliis et vitam et activitatem communem habeamus ad naturam nostram perficiendam. Experientia docet, homines maxime inopes nasci et indigere societate tum familiari tum politica ad vires suas tum organicas tum anorganicas explicandas, id quod ex exemplo in-

[1]) Cfr. Simar, Lehrbuch der Moraltheologie, 1893[3], p. 418. Hisce etiam Gury annuere videtur l. c. p. 785, approbans tamen et alias rationes pro foenore adductas.

[2]) Cfr. Elster, Art. Zins; Cathrein l. c.

[3]) Cfr. Werner, Christliche Ethik, III, 383. Garriguet, Prêt, intérêt et usure, 1907.

fantium procul ab hominibus viventium et crescentium apparet[1]). Historia docet, artes et scientias, omneque incrementum culturae nonnisi in societate humana inveniri posse, et quo perfectior quovis tempore fuerit societas, eo maiorem fuisse progressum generis humani. — Oportet igitur disseramus primum de societate in genere, deinde de societate domestica, porro de societate civili, denique de societate internationale.

Caput I: De societate in genere.

§ 1. Natura societatis[2]).

Societas est unio moralis atque stabilis plurium hominum ad finem aliquem communi actione consequendum. Societas igitur vocatur:

a) Unio *plurium hominum:* ubi enim non plures sunt, non potest fieri societas, neque proprie invenitur nisi in entibus rationabilibus, non in lapidibus, arboribus, neque in brutis, licet simul vivant. Multitudo igitur entium rationabilium constituit *obiectum materiale* societatis.

b) Deinde vocatur *unio moralis*, ut exprimatur, non quamcunque hominum associationem physicam ratione temporis vel loci esse iam societatem, e. g. multitudo spectaculum videns; sed requiritur inprimis *finis communis*, quem omnes associati cognoscunt et libere appetunt unitis viribus eodemque modo. Est igitur societas unum aliquod et totum morale; non physicum, sicut corpus hominis, licet ad eius analogiam concipiatur, quia etiam societas multis constat membris inter se ordinatis. Finis igitur communis constituit *formam* eamque *intrinsecam* societatis; est enim ratio ultima, cur homines unionem ineant ad bonum illud commune, in quo finis consistit acquirendum; porro est etiam ratio specifica, cur societates inter se differant, e. g. societas domestica a civili, societas literaria a commerciali, societas productiva a consumptiva.

c) Denique societas debet esse *stabilis;* neque enim vocatur societas, si solum per aliquot horas vel dies perdurat, ut multitudo hominum ad sermonem audiendum concurrens vel congressus quidam ad quaestiones quasdam componendas. Haec autem stabilitas oritur ex communi quadam auctoriate, qua homines associati continentur, legibus quibusdam sive explicite sive implicite constitutis diriguntur in finem societatis et poenis etiam efficaciter impelluntur

[1]) Cfr. Gutberlet, Der Mensch, 1903[2], p. 275 sq.

[2]) Cfr. Meyer, Inst. iuris nat., I, n. 347 sq. Cathrein, Philos. moralis, 1907[6], n. 427 sq.

ad bonum commune producendum, proprio neglecto. Ratio obvia est; homines enim libera voluntate praediti et inclinatione naturali in bona propria potius quam communia propensi, diu finem communem non prosequerentur, nisi quaedam adesset auctoritas legitime constituta. Haec igitur auctoritas ex natura societatis emanat tanquam ex radice sua, quare eius essentiam quidem non constituit, quia *supponit* et materiam et formam (finem), saltem intrinsecam, societatis, neque est nisi *medium*, utique maxime necessarium, ad finem societatis efficaciter consequendum, attamen pertinet omnino ad *integritatem* naturalem societatis, quae sine ea esse non potest. Ita corpus et anima constituunt quidem naturam humanam, non intellectus et voluntas, attamen natura humana sine illis facultatibus non esset integra neque finem suum obtinere posset. Quare auctoritas potest etiam vocari *forma* societatis, non quidem intrinseca, quae est eius finis, sed *extrinseca*, quia est quasi imago et expressio sensibilis externa formae intrinsecae.

§ 2. Auctoritas societatis.

Auctoritas igitur est potestas moralis simulque physica, quam quis legitime possidet ad subditos in finem communem efficaciter dirigendos. Est potestas inprimis moralis, quia societas ipsa est totum morale, et exercetur per influxum in mentem et voluntatem subditorum per leges statutas et poenas propositas; est tamen etiam potestas physica, inquantum media physica (verbera, carceres, mulctam pecuniae) adhibere potest ad voluntatem ipsam subditorum saltem externe efficaciter determinandam, si opus fuerit. Haec autem potestas debet esse:

a) *Legitima* i. e. vel a natura ipsa constituta (e. g. parentum in familia) vel per hereditatem accepta e. g. in societate domestica, in regno hereditario, vel per liberam electionem collata (e. g. in republica, in societate actionum etc.); secus quivis posset auctoritatem arripere, si potestatem physicam vel influxum (pecuniam) sufficientem haberet et continuae essent discordiae; esset ruina societatis.

b) *Una in se;* nam finis societatis non est nisi unus, saltem finis immediatus, cui omnes alii subordinandi sunt; et hoc patet etiam ex experientia et historia.

c) *Efficax,* i. e. debet mediis et potestate sufficiente esse praedita, ut subditos ad finem dirigere et si opus fuerit, moraliter vel etiam physice cogere possit; inde leges et statuta necnon poenae sive physicae sive morales in omni societate: domestica, civili, sociali.

d) *Moderata* sive *rationabilis;* non igitur potestate sua legifera et coercitiva uti potest, nisi ad finem societatis communem eumque solum obtinendum; secus limites suos transgreditur et fit vel despotica, de subditorum libertate, bonis, moribus, religione arbitrio suo disponens, vel fit partium studiosa negligens iustitiam legalem, quae subditos modo aequali adiuvari vel protegi bonisque publicis vel oneribus affici iubet.

Bonum igitur commune est tota ratio auctoritatis eiusque mensuram et limites determinat. Quamvis autem auctoritas in se una esse debeat, sicut ipsa societas, non tamen requiritur, ut eius subiectum quoque sit unum, modo ne multiplicitas subiecti unitatem auctoritatis destruat. Ubi igitur summa potestas penes collegium est, ut in republica, semper tamen unus omnium habetur *praesidens*, ut unitas auctoritatis publicae etiam ad extra appareat.

§ 3. Activitas socialis.

In activitate sociali, sicut in individuali, distingui potest eius *principium, finis, norma.*

a) Si *principium* spectatur, dicendum est, eius *principium quod* esse totam societatem concrete spectatam, ut est *persona moralis*, sicut persona physica est ultimum principium quod omnis activitatis humanae. *Principium quo* autem eius duplex distinguitur: *primarium* est auctoritas in societate constituta, cuius est actiones membrorum omnium excitare et dirigere; *secundarium* est ipsum corpus sociale, quod est subiectum totius actionis socialis. Propterea etiam responsabilitas actionis socialis toti quidem societati convenit, primarie autem superiori eius, membris vero singillatim spectatis secundarie, in quantum responsabiles sunt, ac proinde culpa et poena afficiuntur, quantum ipsi *ex reflexione* et *libera voluntate* actum socialem ponebant. Magni igitur est momenti, ut superiores societatum atque directores sint mente bene formati et voluntate honesta praediti, ut tota societas salva ac sana esse possit. Unde Plato postulat, ut in statu suo ideali philosophi iique aetate provecti et vitae honestate probati gubernium habeant idque solum pro certo tempore, ne potestate ipsa corrumpantur. Princeps enim et superior non habet ius dominii, sed *iurisdictionis;* non est dominus in sensu proprietatis, ut possit facere, quid velit rebus suis, sed est solum administrator bonorum civium sive subditorum.

b) Si *finis* actionis socialis spectatur, duplex distinguitur: *immediatus sive proximus*, et *mediatus sive ultimus.* Immediatus et proximus est salus ipsa societatis i. e. bonum illud commune, propter quod societas constituta est. Est igitur bonum aliquod *externum*, quod omnibus patet; nam bona interna qua talia directe per societatem et auctoritatem humanam attingi et effici non possunt, unde illud: „De internis non iudicat praetor“ [1]). Quare etiam media ad

[1]) Cfr. Lehmkuhl, Das bürgerliche Gesetzbuch des Deutschen Reiches. 1900⁴⁻⁵, p. X sq., 31 sq.

finem prosequendum adhibenda debent esse saltem directe externa, e. g. leges *externe promulgatae*, statuta scripta vel impressa, tributa solvenda, sacramenta ecclesiae; functionarii ad leges exsequendas constituti; indirecte tamen intellectum et voluntatem ipsam afficiunt, siquidem agitur de activitate subiectorum moralium. Numquid igitur auctoritas societatis civilis non in conscientia obligat? Certe, sed non vi sua, sed vi legis naturalis, ex qua vim suam derivat (cfr. supra p. 114). — Finis mediatus et ultimus est ille, cui omnes actiones humanae subordinari debent, ac proinde etiam sociales, quae et ipsae sunt actiones singulorum membrorum societatis. Hic autem finis ultimus subiective spectatus est felicitas perfecta subditorum futura, obiective spectata est gloria Dei formalis (cfr. supra p. 77). Nulla igitur civitas potest finem habere proximum socialem, qui non possit ultimo subordinari, neque media (leges, instituta) adhibere, quae huic repugnent; esset enim societas immoralis neque in conscientia obligare posset.

Numquid igitur societas quaevis humana e. g. societas actionum sive productiva sive consumptiva semper de fine ultimo cogitare debet? Nonne videtur hoc esse absurdum et experientiae repugnare? Sed distinguenda est subordinatio sub ultimo fine explicita sive actualis et implicita sive virtualis, habitualis vel etiam interpretativa (cfr. supra p. 77). Non requiritur quidem subordinatio actualis et explicita, quamvis haec certe per se non negligenda esset, si homines revera sunt religiosi et salutis aeternae studiosi. Attamen saltem implicita requiritur subordinatio, etiamsi solum sit interpretativa, ita ut in fine societatis constituendae et mediis adhibendis nulla appareat repugnantia cum legibus morum vel religionis; secus enim non liceret. Quodsi agitur de societate moraliter necessaria, ut est e. g. societas domestica et civilis, a priori constat de eius conformitate cum lege naturali, siquidem lex ipsa naturalis eam quasi imponit; si vero agitur de aliis societatibus his subordinatis, earum liceitas vel honestas iam saltem a posteriori i. e. ex experientia constat, quia fini societatis civilis vel familiae sunt conformes e. g. societates literatorum, actionum, agricolarum, operariorum, modo ne sint socialisticae, quarum finis ordini naturali repugnat. Quare hae societates in genere indigent approbatione auctoritatis civilis et eius inspectioni per leges ipsas obnoxiae sunt; licet auctoritas publica in hac re nonnunquam deficiat, sive per excessum prohibens societates, quae saluti publicae valde prosint, e. g. societates religiosae a nonnullis civitatibus expulsae (Jesuitae in Germania, congregationes omnes in Gallia), sive per defectum non vetans societates saluti verae valde nocivas, ut sunt sectae massonicae moribus et religioni insidiantes, vel associationes capitalistarum, quae lucri gratia pretium rerum necessariarum nimis augent (Trusts).

c) Norma autem actionis socialis quae est? Duplex distinguenda est: subiectiva sive logica et obiectiva sive ontologica, sicut etiam in omni actione individuali (cfr. supra p. 75). *Subiectiva* est ipsa natura societatis, quae est principium ultimum activitatis. Quemadmodum igitur natura rei e. g. hominis est norma proxima logica activitatis eiusque leges continet, ita etiam natura societatis legem suae activitatis in se concludit. Profecto, alia est civitas domestica, alia civilis, alia productiva, alia consumptiva, ac proinde alias requirunt activitates aliasque leges operandi. — Attamen quum natura societatis dependeat a fine suo, qui eius est forma, ita etiam *norma obiectiva, ontologica* est eius activitatis. Quicunque igitur ita operatur, ut fini societatis sive civilis, sive domesticae, sive literariae, sive cooperativae etc. sese conformet, socialiter bene agit, secus male. Natura igitur societatis eiusque finis normam *adaequatam* activitatis socialis constituunt, sicut etiam natura humana eiusque finis completam normam moralitatis individualis constituunt (cfr. supra p. 80 sq.). In *praxi* autem normae societatum sunt ipsae earum leges sive statuta, in quantum neque legi morali repugnant neque legibus positivis honestis, quae quidem leges ex natura et fine societatis fluunt.

§ 4. Divisio societatum.

1. Ratione *originis* distinguitur: Societas *naturalis* et *libera*; naturalis est, quae non solum ex aliqua inclinatione nostra sociali oritur; nam hoc sensu omnes fere societates essent naturales; sed quae modo specifice determinato a natura ipsa sociali requiritur; tales societates sunt societas domestica et civilis seu politica. — Libera est societas, quae ex voluntate humana individuali oritur, ut societates literariae, oeconomicae, operariorum, agricolarum, mercatorum etc. Sunt tamen societates, quae ex parte naturales, ex parte liberae sunt, ut est societas coniugalis inter virum et feminam; societas religiosa etc.

2. Ratione *constitutionis* distinguitur: societas *simplex* et *composita*; illa non constat ex aliis societatibus, e. g. societas coniugalis; haec autem ex aliis simplicioribus organice coalescit ad modum corporis ex membris suis, ut societas domestica ex coniugali, filiorum et servorum; societas civilis ex permultis illis societatibus, quas hodie continet.

3. Ratione *amplitudinis* distinguitur: societas *universalis* et *particularis*; universalis per se esset totum genus humanum, licet hoc sensu proprio societas *in se una* vocari nequeat; sensu proprio societas universalis ea est, quae in se una est atque per totum orbem terrarum diffusa. Talis nulla est praeter ecclesiam *catholicam*, sic iam veteribus et adhuc hodie ab omnibus vocatam, quae ex natura sua et institutione divina determinata est ad omnes homines complectendos. Societas universalis sensu aliquo speciali etiam vocari potest unio vel foederatio quaedam statuum, ut sunt Status uniti

Americae. Societas particularis est, quae sola per se exsistit, ut societates in genere sunt.

4. Ratione *finis* distinguitur societas *completa* et *incompleta*. Completa est, quae omnia ad finem necessaria in se habet, ita ut ex natura sua non sit ordinata ad aliam, neque intrinsecus neque extrinsecus ab alia dependeat. Talis societas est civilis et ecclesiastica [1]). Imperfecta est, quae ex natura sua alii est subordinata eaque indiget; sic omnes aliae societates. Potest autem esse societas intrinsecus quidem independens, non tamen extrinsecus, si eius perfectio naturalis spectatur. Talis est familia, quae etiam ante et extra civitatem obtinet finem suum principalem, attamen perfecte solum in civitate.

5. Ratione *dependentiae* distinguitur *dependens*, quae ab alia dependet sive simpliciter, ut sunt societates per legem constitutae, „personae iuridicae", quae sunt iuris publici; sive per accidens, in quantum per leges permittuntur, et sunt iuris privati, e. g. societates anonymae (G. m. b. H.). — Societas independens est, quae neque simpliciter neque per accidens ab alia dependet, sed plene sui iuris est, ut est societas civilis et ecclesiastica. Haec igitur divisio cum priore quasi coincidit.

Caput II: De societate in specie.

§ 1. De societate domestica.

Societas domestica ea est societas naturalis, in qua plures ad vitam quotidianam simul agendam coniuncti sunt [2]); vocatur familia sensu strictiore, in quantum non cognati in genere significantur, sed solum in eadem domo habitantes. Materia igitur huius societatis sunt plures homines utriusque sexus inter se certo modo dependentes; forma est vita communis agenda in eadem domo, in qua communitate bonum omnium membrorum familiae consistit. Continetur autem familia per auctoritatem patris familiae, qui est proprie dominus omnium bonorum et activitatem singulorum membrorum determinat. Per hanc formam suam et auctoritatem familia differt a civitate, quare ius Romanum sensu iuridico familiam vocat societatem eorum, qui sub auctoritate paterna sunt. Vocatur societas *naturalis*, quia familia non ex plena libertate ad fines particulares

[1]) Ita Leo XIII in encyclica „Immortale Dei" 1885 (de civitate christiana): „Ecclesia . . . societas est genere et iure perfecta, cum adiumenta ad incolumitatem actionemque suam necessaria, voluntate beneficioque conditoris sui, omnia in se et per se ipsa possideat". [2]) Arist. Polit. I, 2; s. Thomas, In Pol. I, 1, 2. Cfr. etiam de re oecon. I, 4, qui liber non est Aristotelis, eius tamen doctrinam redolet, porro Xenophon, oeconom. c. 7.

constituitur, sicut societas actionum sive productiva, sed ipsa natura duce et quasi necessitante, ita ut ubique terrarum et omnibus temporibus inveniatur. Familia autem iterum in genere coalescit ex tribus societatibus; ex societate *coniugali, parentali, herili*, quae societates singulae considerandae sunt, ut inde tota natura societatis domesticae innotescat.

Art. 1. De societate coniugali sive de matrimonio.

Quum societas coniugalis fundamentum sit societatis domesticae, oportet diligentius de ea tractemus, eius investigantes *naturam, necessitatem (exsistentiam), proprietates*.

I. *De natura societatis coniugalis (sive de eius causa materiali et formali).*

1. *Definitio.* Societas coniugalis sive matrimonium [1]) est coniunctio legitima atque stabilis viri et feminae ad homines gignendos et educandos.

a) *Materia* igitur sive subiecta huius societatis sunt individua humana eaque diversi sexus, quae diversitas tum in constitutione corporis, tum in indole et dispositione animi sese manifestat.

b) *Forma* societatis coniugalis est eius *finis*, qui distinguitur primarius et secundarius. *Primarius est* [2]), omnibus fatentibus, iterum duplex: *generatio* prolis humanae eiusque *educatio*, sine qua genus humanum vel non exsistere, vel saltem modo humano exsistere non posset; generatio est enim post creationem primorum hominum unicum medium ad homines procreandos (cfr. vol. II, p. 425 sq.), et educatio est unicum medium, quo infantes ad perfectionem naturalem tum corporis tum animi perveniunt, ut historia infantium expositorum docet [3]).

Finis autem *secundarius* etiam duplex habetur: Mutua coniugum *amicitia* [4]) *subsidiumque* in omnibus vitae necessitatibus et periculis tum materialibus ad vitam (per nutrimenta, vestimenta, habitacula, bona externa etc.) honeste sustendandam, tum spiri-

[1]) Matrimonium, quod potius a matre nomen accepit, quia ipsa maxime onus, dolorem et laborem generationis et educationis sustinere debet, a s. Thoma praeeunte Petro Lombardo definitur: „Viri mulierisque coniunctio maritalis inter legitimas personas individuam vitae consuetudinem retinens" (Lomb. 4 dist. 27 c. 2). A iure Romano definitur: „Consortium communis vitae et communicatio divini et humani iuris" (L. 1 D, de ritu nupt. 23, 2). Quae definitiones eandem rem secundum diversos respectus exprimunt. Germana vox „Ehe" derivatur ab êwa, ewe, ê, quod secundum alios „aevum" (αἰών), secundum alios (Bund) „foedus" significat.

[2]) Cfr. S. Thom. Suppl. qu. 44, a. 1—3. Doctor Angelicus ibidem qu. 41—68 totam de matrimonio doctrinam fuse explicat. [3]) Cfr. Gutberlet, Der Mensch l. c.

[4]) Cfr. S. Thomas c. gent. l. III c. 123.

tualibus, ut sese mutuo confortent et consolentur, ut alter alterius defectus quasi suppleat, siquidem tota indoles feminae corporalis et spiritualis (cordis et affectus) ordinata est ad indolem viri complendam et vice versa. Unde illud s. Scripturae: Erunt duo in una carne (I Mos. 2, 24; I Cor. 6, 16), quae est summa amicitia. — Alter effectus secundarius est remedium contra *concupiscentiam*, ut homines hunc instinctum vehementissimum, eis cum brutis communem, non modo brutorum i. e. promiscue, sine ordine et freno, sed cum temperantia modoque homine spirituali digno obtemperent iuxta illud: „Sub te erit appetitus eius, et tu dominaberis illius" (I Mos. 4, 7).

c) Quum autem omnis societas debeat esse ordinata per aliquam *auctoritatem* in se unam, efficacem, moderatam (cfr. supra p. 362), haec auctoritas, omnibus fatentibus et legibus omnium gentium ita definientibus, est penes virum, quippe qui et viribus corporis et animi in genere praestet. Haec tamen auctoritas non constituit dominium absolutum, tum quia orta est ex libera conventione inter virum et feminam, tum quia nullus homo in alium tale dominium habere potest. Debet igitur temperari per mutuam *aestimationem et caritatem*, ita ut femina in omnibus, quae vir *iuste* et *honeste* postulaverit, ei obediat, ne ordo et pax familiae et liberorum educatio pessumdetur, vir autem feminam ut infirmiorem et educatione liberorum maxime aggravatam *diligat* atque *foveat* iuxta illud Apostoli: „Qui suam uxorem diligit, se ipsum diligit" (Eph. 5, 28).

Proprietates potissimae societatis coniugalis sunt eius *stabilitas*, quae et *unitatem* et *indissolubilitatem* matrimonii supponit, eiusque *legitimitas*, de quibus infra sub III plura dicentur.

Coroll.: De relatione inter viros et feminas. Ex hac matrimonii natura apparet, uxorem neque ut servam neque ut dominam mariti habendam esse: *non ut dominam*, siquidem et viribus et indole animi a natura magis ordinata est ad obsequium praestandum, indiget ut infirmior tutela viri, mitior animo atque suavior ad officia domus et liberorum educationem magis apta est quam ad negotia publica gerenda, quare uxor ubique apparet viro subdita, nisi quaedam circumstantiae adsint extraordinariae (Eph. 5, 22—24; I Cor. 11, 3 sq.; Col. 3, 18), et testatur historia, signum esse morum lapsorum, si mulieres se immiscent negotiis publicis praesertim politicis [1]). Nihil tamen prohibet, quominus feminae, praesertim si sunt solutae, res suas publice agant, et munera quaedam publica, ipsorum indoli consona, exerceant, e. g. in infantibus educandis et puellis edocendis, in aegrotis curandis, in operibus caritatis exercendis, in *quibusdam* officis mercaturae, industriae (Fabrikarbeiterin u Inspektorin), vel commercii publici (Post-, Eisenbahn-, Telegraphen-Wesen) praestandis [1]). — *Neque ut serva* uxor habenda est, quemadmodum fuit apud veteres fere omnes gentes, praesertim ubi polygamia in usu erat. Idem dicendum est de gentibus hodiernis barbaris, apud quas uxori omnes fere labores incumbunt a viris neglecti et despecti; imo uxores dimittere, vendere, interficere possunt impune; idem etiam locum habebat apud veteres Germanos [2]). Multo minus uxores solummodo libidinis causa habendae sunt; tunc enim quasi ad bruta deprimuntur, ut apud multas gentes barbaras [3]). Sola religio christiana dignitatem mulieris eiusque ad virum rectam relationem constituit (I. Mos. 2, 18—25; Ephes. 5, 22—33), docens, mulierem eandem habere ac virum originem ex Deo, eandem naturam humanam, eundem finem ac proinde eius esse *sociam* vitae eique aequalem quoad iura et officia mere humana et personalia, licet haec iura et officia pro eius natura et indole alia sint ac viri (Gal. 3, 28), et in hac diversitate ordo familiae et societatis potissimum consistit. Praesertim vero per votum virginitatis ecclesia ostendit, mulieris perfectionem totam sive praecipuam non esse in coniunctione cum viro, sed cum Deo; haec est vera et summa feminarum „emancipatio," i. e. liberatio ex „manu" sive dominio viri [4]).

2. *Origo societatis coniugalis sive de eius causa efficiente:*

a) Foedus matrimoniale in genere praecedunt *sponsalia* [5]), quibus sponsi sibi coram testibus sive etiam soli, signo quodam (anulo) dato, promittunt, se matrimonium statuto tempore inituros esse. Apud nonnullas gentes est vel erat mos, ut pater sponsae pro ipsa sponderet, supposito consensu sponsae, et in signum sponsionis donum aliquod vel etiam pretium a sponso acciperet. Olim enim apud plerasque gentes, sicut etiam hodie apud gentes barbaras, uxores emebantur a parentibus, ita ut quasi in proprietatem sponsi transirent. Quamvis sponsalia non de essentia matrimonii sint, decet tamen ea huic foederi omnium gravissimo praemittere. Sponsi tenentur ex *fidelitate* sibi fidem servare; et sponsalia in facie ecclesiae sunt impedimentum, quod ex mutuo consensu vel ex iudicio ecclesiastico removen-

[1]) Cfr. Aristoteles, politica, I, 12 et 13; II, 19 vituperans Lacedaemones propter mulierum dominium. Weiss, Apologie des Christentums, I³, p. 342 (9. Vortrag). Grupp, Kulturgeschichte der römischen Kaiserzeit, I, p. 117. Rösler, Die Frauenfrage, 1907², p. 137 sq.

[1]) Cfr. Rösler, l. c. p. 106 sq. Rösler-de Rochay, La question féministe 1899; Herder, Konversationslexikon: Art. Frauenbewegung. Deploiye, L'émancipation des femmes, 1902; Cathrein, Die Frauenfrage, 1901. Moralphilos., II, 421 sq. Koch, Lehrb. d. Moraltheologie, 1907², p. 645 sq.

[2]) Cfr. Tacitus, Germ. 8, 15; Weiss, l. c. p. 325.

[3]) Aristoteles (de re publ. I, 2): „Apud barbaros femina et servus eodem sunt ordine et loco." Seneca (Const. sap. 14) de muliere: „Aeque impudens animal est et nisi scientia ac multa eruditio, ferum, cupiditatum incontinens". Vide alia veterum effata certe nimis dura et iniqua de mulieribus apud Grupp l. c. p. 117; Weiss, l. c. p. 316 sq. Hettinger, Apologie d. Christentums, 19. Vortrag: Kirche u. Bildung. Etiam aliqui recentes naturam et dignitatem feminae parum aestimare videntur, ut P. J. Moebius, Über den physiol. Schwachsinn des Weibes, 1906⁸, aliique; cfr. Rösler, l. c. p. VIII sq.

[4]) Cfr. Gnauck-Kühne, Die deutsche Frau u. die Jahrhundertwende, 1907², p. 145, 151 sq. Rösler, l. c. p. 199. Koch, l. c. p. 645 sq.; idem Tüb. Quartalschr., 1897, p. 419. [5]) Cfr. S. Theol. suppl. qu. 43 tota.

dum est, ut licite quis fidem datam retractare et aliud coniugium inire possit.

Lex civilis (BGB.), sicut Romanum, sponsalia non habet tanquam impedimentum alterius coniugii, concedit autem sponso derelicto, ut infra duos annos exigat restitutionem donorum sponso infideli datorum, necnon damni materialis et immaterialis passi et expensorum propter sponsalia forte factorum, nisi gravis ratio hunc excuset (§§ 1297—1302). — Post sponsalia sequuntur ex lege ecclesiae (conc. Later. 1215) proclamationes seu banna ter diebus dominicis vel festivis sibi successivis a parocho vel eius delegato in ecclesia in summo sacro facienda, a quibus solus episcopus dispensare potest, ut matrimonium occultum fiat. Infra 4 menses post banna matrimonium ineundum est; secus banna repetenda sunt, sine quibus matrimonium valide quidem, sed non licite fieri potest. — Etiam lex civilis per duas hebdomadas proclamationem scriptam in domo officiali magistratus praescribit, quae post sex menses, nisi matrimonium interim factum est, repeti debet. Potest tamen a gubernio ab ea dispensari, praesertim in periculo mortis, sicut et tunc sine matrimonio civili ecclesiasticum fieri potest (BGB. §§ 1316, 1322).

b) *Matrimonium* igitur oritur per contractum sive explicitum sive implicitum, qui fit inter sponsum et sponsam vel eorum parentes pro more gentium, illis tamen consentientibus, quo se mutuo tradunt quoad corpus et animam ad perfectam vitae communitatem. Materia contractus primaria est *corpus contrahentium* ipsum in ordine ad generationem, secundaria est *animi dispositio* ad mutuam amicitiam omnium maximam, ad mutuam cooperationem et cohabitationem in domo communi. Quodsi materia primaria deficit e. g. si persona aliqua est *physice impotens* ad generandum haecque impotentia praecedit contractum, contractus invalidus est neque fit matrimonium. Idem dicendum est, si persona *moraliter impotens* est e. g. propter impedimenta dirimentia a legibus civilibus et ecclesiasticis statuta (de quibus infra plura dicentur). Forma contractus est ipse *consensus* [1]) et traditio mutua actualis potestatis moralis et physicae in corpus et animum contrahentium in ordine ad generationem et cohabitationem. Qui consensus, ut in omni contractu (cfr. supra p. 344), debet esse a) *externus*, ita ut de ipso constare possit. Quare fit signo quodam e. g. anulo digito uxoris imposito, vel manibus datis coram testibus, et apud omnes gentes tum christianas tum paganas hic actus ritibus quibusdam religiosis peragitur. b) Debet esse *verus* i. e. internus; secus saltem ex iure naturali et in foro interno conscientiae non fit matrimonium, licet in foro externo usque ad probationem contrarii supponatur. c) Debet esse *liber*, siquidem forma contractus coniugalis est consensus, qui sine libertate non adest. Potest autem deesse libertas: α) per defectum *reflexionis* in homine ratione vel semper vel hic et nunc privato; deficit enim forma contractus; β) per *errorem*, si quis de ipsa persona uxoris vel mariti errat, putans esse aliam; hic error est de substantia rei; deficit enim debita materia ac proinde irritat contractum; non autem error de qualitatibus accidentalibus vel de dote sponsi sive sponsae, siquidem finis primarius non impeditur; γ) *per violentiam illatam*, siquidem tunc deficit consensus internus ac proinde verus, licet externus adsit; δ) per metum extrinsecus et iniuste incussum, ex eadem ratione [1]).

[1]) Cfr. S. Theol. Suppl. qu. 45—48.

Coroll. I. De officiis et effectibus contractus coniugalis : Quum societas matrimonialis ex mutuo contractu orta sit, quo uterque coniux potestatem in corpus suum alteri tradit, patet: a) sine hac traditione coniugium fieri non posse, siquidem deficeret materia proxima; b) non tamen requiri ad essentiam matrimonii *usum actualem* huius contractus, siquidem nemo cogitur uti iure suo; inde est quod etiam matrimonia illa vera sint atque valida, in quibus coniuges abstinent ab actu coniugali (Josephsehe); c) teneri utrumque coniugem, alteri serio et moderate poscenti reddere debitum, siquidem ius habet, nisi per accidens excusatur sc. propter damnum grave inde timendum vel propter modum illicitum concubitus (I Cor. 7, 4 sq.); d) eum coniugem, qui cum alia femina sive soluta sive nupta coeat, adulterium committere i. e. non solum contra castitatem graviter peccare, sed etiam contra iustitiam, quia quod coniugi suae tradidit per contractum, ipsa inscia et invita alteri concedit; neque alterutra pars hoc permittere potest, cedendo iuri suo, quia ex natura contractus maritalis nemo habet potestatem iusque in corpus coniugis, nisi in ordine ad usum *proprium;* unde adulterium apud omnes gentes crimen habetur et saepe morte punitur [2]); e) peccare coniuges contra finem matrimonii et contractus sui, si abutuntur coniugio i. e. si frustrant actum coniugalem effectu suo naturali (per onaniam vel sodomiam). Neque mutuo consensu hoc facere licet, siquidem finis primarius matrimonii a natura ipsa constitutus est, sine quo alii fines i. e. secundarii non permittuntur. Neque enim licet, ex *sola delectatione* ad morem brutorum coire, et bruta ipsa, natura duce, finem coitus nunquam frustrant. Quae quidem matrimonii frustratio hodie, pro dolor, in omnibus gentibus „cultis" nimis frequens est, maxime vero in Gallia, ita ut populatio tandem decrescat (cfr. supra p. 20). Rationes huius vitii potissimae sunt vel particulares: numerus prolis, apud pauperes difficultas nutriendi multos liberos, apud divites timor, ne patrimonio nimis diviso, familia ex statu suo decidat; vel communes sc. luxuria et mollities per „culturam" insanam continue crescens et fides religioque paulatim decrescens.

Iam apud veteres fuerunt, qui censerent, numerum prolis, crescente populatione, arte vel etiam lege esse restringendum: ita vel ipse Plato in

[1]) Hae rationes matrimonii invalidi vel sententia iudicis invalidiandi etiam in BGB. habentur §§ 1324—1347; confer tamen notas a Lehmkuhl ratione iuris ecclesiastici sapienter additas; porro Hollweck, Das Zivileherecht des BGB., 1900. [2]) Ita iam codex Hammurabi (§ 123) adulteram eiusque seductorem in aqua immergi, lex Mosaica eos lapidari iubet. Cfr. Aristot. de re polit. VII, 16; de re oeconom. I, 4, qui liber, si non est Aristotelis, eius tamen redolet doctrinam.

statu suo ideali et Aristoteles post Philolaum Thebensem[1]. Idem mos apud gentes barbaras saepe viget, si nutrimento egent vel liberis in itineribus suis impediuntur; praesertim vero puellae occiduntur, utpote minus aptae ad gentem defendendam. Nostris saeculis praesertim *Malthus* († 1834)[2] periculum populationis nimiae exposuit, docens, populationem ratione geometrica crescere, nutrimenta autem ad summum arithmetrica i. e. multo minus, unde deduxit necessitatem prolis arte diminuendae, utique per liberam abstinentiam. Sed hominum, praesertim irreligiosorum, considerata infirmitate, haec libera abstinentia in genere obtineri nequit, quare vitium „Malthusianum“ sic dictum et „systema duorum liberorum“, imo infanticidium et abortus facile irrepit. Addendum tamen est, hoc vitium saepius in familiis divitum quam pauperum operariorum inveniri, quorum proles saepe numerosa est, quo facto „lex Malthusii“ ex parte saltem refutatur[3].

Coroll. II. *De natura specifica contractus coniugalis:* Notandum autem est, contractum matrimonialem esse sui generis et ab aliis conventionibus valde distinctum: a) *Origine*, quia quamvis libere fiat, attamen natura ipsa quasi instigante oritur sc. ex dispositione speciali naturae individualis sponsorum. Deus enim, auctor naturae et maxime rerum humanarum providus rector, sponsos lege sua aeterna ad invicem ordinavisse supponitur, quum ex familiis salus publica inprimis dependeat. Sponsorum igitur est, libidini obtemperare seque examinare necnon preces adhibere et consilia parentum audire, ut se a Deo ad matrimonium ineundum ordinatos et vocatos esse intelligant. Quibus rebus ommissis non mirum est, quod tot matrimonia ex libidine vel sola utilitate contracta non sint felicia[4]. b) *Materiâ*, quia materia non est quidquam ab homine ipso distinctum, ut in aliis contractibus, sed est quasi ipse homo tum quoad corpus tum quoad animum, utique respectu generationis et vitae communis. Accedit, quod sponsi ante ipsum contractum matrimonialem non habebant potestatem saltem moralem in

[1] Aristoteles, polit. VII, 16.

[2] Essay on the principles of population 1798; 1872⁷; cfr. Koch, Lehrb. d. Moraltheologie, 1907², p. 635, ubi plures invenies de hac re auctores citatos. Similiter, licet non idem, sentiunt multi scientiae oeconomicae periti, ut Roscher, Rümelin, A. Wagner, Schaeffle, Elster (Wörterb. etc. Art. Bevölkerungswesen). Cfr. Philos. Jhrb., 1894, p. 473; L. Stimmen, B. 46, p. 469 sq.

[3] Etiam apud nos in Borussia numerus natorum *relative* ad populationem et matrimonia inita decrescit. Ita numerus natorum (etiam mortuorum) erat anno 1901 = 1301 191; 1902 = 1 295 914; 1903 = 1 274 666; 1904 = 1 264 534. — Porro statistica publica docet pro millenis (1000) habitantibus haberi natos viventes:

In Borussia:	In urbe Berolini:
1876 = 40,90	1876 = 46,00
1900 = 36,98	1900 = 28,37
1901 = 36,52	1901 = 26,63
1902 = 35,85	1902 = 25,53

Pro millenis habitantibus erant matrimonia: 1876 = 17,2; 1901 = 16,7; 1902 = 16,1; 1903 = 16,0; 1904 = 16,0. Cfr. Marx, Der Kampf gegen die öffentliche Unsittlichkeit, 1907 (Charitasschriften Nr. 18).

[4] Lege Schiller: Die Glocke; cfr. Tobias c. 6—9.

corpus suum; non enim ipsis antea licebat actus coniugalis. Tradunt igitur rem, quae non est in eorum potestate, nisi in contractu matrimoniali et per eum. c) *Formâ*, quia consensus in matrimonium ineundum ubique maxime solemnis est et ut res sacra habetur, quae etiam apud nationes paganas coram sacerdotibus, precibus et sacrificiis adhibitis, peragebatur; in ecclesia Christi vero contractus matrimonialis est sacramentum, quod nonnisi coram parocho vel eius delegato et testibus valide confici potest. d) *Effectu*, quia matrimonio legitimo familia constituitur, quae est fundamentum societatis; per ipsam genus humanum conservatur, regeneratur, perficitur, quare contractus matrimonialis, licet naturam contractus veri habeat, attamen propter naturam, finem, circumstantias suas ab omnibus aliis specie differt.

II. *De necessitate societatis coniugalis.*

Societatem coniugalem hodie exsistere et necessariam esse ad genus humanum conservandum, a nemine in dubium vocatur. Alia autem est quaestio, utrum in iure naturae fundetur, an ex alia causa orta sit. Ostendimus igitur, eam ex nullo alio fonte nisi ex ordine morali naturali derivandam esse. Triplex autem ab auctoribus matrimonium distinguitur: legitimum, ratum, consummatum. *Legitimum* vocatur, quod secundum leges naturae fit abstractione facta a religione christiana; *ratum* vocatur matrimonium, quod initur secundum leges christianas copula maritali nondum peracta, et est sacramentum; *consummatum* est, quod sive naturale sive christianum copula coniugali confirmatum est[1]. Patet, nobis in philosophia morali inprimis et per se sermonem esse de matrimonio legitimo; de rato autem et consummato saepius per accidens tractabitur.

A. *Historia quaestionis*[2].

1. Iam antiquitus fuerunt, qui matrimonium non ex iure naturali, sed ex hominum primorum libidine deducerent, qui ad modum brutorum de glandibus et mulieribus dimicassent et sine ordine et lege coissent; sic iam Horatius[3] et Lucretius[4]. Quam sententiam *Hobbes* restauravit, docens, primos homines sub nullo iure fuisse, sed ius fortioris viguisse, ut qui fortior fuerit, sicut alias res, ita etiam mulieres legitime occupaverit. Post ipsum *Rousseau* similem „statum naturae“ fingebat, in quo primi homines in pace et innocentia vixissent, neque stabilis coniunctio inter virum et feminam fuisset. Hanc autem coniunctionem paulatim per leges vel mores stabilem esse factam.

[1] Distinguitur etiam matrimonium *morganaticum*, quod est verum matrimonium inter virum nobilem et feminam ignobilem ea lege, ut uxor eiusque liberi non sint heredes proprii patris, sed solum donum aliquod (Morgengabe) accipiant. Vocatur etiam matrimonium salicum, quia legibus salicis inductum est (Trauung linker Hand).

[2] Cfr. Rösler, l. c. p. 148 sq.

[3] Sat. I, 3. [4] Lucretius V, 923.

Quorum sententiam recentiores Darwinistae et Evolutionistae suam faciebant, inprimis *Spencer, Lubbock, Morgan, Ploss, Kohler, Gothein, Schaeffle, L. Stein, Fr. Schultze* aliique multi[1]). Rationes autem, quas adducunt, potissimae sunt: a) Aliqui affirmant, apud gentes maxime barbaras matrimonium non inveniri (Lubbock); 2. alii dicunt, apud gentes nonnullas vel matrimonia non sancta custodiri, vel iuvenibus ante matrimonium omnia licere, id quod statum aliquem primitivum moralem ostendat; 3. nonnullas gentes non habere diversas voces ad virgines et mulieres designandas; 4. apud aliquas gentes barbaras morem vigere, hospitibus mulieres et filias offerendi; 5. aliquibus locis „ius maternum“ exsistere, simul cum gynocratia saepe coniunctum, sc. liberos matris, non patris, nomen assumere et fratrem matris patrem vocare eiusque heredes esse; hanc sententiam „matriarchatus“ post *Bachofen*[2]) et *Giraud-Teulon*[3]) multi amplectebantur, rati hoc ius matris explicari non posse, nisi in sententia concubitus promiscui, in quo certus pater cognosci non posset.

2. Sed hae rationes omnes nihil evincunt; nam 1. hodie apud omnes constat, non esse ullam gentem, in qua non sit matrimonium plus minus stabile, non vero sexuum promiscuitatem; ita testantur ethnographi, Evolutionismo minime infensi, e. g. Hellwald, Grosse, Ratzel etc.[4]). 2. Ex vitiis aliquarum gentium barbararum non potest deduci, illa vitia esse statum primitivum ipsius generis humani; nam primum esset universalisatio illegitima: aliqui, ergo omnes; deinde constat, gentes barbaras saepe meliores mores antea habuisse et esse ad immoralitatem delapsas[5]).

Similiter posset quispiam ex vitiis fornicationis et adulterii hodie grassantibus deducere, generationem nostram iterum statui primitivo moralitatis proximam esse. Denique constat, apud multas gentes barbaras virgines severius, quam apud nos, custodiri et a conversatione cum iuvenibus arceri, et fornicationem, praesertim vero adulterium, poenis gravissimis, imo etiam morte puniri. — Voces diversas pro virginibus et uxoribus non in omnibus linguis adesse, non probat, hoc discrimen non adfuisse; nam teste Aristotele Graeci non habebant nomen proprium pro matrimonio, neque Galli hodie nomen proprium pro viro (l'homme et viros et mulieres potest significare). Ad summum potest concedi, virgines qua tales apud gentes barbaras vix reputatas ac proinde nomine mulierum uxorum vocatas esse. — Quod mulieres hospitibus alicubi traduntur, non probat, nisi defectum sensus moralis in aliquibus gentibus, qui defectus idem etiam hodie apud gentes „civilisatas“ esse dicitur; nil igitur probat pro statu primitivo hominum. — Ius maternum ex multis rationibus ortum esse potest, praesertim vero ex polygamia, ut liberi eiusdem patris, sed plurium mulierum, dignitate plerumque distinctarum, dignoscerentur. Imo hoc ius maternum invenitur etiam apud gentes, ubi nulla sexuum promiscuitas, sed monogamia moresque severi habentur,

[1]) Cfr. W. Schneider, Die Naturvölker, II, 415. Cathrein, Moralphilosophie II, 385.
[2]) Das Mutterrecht 1861; 1897².
[3]) Les origines du mariage et de la famille 1884. Contra Gutberlet, Der Mensch, p. 411 sq. Froberger, Die Schöpfungsgeschichte d. Menschheit, 1903.
[4]) Cfr. Cathrein l. c. [5]) Cfr. supra p. 20.

unde ex rationibus specialibus, nobis non satis cognitis, ortum est. Quare hodie plerique, licet Darwinismo faventes, promiscuitatem primitivam ex iure materno deductam refutant, ut Peschel, Starke, Grosse, Westermark, Post etc.[1]).

B. *Vera sententia.*

Thesis XXIII: Matrimonium est institutio ordinis moralis naturalis.

St. qu. 1⁰ Ordo moralis naturalis ille est, qui dirigit actus nostros liberos secundum iudicium rationis ad finem nostrum verum ultimum, a Deo ipso, auctore naturae nostrae, constitutus et sancitus (cfr. supra p. 107 sq.). Matrimonium igitur, quod est coniunctio stabilis inter virum et feminam in ordine ad generationem et cohabitationem, dicitur esse secundum rationem et ad finem nostrum a Deo constitutum. Nondum expresse in hac thesi matrimonii unitatem et indissolubilitatem statuimus, sed solum quandam stabilitatem, quae post actum coniugalem certo tempore perdurat.

2⁰ Adversarii primum sunt illi, quorum doctrinam supra exposuimus, docentes, initio nullum fuisse matrimonium, sed promiscuum concubitum, neque stabilitatem matrimonii in eius natura fundari, sed paulatim ex moribus et legibus, crescente cultura, ortam esse; refutabimus igitur tum Evolutionismum tum Positivismum ethicum et historicum. — Deinde nobis adversantur quidam haeretici, qui non quidem concubitum liberum, sed matrimonium stabile in se immorale dicebant, ut quidam Gnostici et Manichaei, Encratitae, quia corpus ut materiam et fomitem peccati in se malum habebant. — Tertio refutantur Socialistae, qui „liberum amorem“ proclamant i. e. coitum promiscuum sexuum sine ulla lege ulloque ordine (cfr. supra p. 310). — Tandem eos refutabimus, qui necessitatem matrimonii exaggerantes, omnes homines affirmant debere matrimonium inire; ita antiquitus Rabbini, Jovinianus, Vigilantius aliique virginitatem christianam impugnantes; postea vero Lutherani censentes, secus neminem a peccato carnali abstinere posse.

I. *Matrimonium ut unio inter virum et feminam est institutio naturalis.*

Prob. 1. *Ex eius fine*[2]): Natura in necessariis non deficit. *Atqui* unio inter virum et feminam necessaria est, ne genus humanum pereat et ut homines ad perfectionem sibi debitam perveniant (cfr. supra p. 373). *Ergo* matrimonium est institutum naturale.

[1]) Cfr. Cathrein, Gutberlet, l. c.
[2]) Encyclica Leonis P. P. XIII 10. Febr. 1880: de matrimonio. S. Theol. Suppl. qu. 41, a. 1. Arist. de re polit. I, 2; de re oecon., I, 3. Cfr. Werner, Christl. Ethik, III, 521 sq.

2. *Ex eius universalitate:* Matrimonium hodie ubique terrarum invenitur, et historia docet, eam etiam temporibus remotissimis exstitisse legibusque tum civilibus (lege codicem Hammurabi), tum divinis (lege libros Mosaicos) esse ordinatum. *Atqui* quod semper et ubique invenitur, in natura ipsa humana fundatur, quae sola semper et ubique eadem est. *Ergo* matrimonium est institutio naturalis.

3. *Ex natura humana:* Constat, homines ita institutos esse atque organisatos, ut sexus habeatur tum virilis tum muliebris, et nisi causae quaedam accidentales adsunt (e. g. bella, occisio puellarum, vitia quaedam), numerus prolis masculinae et femininae in genere par est. *Atqui* hoc est signum manifestum, naturam ipsam sexum utrumque ita instituisse ad propagationem generis humani. — Atque hoc argumentum confirmatur per experientiam, quae docet, res organicas omnes hoc modo esse institutas ad species et genera plantarum et brutorum conservanda. *Ergo* matrimonium est institutio naturalis.

4. *Ex absurdis:* Nisi matrimonium esset a natura institutum, sed per mores et leges tandem introductum, sequeretur: a) non esse differentiam intrinsecam moralem inter concubitum promiscuum et matrimonium legitimum; b) eius initium temporale assignari posse; c) perfectionem matrimonii decursu temporis vi evolutionis historicae, oeconomicae, moralis maiorem semper factam esse; d) per mores et leges matrimonium iterum abrogari vel in essentialibus mutari posse. *Atqui* certe est differentia essentialis et intrinseca inter coitum promiscuum brutorum ex necessitate instinctus ortum et matrimonium humanum stabile et secundum normam rationis institutum; nullum tempus assignari potest, quo matrimonium ortum sit; semper enim erat ex tempore, quo homines erant, teste historia; neque eius perfectio semper crevit ratione culturae, siquidem temporibus antiquissimis maior saepe moralitas matrimonii et familiae puritas apparet. Denique nemo est, qui putet, moraliter possibile esse, matrimonium unquam per leges vel mores aboleri vel intrinsecus immutari, i. e. homines ad statum brutorum deprimi posse; esset enim ruina societatis ipsius humanae. *Ergo* matrimonium est institutio iuris naturalis.

II. *Matrimonium est etiam institutio moralis.*

Prob. 1. *Ex eius natura:* Ostendimus, matrimonium esse institutionem naturalem. *Atqui* institutio naturalis, dummodo finis et modus activitatis a natura intentus servetur, eo ipso est etiam moralis in homine, siquidem est secundum eius naturam simul organicam et rationalem et secundum eius finem adaequate spectatum. *Ergo* matrimonium est institutio moralis.

2. *Ex eius universalitate:* Quod ubique, legibus et civilibus et religiosis annuentibus, in usu est et erat, non potest moribus repugnare; secus conscientia hominum moralis periisset. *Atqui* matrimonium ubique honestum habetur et semper habebatur, etiam ab hominibus bene morigeratis. *Ergo* matrimonium est institutio moralis.

3. *Per exclusionem:* Si in matrimonio inesset aliqua inordinatio moralis, ratio esset: a) Vel defectus iustitiae et caritatis, ut Socialistae praetendunt, quia omnes homines omnibus aequo modo se tradere deberent. *Atqui* societas coniugalis omnino libera est et contrahentes eam sui iuris sunt, personae independentes; neque potest omnibus aequo modo amor coniugalis praestari; neque quisquam per hoc impeditur, ut socium sive sociam sibi aptam inveniat. Caritas autem debet esse ordinata pro hominum merito et incipit a se ipso. Accedit, quod, ut mox dicemus, talis concubitus promiscuus finem primarium et secundarium societatis coniugalis destrueret. *Ergo* per societatem coniugalem per se neque iustitia neque caritas laeditur. b) Vel ratio, cur societas coniugalis non liceret, essent motus concupiscentiae cum usu matrimonii coniuncti, sicut haeretici censebant. *Atqui* hi motus tunc solum moraliter mali sunt, si *inordinati* sunt i. e. si non ad finem matrimonii vel explicite vel implicite ordinantur, sed solum propter se ipsos quaeruntur, vel extra matrimonium legitimum, vel modo prorsus irrationali; non autem sunt moraliter mali, si *ordinantur* ad effectum naturalem matrimonii legitimi; imo sine ipsis vehementer sollicitantibus saepissime effectus matrimonii a natura primario intentus non haberetur, sicut cibus vix sufficiens a plerisque comederetur, nisi cum eo naturaliter gustus quidem iucundus sive delectatio organica coniuncta esset. *Ergo* matrimonium non malum efficitur propter delectationes sensitivas, sicut prandium per gustum dulcem ciborum non immorale redditur (cfr. supra p. 79, 87, 89 sq.)[1].

III. *Matrimonium est ex institutione sua naturali coniunctio stabilis.*

Prob. 1. *Ex eius fine:* Finis matrimonii primarius est propagatio et educatio generis humani, secundarius est ipsa nuptorum vita perfecta et tranquilla necnon remedium contra concupiscentiam inordinatam. *Atqui* hi fines sine matrimonii stabilitate obtineri non possent: a) Non *certa propagatio* generis humani; nam per concubitum promiscuum foecunditas mulierum et sanitas virorum mox in periculum adducerentur, siquidem concupiscentia in hominibus non regitur per instinctum, sicut in brutis, sed per rationem coercenda

[1]) Cfr. August. de bono coniugali, c. 8, 16; S. Theol. II, II, qu. 153, a. 2.

est; homo autem, ut ait Aristoteles, sine hac virtute continentiae est „animal sceleratissimum et immanissimum et ad res venereas cibumque profligatissimum" [1]. Continentia igitur saltem in eo esse debet, ut quis cum eadem uxore permaneat. b) Non posset esse *educatio* [2]; nam educatio hominis, praesertim animi, per multos annos (usque ad vigesimum fere annum) perdurat et interim alii iterum liberi nati sunt, ita ut unio inter parentes continua atque perpetua esse debeat. Et per hoc maxime homines differunt a brutis, quae quasi in statu perfecto nascuntur vel saltem post paulum temporis non iam indigent auxilio parentum. Inde est, quod etiam bruta e. g. aves, quorum proles diutius indiget auxilio, simul permanent [3]. c) Non posset esse *vita perfecta parentum,* siquidem sola cohabitatione viri et mulieris influxus ille mutuus exerceri potest, quo se exemplo et auxilio mutuo perficiunt et character quidem familiae ab aliis distinctus formatur, qualis in brutis nullus apparet. d) Neque *remedium concupiscentiae* haberetur, siquidem continua adesset sollicitatio ad coitum promiscuum, quae cohabitatione minor efficitur. e) Accedit, quod tunc homines continuo inter se de feminis decertantes, mox se ipsos interempturi essent, quum ratio eis media suggereret, quibus aemulos etiam fortiores perimere possent. Peiores igitur brutis essent solo instinctu ductis, nisi suam quisque haberet uxorem. Recte igitur ipsae leges civiles adulterium graviter puniunt *Ergo* stabilis haec coniunctio inter virum et feminam esse debet.

2. *Ex mutuo amore:* Experientia docet, tum inter virum et uxorem, tum inter parentes et liberos affectum amoris intercedere, qui non ex sola indigentia physica explicari potest, quia per totam vitam et etiam post mortem perdurat [4]. Tale autem quidquam in brutis non apprehenditur; nam si e. g. mares inter se dimicant, femina prorsus indifferentem se habet, nunquam mas suum defendit, sed sequitur illico victorem; vel mortuo mare alium continuo acceptat. Porro proles brutorum, ex quo ipsa se alere potest, quod in genere post paucos menses locum habet, deserunt parentes neque ulla remanet ad illos affectio; imo eos eodem modo, quo alia individua eiusdem speciei habent, eos vi repellentes vel etiam cum eis coeuntes, id quod apud homines, paucis exceptis, horror et crimen reputatur. *Ergo* haec affectio stabilis atque hominibus prorsus naturalis est signum manifestum, etiam coniunctionem inter virum et uxorem, sicut inter parentes et liberos, debere esse ex natura sua stabilem [5].

[1] Polit. I, 2.
[2] Cfr. S. Theol. II, II, qu. 154, a. 2.
[3] Cfr. S. Theol. II, II, qu. 154, a. 2.
[4] Cfr. Gutberlet, l. c. p. 426 sq.
[5] S. Thomas c. gent. III, 123.

IV. *Per se autem nemo tenetur matrimonium inire.*

Prob. 1. *Ex natura matrimonii:* Matrimonium oritur ex contractu tum physice tum moraliter libero; imo in nullo contractu tanta libertas requiritur, quanta in hoc, attentis obligationibus et oneribus suscipiendis. *Atqui* si quisque teneretur uxorem ducere, iam periret illa libertas. *Ergo* nemo tenetur matrimonium inire.

2. *Ex fine matrimonii:* Finis primarius matrimonii est generatio et educatio generis humani, secundarius est mutua coniugum perfectio et remedium concupiscentiae. *Atqui* neuter requirit matrimonium *omnium* hominum: a) non finis *primarius,* quia semper sufficientes aderunt nupturientes, ipsa natura instigante et teste historia; imo si omnes nuberent, periculum populationis nimiae esset timendum; b) *non finis secundarius;* nam perfectio ex coniugio oriunda potest etiam aliunde haberi, imo forte maior, siquidem matrimonium et cura liberorum multum avocat ab occupationibus dignioribus, ut sunt studium literarum, amor et misericordia proximis exhibenda, servitium Dei. Quare Theophrastus, discipulus Aristotelis, dixisse fertur, non decere philosophum iugum matrimonii subire, multique sapientiae studiosi ab eo abstinebant, e. g. Cartesius, Spinoza, Leibnitz, Kant etc. Imo ecclesia catholica praescribit, ut sacerdotes omnes ab hoc iugo liberi sint ad Deo soli serviendum (I Corinth. 7, 32 sq.). — Neque coniugium concupiscentiam illicitam exstinguit, ut tam frequens abusus matrimonii et tot adulteria et divortia inde orta testantur. *Ergo* non omnes tenentur nubere.

3. *Ex absurdis:* Si omnes ad matrimonium ineundum obligati essent, non deberent esse, qui vel infirmitate mentis et corporis, vel defectu mediorum necessariorum ad uxorem et liberos alendos, vel defectu personae aptae non possunt nubere; natura enim in necessariis non deficit. *Atqui* multi sunt, qui non apti sunt ad matrimonium propter impotentiam physicam vel moralem, vel qui carent opibus necessariis, vel qui non inveniunt personam aptam (hodie plures sunt feminae quam viri apud nos). *Ergo* nemo per se tenetur ad matrimonium.

Dico per se; potest enim esse, ut quis alio modo peccata incontinentiae fugere non possit (I Cor. 7, 9), vel ut salus patriae ad coniugium obliget, e. g. ut heres adsit et discordiae impediantur; sic certe primi homines coniugium inire debebant. — Neve obicias, omnes teneri ad bonum generis humani conferre; maximum autem bonum commune esse populationis ipsius incrementum. Certe, unusquisque debet conferre ad bonum publicum, sed non omnes *eodem modo.* Sic etiam agricolae, mercatores, magistratus ad bonum commune conferunt. Numquid igitur omnes debent esse agricolae, mercatores, magistratus? Illi autem, qui a matrimonio abstinent, ut melius proximis vel Deo servire possint, ut sorores misericordiae, missionarii, sacerdotes,

numquid nihil conferant ad bonum publicum, imo nonne plus, quam plerique coniugati, nonnisi sibi consulentes et libidinem sequentes, liberos procreant bono publico saepe maxime noxios?

At nonne abstinentia, praesertim per votum castitatis, est *contra naturam*, hominibus nimis difficilis, ac proinde fallacia peccati? Sic iam Jovinianus et Vigilantius, quos Hieronymus[1]) impugnat, necnon Lutherus et post eum multi alii[2]). — Certe, abstinentia a venereis, praesertim autem votum castitatis, maxime adversatur naturae *sensitivae*, quam communem habemus cum *brutis*, non autem naturae *rationali*, quae nonnumquam virginitatem non solum approbat, sed imponit e. g. aegrotis, inopibus vel alio modo impeditis. Quid quod apud nos anno 1895 fere 1 000 000 feminae in aetate nubili plures erant quam viri?[3]) Numquid igitur omnes istae feminae peccati incontinentiae sunt arguendae? Esset igitur contra naturam, si omnes matrimonio renuntiarent, quod tamen moraliter impossibile est; est autem *supra* naturam *sensitivam*, sed *iuxta* naturam *rationalem*, si quis ex motivo honesto a matrimonio abstinet. — Neque verum est, hoc nimis difficile esse et fallaciam esse peccati. Exemplo sunt innumeri homines utriusque sexus, qui vitam caelibem, puram atque illibatam ducebant sive in mundo sive praesertim in monasteriis. Et si qui peccabant, hoc minime obstat virginitati perpetuae, quemadmodum delicta alia non obstant legi morali sive civili. Neque matrimonium tuetur contra delicta carnis; secus non tot essent adulteria et dissolutiones matrimoniorum. Imo recens aliqua statistica in Gallia docet, partem maiorem criminum contra sextum praeceptum non a solutis, sed a coniugatis esse commissa; facilius enim videtur a venereis prorsus abstinere, quam solum modice eis frui, attenta vi libidinis. Accedit, quod ecclesia neminem ad votum castitatis perpetuae admittit, nisi ipse libere hoc postulaverit et per plures annos ab auctoritate ecclesiastica examinatus fuerit. Quicunque igitur media contra peccatum omnibus nota (orationem et abstinentiam; cfr. Matth. 26, 41; Marc. 9, 28) adhibuerit, ab omni labe peccati gravis immunis erit; qui vero deliquerit, sibi ipsi hoc tribuet.

At nonne Deus ipse dixit: „Crescite et multiplicamini“ (I Mos. I, 27—28), et Paulus praescribit, ut unusquisque suam uxorem habeat (I Cor. 7, 2), imo ut episcopus sit „unius uxoris vir“ (I Tim. 2, 2)? Sic Lutherus et alii multi

[1]) Contra Vigilantium c. 13, 14; contra Jovinianum 1, 36: „Noli metuere, ne omnes virgines fiant; difficilis res est virginitas et ideo rara.“

[2]) Cfr. Paulsen, System der Ethik 1900[5] II, 255, licet ibi caelibatum libere et ex motivo honesto susceptum non reprobet. — Similiter Bebel, Die Frau, 1906[41], p. 61, 100. Lutherus eo progressus est, ut actum coniugalem opus Dei appellet, „das nicht bei uns stehet zu verhindern oder nachzulassen, sondern es ist ebenso nötig, als dass ich ein Mannsbild sei und nötiger denn essen und trinken, fegen und auswerfen, schlafen und wachen.“ Imo in oratione de vita coniugali docet, ancillam esse adhibendam, si uxor debitum recusaverit: „Will Frau nicht, so komme die Magd.“ Cfr. Rösler, l. c. 346.

[3]) In tota Europa (exceptis Italia, Graecia et regionibus extremis Danubii) 300 000 000 incolae esse dicuntur, inter quos 4 500 000 feminae plures quam viri, quamvis sexus virilis ubique terrarum ex ipsa nativitate numero paulo praestet muliebri (106 : 100). Rationes huius differentiae videas apud Rösler, l. c. p. 96: Nimii labores et infortunia, intemperantia, emigratio.

post ipsum[1]). — Sed Deus verbis illis minime omnibus imposuit, ut matrimonium inirent; secus etiam providere debuisset, ut omnibus sit occasio nubendi; est igitur praeceptum sensu collectivo vel disiuncto, i. e. pro genere humano qua tali, non sensu *disiunctivo*, pro singulis (cfr. vol. I, p. 34, 86). Apostolus autem minime praescribit, ut unusquisque habeat uxorem, sed *suam* uxorem, i. e. ne cum alia muliere peccet; deinde non praescribit, ut episcopus habeat uxorem, sed ut *unam tantum* habeat, certe non in sensu polygamiae simultaneae, sed successivae, ita ut uxore sua defuncta non iterum matrimonium ineat, id quod primis temporibus christianis tanquam macula moralis et signum incontinentiae habebatur (I Cor. 7, 7—9, I Tim. 5, 9) et adhuc hodie vidua in secundis nuptiis benedictione solemni nuptiali privatur[2]). Ipse tamen apostolus omnibus suadet, ut sint caelibes, sicut ipse (ibid. v. 7). Neve vero ex eo deduxeris, apostolum vel ecclesiam catholicam contemnere vel parvi pendere matrimonium; ipse enim apostolus illud vocat „sacramentum magnum in Christo et in Ecclesia“ (Eph. 5, 32) eosque habet haereticos, qui nubere prohibent (I Tim. 4, 3); quin etiam unionem inter virum et uxorem comparat cum mirabili illa et mystica unione inter Christum et Ecclesiam (ibid. v. 23 sq.); et haec semper fuit sententia Ecclesiae catholicae, quae statum tum virginitatis tum matrimonii sanctum habet, illum tamen hoc sanctiorem, modo ex amore Dei et virtutis suscipiatur.

Coroll. De peccatis contra castitatem. Contra castitatem peccari potest *cogitatione, verbo, opere.* 1. *Opere* peccat a) coniugatus, qui cum alia persona ac coniuge actum venereum completum sive incompletum (tactibus) exercet, et est *adulterium perfectum vel imperfectum;* porro si modo illegitimo et inepto actum coniugalem exercet i. e. matrimonio suo abutitur per *onaniam* vel *sodomiam;* sunt peccata luxuriae contra matrimonii naturam. (Cfr. supra p. 371). b) Solutus opere peccat, qui cum virgine coit vel tactus turpes exercet, et est *fornicatio;* si ei sive physice, sive moraliter vim infert, est *stuprum;* si cum coniuge peccat, est adulterium; si cum individuo sui sexus, est *sodomia;* si cum se ipso, est *masturbatio* vel *pollutio;* si cum bestia, est *bestialitas;* si cum consanguineis et affinibus, est *incestus.* — Adulterium etiam per legem (StGB. § 172) poenalem punitur carcere (Gefängnis) sex mensium, si coniux innocens, matrimonio soluto, infra 6 menses postulaverit. — Qui cum pueris et puellis infra 14 annos turpiter egerit, punitur carcere vel ergastulo (Zuchthaus) 6—120 mensium; similiter qui virginem stuprat (§§ 176, 177); qui virginem infra 16 annos ad fornicationem per copulam seducit, carcere usque ad annum punitur, si parentes vel tutores postulaverint (§ 177). Pater filii illegitimi eum usque ad 16 annum pro conditione matris alere tenetur, et ultra, si ille indiget (BGB. § 1708; lex gallica solam matrem hoc onere

[1]) Quos iam refutavit S. Thomas II, II, qu. 152 a. 2 et 4. Suppl. qu. 41, a. 2.

[2]) Gentes quoque non christianae secundas nuptias reprobabant, imo poenis afficiebant, et iam Graeci et Romani illas viduas summis laudibus efferunt, quae viro defuncto amorem primum servabant, sicut Dido in Aeneide (IV, 9): „Ille meos, primus qui me sibi iunxit, amores Abstulit, ille habeat secum, servetque sepulcro.“ — Ecclesia autem saltem occidentalis non damnat secundas nuptias, imo eas contra haereticos Montanistas et Novatianos defendit, in ecclesia tamen *orientali* secundo vel pluries nubentibus nonnunquam poena imponebatur. (Cfr. Werner, III 501 sq. Cfr. Judith 15, 11; Luc. 2, 36).

gravat, patrem libere dimittens). Sodomia et bestialitas carcere vel etiam privatione honoris civilis punitur (§ 175); incestus punitur in ascendentibus consanguineis ergastulo usque ad 5 annos, in descendentibus supra 18 annos usque ad 2 annos, in affinibus ascendentibus necnon in fratre et sorore usque ad 2 annos (§ 173); tutores, magistri, clerici, magistratus, medici, qui cum subditis vel clientibus suis turpiter agunt, puniuntur carcere sive ergastulo 6—60 mensium (§ 174).

2. *Verbo* peccat contra castitatem, qui turpia loquitur vel scribit vel libenter audit et legit, quae ad opera illa impura ordinantur idque ex mala intentione i. e. vel ex delectatione de illis operibus, vel ad alios seducendos. Minime igitur peccat, qui ex ratione legitima de his rebus loquitur vel scribit, e. g. medicus, iudex, confessarius etc.

3. *Cogitatione* peccat, qui illa opera sibi repraesentat idque libere ex delectatione morosa vel qui talia libere desiderat; neque igitur tentatio non libera, neque studium legitimum de hac re est peccatum e. g. in medico, in theologo morali, in confessore[1]). Cfr. S. Theol. II, II, qu. 153 et 154, ubi tota haec materia i. e. natura, causa, effectus, species luxuriae a doctore Angelico clare et copiose, ut solet, tractatur.

Ratio, cur illa opera contra castitatem tum intra tum extra matrimonium non permittantur, est, quia *copula carnalis* et quae eam *disponunt* vel ad eam *ordinantur* vel ex ea *sequuntur*, ut cogitationes, delectatio, desiderium, sermones, actus videndi, audiendi, tangendi, motus venerei, effusio seminis, non licent nisi in *matrimonio legitimo* et *modo legitimo;* secus enim haberetur coitus promiscuus, qui fines tum primarios, tum secundarios societatis coniugalis destrueret (cfr. supra p. 377). Homines effrenata libidine ducti, se ipsos vel mutuo quoad corpus et animam deturparent et perderent brutisque peiores evaderent, siquidem nullo instinctu retenti et ordinati, ratione sua nonnisi ad nova semper media libidinis satiandae excogitanda uterentur, praesertim hodie, quum religione abiecta et moribus corruptis multi omnes poenas civiles criminum contra moralitatem (§§ 171—184) abrogatas velint (homosexuell[2]). (Cfr. supra p. 372) Neve obicias, licere necessitates naturales explere, e. g. cibos sumere et superflua ex corpore eicere. — Licent haec

[1]) Plura de hac re vide Lehmkuhl II, n. 860 sq. Kannamüller, Caveant moniti, 1906.

[2]) Cfr. Roeren, Lex Heinze, Kunst u. Lit. 1901; Die öffentl. Unsittlichkeit und ihre Bekämpfung 1904[3]; Die Sittlichkeitsgesetzgebung der Kulturstaaten 1907. — Quid quod anno 1877 Londinii associatio Neo-Malthusiana (Malthusian League) fundata est ad abusum matrimonii defendendum et propagandum? Item in Batavia (Holland) 1882. Anno 1897 Berolini associatio orta est (Wissenschaftl. humanitäres Komitee), auctore medico Magnus Hirschfeld, quae periodico suo (Jahrbuch für sexuelle Zwischenstufen) crimen sodomiae (homosexuell) defendit et ad § 175 codicis poenalis abrogandum diaetae imperiali petitiones tradit, quibus etiam homines in magna dignitate constituti subscribebant (professores, magistratus, medici etc.); inter quos et psychiater notissimus Kraft-Ebing († 1902), auctor Psychopathologiae sexualis 1904[12], et professor iuris celeberrimus Berolinensis v. Liszt, auctor libri: Lehrb. d. deutsch. Strafrechtes 1905[15], qui etiam libris suis § 175 reprobant (cfr. Cathrein, Die katholische Moral 1907, p. 399 sq.; Krose, Der Einfluss der Konfession auf die Sittlichkeit 1900, p. 12 sq.)

quidem, sed debent fieri modo debito, i. e. rationali secundum finem et circumstantias, quas natura humana determinat. Sicut igitur peccaret, qui cibum ratione quantitatis vel qualitatis modo indebito sumeret, ita ut sanitati corporis plus minus noceret, imo graviter peccaret, qui praevideret, se hoc modo vitae ipsi grave periculum inferre, ita etiam peccat, qui semen effundit, vel actus ponit imperfectos, qui huius effusionis sunt causae vel dispositiones, quin illi actus ad finem naturae sint ordinati. Finis autem naturae evidenter non est delectatio carnis, quam peccantes unice intendunt, sed generatio hominis eiusque educatio, quam peccantes minime intendunt, imo saepe mediis inhonestis impedire conantur; inde expositio infantium illegitimorum eorumque mors praematura multo frequentior (bis vel ter), quam legitimorum[1]); inde est, quod illegitimi, quibus haec macula per totam vitam inhaeret, male educati et suae originis pertaesi, vitae inhonestae, immo sceleratae non raro se dedunt[2]). Inde tot mulieres prostitutae cum eorum adiutoribus, quae ruina sunt pacis, honoris, bonorum tot familiarum.

At nonne veteres fornicationem non inhonestam esse reputant? Ipse s. Thomas (S. Theol. II, II, qu. 104 a. 2) dicit: „Apud gentiles fornicatio simplex non reputabatur illicita propter corruptionem naturalis rationis". — Certe, veteres ethnici, sicut et gentes barbarae recentes, saepe peccant contra legem naturalem, sed quid hoc probat? Veteres et recentes ethnici approbant etiam servitutem, approbant expositionem vel etiam necem infantium, approbant polygamiam et divortium; numquid hoc signum est, nullam his actionibus inesse malitiam? (cfr. supra p. 163, 173 sq.).

At natura ipsa motus venereos, imo et pollutionem sponte nonnunquam producit; natura igitur ipsa peccat? — Sed motus illi in se ipsis nondum sunt inhonesti, imo per matrimonium fiunt honesti; sed sunt inhonesti, in quantum libere neque modo debito neque ad finem debitum excitantur vel retinentur. — Deinde si natura in nobis morbos producit, imo et mortem, numquid nobis licet, idem nobis vel aliis facere? Si ex causis naturalibus multa mala in homines irruunt (incendia, inundationes, terraemotus etc.), numquid nobis idem facere licebit?

Scholion de caelibatu:[3]) Triplex caelibatus distinguendus est: unus, qui eligitur propter onera cum matrimonio coniuncta, quin adsit intentio puritatis cordis, imo ita ut nonnunquam maior libertas vitae lascivae habeatur. Patet, talem caelibatum non mereri laudem, imo maximam vituperationem, si elegitur ex libidine liberius satianda. Alter est caelibatus, qui suscipitur

Bebel, princeps socialistarum, in libro suo notissimo (Die Frau 1906[41], p. 434): „Die Befriedigung des Geschlechtstriebes ist ebenso jedes einzelnen persönliche Sache, wie die Befriedigung jedes andern Naturtriebes. Niemand hat darüber andern Rechenschaft zu geben, und kein Unberufener hat sich einzumischen."

[1]) Cfr. Herder, Konversationslexikon, Art. Sterblichkeitsstatistik.

[2]) Beneke, Gefängnisstudien p. 54: „Der aussereheliche Geschlechtsverkehr *in jeder Form* ist die Kardinalsünde, aus der die meisten Verbrechen direkt oder indirekt hervorgehen." Ipse Lombroso, „Der Verbrecher II, 130: Die allgemeine Paralyse ist zumeist Folge von abusus Bacchi et Veneris." Zwerger, Die schönste Tugend und das hässlichste Laster 1905[6]; Koenig, Die Hygiene der Keuschheit, 1900. Plura vide Koch, Moraltheol., 1907[2], p. 162 sq.

[3]) Cfr. S. Theol. II, II, qu. 151—152.

propter infirmitatem corporis vel inopiam; hic certe licet, quia ad impossibile nemo tenetur. Tertius est caelibatus, qui eligitur ex amore proximi vel Dei, ut quis ab omnibus vinculis solutus, melius saluti proximorum, e. g. aegrotis curandis se vovere vel Deo magis servire possit, ut virgines sacrae, sacerdotes, missionarii (Matth. 19, 11 sq., I Cor. 7, 32 sq.) Patet, hunc caelibatum maximam mereri laudem, tum ex motivo caritatis erga Deum et proximos, quo inspiratur, tum propter exemplum magnanimitatis et fortitudinis, quod aliis hominibus exhibet, qui saepe putare videntur, concupiscentiam carnalem esse invincibilem.

Propterea ecclesia Christi, exemplis et dictis Christi ipsius et apostolorum permota, non solum virginitatem laudat, sed etiam votum castitatis solemne ab eis postulat, qui ordines sacros ingrediuntur et sacerdotio initiantur[1]. Quid quod veteres Romani virginitatem tanti fecerint, ut sex electis virginibus sacrum ignem Vestae, symbolum salutis Reipublicae Romanae, conservandum tradiderint, ut hae Vestales primos locos in theatro obtinuerint, ut lictores eas praecesserint exeuntes et fasces ipsis sicut consulibus submiserint[2], ut mortis condemnato occurrentes libertatem donaverint? Nonne etiam sacerdotes judaici, imo et pagani ab usu matrimonii abstinere debebant, quoties sacra faciebant? Nonne virgines sacrae apud omnes gentes paganas in magno honore versabantur)?[3] Hodie vero virginitas maxime laudanda esset propter effectus sociales, siquidem multi rei oeconomicae periti, doctrina Malthusiana imbuti, populationem nimis crescentem perti-

[1]) Concilium Elvirae anno 305 votum castitatis etiam subdiaconis imposuit pro *Occidente*. Concilia vero Ancyrae et Neocaesareae anno 314 pro *Oriente* diaconis permittebant matrimonium, non vero presbyteris factis. Lex coelibatus a Gregorio M. in Occidente omnibus usque ad subdiaconatum denuo fuit praescripta et eorum matrimonia attentata a Pontifice Urbano II vel Calixto II invalida declarata sunt. Quae decreta Gregorius VII renovavit, non primus induxit, ut multi errantes dicebant, et strenue exsecutus est. Omnes illas leges iterum solemniter confirmavit concilium Tridentinum, et saeculo elapso Gregorius XVI 1832 contra aliquos clericos saecularibus desideriis inhiantes denuo inculcavit (Cfr. plura Kirchenlexikon v. Wetzer u. Welte III² 1884, Art. Cölibat). — Disputant doctores, utrum coelibatus sit originis apostolicae, an posterioris aetatis; alii affirmant, e. g. *Bickell*, Zeitschrift für kathol. Theol. 1878, 26; 1879, 792 sq.; *Schiwietz*, Archiv für kath. Kirchenrecht 1898, p. 308 sq; *Vassal*, Histoire du célibat au premier siècle de l'église 1896; alii negant cum *Funk*, Theol. Quartalschrift 1880, p. 202; Kirchengesch. Abhandl. I, 121 sq. Cfr. quoad historiam coelibatus: Bocquet, Le célibat dans l'antiquité; Le célibat ecclésiastique 1895. — Alios auctores de consiliis evangelicis, quorum fundamentum est virginitas, vide apud Koch, Lehrb. d. Moraltheologie 1907², p. 108 sq.

[2]) Grupp, Kulturgesch. d. röm. Kaiserzeit 1903, I, p. 15. Cicero de leg. 2, 8, 20. Similiter in regno veteri Peruano apud Inkas ignis solis virginibus custodiendus fuisse dicitur. Etiam apud Babylonios iam temporis antiquissimi virgines deo Marduk sacrae apparent, quae, si quid contra castitatem fecissent, imo si solum cauponam ad bibendum ingressi essent, propter suspicionem peccati igne concremabantur, sicut Vestales peccantes vivae sepeliebantur, tota republica de crimine commisso lugente. (Videas leges Hammurabi apud Winckler, Die Gesetze Hammurabis, 1902, p. 19, 29, 30 (§§ 110, 178, 181, 182).

[3]) Cfr. Werner, III, p. 696, notae sq.

mescunt, quod periculum sane in civitate vere christiana non est timendum; unde medio aevo, quo tot erant monasteria, nulla talis querela auditur. Et hi ipsi monachi et moniales, licet familiae renuntiavissent, labore suo et corporali et spirituali culturam ubique maxime omnium promovebant! (Cfr. supra p. 149).

II. *De proprietatibus societatis coniugalis.*

Tres potissimum sunt proprietates societatis coniugalis, quae in eius natura et fine fundantur: *Unitas, indissolubilitas, legitimitas.*

A. *De unitate societatis coniugalis.*

Thesis XXIV: Societas coniugalis ex iure naturae una esse debet.

St. qu. 1⁰ Unitas societatis coniugalis distinguitur duplex: *simultanea* et *successiva*. Simultanea adest, quando quis simul plures uxores non habet qua tales sc. ut de iure maritali, non solum unam uxorem veram, alias autem concubinas. Successiva adest, si quis mortua uxore aliam non ducit. Patet, hic non agi de unitate successiva, quae a nemine ut de iure naturae habetur, sed de simultanea, quae in genere vocatur *monogamia*. Ei opponitur *polygamia*, quae est matrimonium simultaneum cum pluribus. — Iam vero haec iterum duplex esse potest: *Polyandria*, si una femina plures habet viros; *polygynia*, si unus vir plures habet uxores; hanc utramque affirmamus repugnare iuri naturae i. e. naturae et fini matrimonii.

2⁰ Haec autem repugnantia duplici sensu accipi potest: *absoluto* sive metaphysico et *relativo sive morali*. Absoluta esset repugnantia, si natura et finis matrimonii per polygamiam nullo modo, ne per Dei omnipotentiam, obtineri posset; relativa autem sive moralis in eo est, ut finis matrimonii solum difficulter ac proinde plerumque vel non vel non sufficienter haberi possit. Non defendimus absolutam repugnantiam polygamiae cum fine matrimonii, sed relativam sive moralem.

3⁰ *Polyandria*[1]) raro invenitur et plerumque apud gentes maxime barbaras, e. g. apud Aleutas et Konjaken in Asia semptemtrionali, attamen non in forma concubitus promiscui, sed ordine quodam per mores vel leges constituto, ita ut eadem femina plures fratres habeat simul maritos. Ratio huius polyandriae saepe est parvus numerus feminarum, quae, utpote illis gentibus despectae et molestae, saepe exponuntur vel interimuntur. — *Polygynia* vero saepe invenitur tum apud gentes veteres, exceptis Graecis et Romanis, forte etiam Gallis et Germanis, e. g. apud Babylonios, Assyrios, Aegyptios (exceptis tamen sacerdotibus), tum apud recentes gentes, e. g. Turcas,

[1]) Cfr. K. Werner, Christl. Ethik, III, p. 481 sq.

Sinenses, praesertim vero apud gentes barbaras tum veteres tum recentes, e. g. apud nigras, quarum principes numero uxorum gloriantur, quo suas divitias ostentant. Sunt etiam sectae christianae, e. g. Mormones, qui plures permittant uxores, neque ipse Lutherus, Melanchthon, Bucer aliique reformatores, saltem ex principiis ipsis, polygyniam reiciebant, imo in quibusdam circumstantiis permittebant [1]) (cfr. supra p. 103, 269). Inter philosophos sive veteres sive recentes vix invenitur, qui polygyniam defendat, praeter Schopenhauer, eum quidem ipsum non maritatum et feminas despicientem [2]).

I. *Unitas matrimonii est eius proprietas naturalis.*

Prob. 1. *Ex fine matrimonii* [3]): Unitas est proprietas naturalis matrimonii, si eius finis eam postulat; ex fine enim natura et proprietates matrimonii, ut ex contractu coniugali apparet, diiudicandae sunt. *Atqui* finis matrimonii postulat coniunctionem unius viri uniusque feminae: a) *finis primarius*, qui est generatio et educatio prolis; nam *polyandria* obstat foecunditati mulieris, ut in prostitutis apparet; et quum pater incertus sit, neque educatio ex parte patris neque amor paternus et filialis esse potest. Accedit, quod considerata libidine et invidia sexuali vehementi facile discordia inter viros eiusdem uxoris oriatur, qua pax et vita ipsa in periculum adducitur. — *Polygamia* autem, licet finem primarium per se non destruat, *secundarium* tamen graviter periclitatur, testibus historicis et ethnographis, propter invidiam et rixam inter plures uxores earumque liberos [4]). b) Porro constat, mulieres ubique despectas esse, ubi polygamia regnat et quasi servas haberi, imo pro lubitu vel ex levi ratione a marito castigari, dimitti, vendi, ne dicam occidi posse. Neque polygamia remedium est contra concupiscentiam et adulterium, ut Schopenhauer somniatur; secus moralitas Turcarum et Nigrorum perfectior esse deberet, quam nostra, id quod ethnographi negant [5]). Imo quo maior est fomes libidinis, ut in polygamia, eo magis crescit sibique hominem subdit. Et qui adulteria committunt et fornicationes, hoc non faciunt, quia *una* uxor ipsis est parum remedii concupiscentiae,

[1]) Cfr. Einig, De matrimonio, 1901, p. 201, 204, ubi Warneck, missionarius protestans, polygamiam damnat, attamen paganis polygamis convertendis permittit: finis sanctificat media! Rösler, l. c. p. 347. De historia matrimonii vide Weiss, Apologie des Christentums, 1890², II, p. 702 sq.
[2]) Cfr. Cathrein, l. c. p. 403.
[3]) Cfr. S. Theol. Suppl. qu. 65 tota.
[4]) Neque probat, quidquid Brigham Young, ipsa principis Mormonum polygami filia, nuper libro suo dixerit. Cfr. Cathrein l. c.
[5]) Cfr. Devas, Studien über das Familienleben, 1887, p. 173. Nullibi pestis illa syphilis magis grassatur quam apud mohammedanos, qui non contenti pluribus uxoribus servas quoque habent concubinas.

sed quia *nullam* volunt sive vellent habere ad onera matrimonii excutienda, quorum exemplum est ipse Schopenhauer [1]). *Ergo* finis matrimonii tum primarius tum secundarius postulat eius unitatem naturalem.

2. *Ex natura contractus coniugalis:* Contractus coniugalis est contractus bilateralis ex iustitia commutativa; utrimque enim per eum confertur ius et potestas in corpus proprium et in communionem domesticam in ordine ad prolem gignendam et educandam; vir autem et uxor, saltem si natura et libertas contractus coniugalis spectatur, omnino pares sunt. *Atqui* iustitia commutativa postulat, ut aequum ex utraque parte tradatur et accipiatur; non autem haec aequalitas adesse potest in polyandria, ubi una femina pluribus viris idem tradit, quod singuli pro se solis expetere possunt, siquidem ipsi ex parte sua se totos tradunt; idem dicendum est de polygamia, in qua idem vir pluribus uxoribus idem tradit, quod singulae pro se solis postulare possint, unde non mirum, mulierem esse despectam, ubicunque usus est polygamiae. *Ergo* unitas matrimonii naturalis statuenda est.

3. *Ex paritate sexus utriusque:* Statistica docet, numerum individuorum utriusque sexus non quidem arithmetrice, sed in genere esse eundem in conditionibus ordinariis. Bella enim apud nos, vel frequentiores virorum et maturiores mortes sive ex defectu continentiae (alcoholismus, mollities), sive ex excessu laboris vel accidentium (in fodinis, fabricis etc.) ortae, vel etiam frequentior virorum emigratio, in gentibus autem barbaris puellarum expositio vel occisio sunt causae accidentales, cur alter sexus sive muliebris apud nos, sive virilis apud gentes barbaras nonnunquam numero superet alterum. *Atqui* nisi monogamia naturalis esset: a) haec naturae ipsius ordinatio intelligi non posset, quia vel viri ad polyandriam, vel mulieres ad polygyniam dessent; b) iniuste eadem femina plures viros vel unus vir plures feminas in matrimonium duceret, siquidem aliae feminae sive alii viri consortibus carere deberent, ab aliis iam occupatis. *Ergo* unitas matrimonii est eius proprietas naturalis.

II. *Est tamen proprietas non absolute, sed moraliter necessaria* [2]).

Prob. 1. *Ex fine matrimonii:* Unitas matrimonii non absolute i. e. metaphysice necessaria est, si sine ipsa finis matrimonii saltem

[1]) Cfr. Bebel, Die Frau, contra Schopenhauer monogamiam defendens, pag. 121.
[2]) S. Thomas hoc idem docet aliis verbis, sc. polygamiam repugnare „non quidem *primis* praeceptis legis naturae, sed secundis, quae ex primis derivantur“ (l. c. a. 1 Resp.); prima enim praecepta nituntur rerum natura et sunt metaphysice certa.

primarius, licet difficulter, haberi potest. *Atqui* hoc fieri potest; nam generatio liberorum et educatio, quamvis valde imperfecta, etiam in statu polyandriae et melius adhuc in statu polygyniae fieri potest. *Ergo* unitas matrimonii non est absolute necessaria.

2. *Ex testimonio historiae:* Historia docet, etiam gentes polygamas sese propagasse, imo ad culturam quoque certam pervenisse, ut patet per historiam Babyloniorum, Aegyptiorum, Turcarum etc., quamvis addendum sit, etiam in illis gentibus solum ditiores plures uxores, pecunia vel pecudibus emendas, habuisse sive habere, pauperiores vero in genere monogamos esse. *Ergo* unitas matrimonii non absolute, sed relative i. e. moraliter ad perfectionem matrimonii naturalem pertinet.

Coroll. I. Quum unitas matrimonii proprietas sit solum moraliter necessaria, patet, posse exceptionem fieri legis generalis, non pro arbitrio cuiusvis matrimonium contrahentis, sed per dispositionem supremi legislatoris, si altiores fines sunt obtinendi et fines matrimonii tum primarios tum secundarios sufficienter servari constat. Dico, per dispositionem supremi legislatoris, primum quia legislatores humani, propria libidine et inclinatione seducti, facilius infirmitati humanae conniverent; deinde quia solus supremus legislator per suam omniscientiam de necessitate relativa polygamiae in singulis casibus recte diiudicare et per suam providentiam et omnipotentiam effectus malos inde forte orientes compensare potest. Inde est, quod Deus in veteri Testamento patriarchis plures uxores permisit, uti doctores communiter censent, ex tempore diluvii mediante inspiratione aliqua [1]), tum quia eo tempore polygamia ubique in populis vicinis, praesertim vero in Babylonia, ex qua Abraham egressus est, in usu erat, teste codice Hammurabi, et licita habebatur, tum quia gens Iudaeorum electa speciali Dei benedictione multiplicanda erat (I Mos. 12, 1 sq.; 15, 5; 18, 18, 22, 17 sq.). Quemadmodum igitur Deus cum Israelitis dispensavit, ut bona Aegyptiorum mutuata possent aufferre, ita etiam in hac lege naturali unitatis matrimonii exceptionem fecit; lex igitur ipsa est universalis, eius tamen *applicatio* exceptionem permittit, modo adsit ratio gravis et permissio supremi legislatoris.

II. Quum polygamia fines matrimonii non necessario pessumdet, facile intelligitur, gentes non solum barbaras, sed etiam cultas ex infirmitate mentis et corporis errantes de lege naturali, ut Babylonii, Aegyptii, Sinenses, polygamiam permisisse, saltem eis, qui satis peculii habebant, ut plures uxores ab earum parentibus sibi emere — emebantur enim ubique olim et nunc etiam apud gentes non christianas uxores, saepe adhuc vix adulescentulae neque per faciem visae — et alere possent. Et hic abusus, antiquitus a paucis per nefas susceptus (I Mos. 4, 19), propter hominum libidinem quasi ubique irrepsit, et consuetudine firmatus, non iam tanquam illegitimus habebatur. Attamen memoria monogamiae primitivae adhuc in mentibus tam alte insidebat, ut plures gentes solum unam uxorem tanquam principalem admittebant, qua permittente aliae uxores, vel potius concubinae, assumi

[1]) Cfr. S. Theol. l. c. qu. 65, a. 2 sq.; Einig, l. c. p. 205.

poterant, quae quasi sub ditione illius erant. Neque heredes proprii patris erant nisi filii uxoris principalis. Haec praesertim apud Babylonios lex erat [1]), unde etiam apud Patriarchas veteris Testamenti, ex Babylonia olim iussu Dei emigratos, haec consuetudo habetur (I Mos. 16, 1 sq. 25, 5, 30, 3 sq.) — Lex autem christiana polygamiam omnino vetat, neque unquam plures permisit uxores iuxta illud s. Scripturae: „Erunt *duo* in carne una". Mohammedani autem suis plures (4) permittunt uxores, unam tamen principalem, et insuper servas, quas habent concubinas; ita ipse Mohammed praeter Chadigam decem habuit uxores, i. e. plures, quam per Koran fidelibus licebat (cfr. Suram 33, 47 sq.).

Ex sectis hodie christianis nonnisi Mormones polygamiam permittunt. Haec secta anno 1830 a Joe Smith fundata est. Anno 1847 Mormon City apud lacum solis in Utah excitata est, duce Brigham Young, qui ipse 25 uxores habuit († 1877). Anno autem 1862 polygamiâ Mormonum lege Statuum unitorum vetitâ, dux Mormonum anno 1890 *legem* quidem polygamiae abolevit suadens, ut quisque se legibus civitatis conformaret. Hodie in Statibus unitis 300000, in Britannia 7588, in Suedia et Norwegia 5438, in Germania 2000, in Helvetia 1078, in Belgica 1556 Mormones adesse dicuntur. Profitentur praeter polygamiam chiliasmum, baptisma *adultorum* per immersionem, novasque revelationes divinas.

B. *De indissolubilitate matrimonii.*

Duplex dissolubilitas distingui potest: *Imperfecta,* quae consistit in separatione coniugum a toro et mensa, i. e. a cohabitatione; *perfecta,* quae consistit insuper in vinculo ipsius matrimonii tollendo. A priori potest conici et per experientiam constat, nonnunquam posse esse rationem gravem, cur coniuges se separent cohabitatione. Tales rationes possunt esse pro uno alterove coniuge legitimae vel etiam non legitimae. Legitimae sunt gravissimae iniuriae vel minae vel verbera vel adulterium ex parte alterius coniugis; illegitimae sunt molestiae quaedam minus graves, morbus, vel defectus quidam corporis vel animae, bonorum iactura etc. Attamen etiamsi rationes legitimae separationis adsunt, sine auctoritate publica ea vix licet, saltem scandali causa. — Nobis vero hic potissimum sermo est de dissolubilitate matrimonii perfecta; unde statuitur:

Thesis XXV: Coniugium iure naturae indissolubile est neque ulla auctoritate nisi divina solvi potest.

St. qu. 1° Duplex solutio vinculi coniugalis esse posset: *Intrinseca* per voluntatem coniugatorum, quemadmodum duo contrahentes libere pactum initum dissolvunt; *extrinseca* per auctoritatem civilem vel ecclesiasticam, quae decreto suo coniugium tollit. Affirmamus, coniugium iure naturae neque intrinsecus neque extrinsecus solvi posse. Haec autem impossibilitatas solutionis non affirmatur

[1]) Cfr. J. Jeremias, Moses u. Hammurabi 1903², p. 12.

absoluta et metaphysica, ita ut sub omni conditione adsit, sed relativa et moralis, quae solutionem in genere vetat propter effectus inde *regulariter* sequentes, attamen admittit exceptionem per eum, qui est legislator supremus i. e. per Deum, quando rationes adsunt gravissimae et effectus mali alio modo praecaveri vel saltem permitti possunt propter bonum maius.

2° Distinguitur porro matrimonium *ratum*, quod contractu coniugali constitutum est, quin tamen actus coniugalis exercitus sit; et *consummatum*, quando etiam copula ipsa facta est. Affirmamus, matrimonium ratum, divina saltem disponente voluntate, sub quibusdam conditionibus solvi posse, non autem consummatum.

3° Adversantur nobis omnes fere gentes veteres, e. g. Babylonii, Graeci, Romani, qui permittunt matrimonium tum ratum tum consummatum solvere idque propter rationes saepe leves, saltem si vir solutionem petit. Moses quoque (V Mos. 24, 1) permittit soli viro solutionem coniugii „propter aliquam foeditatem" uxoris, dato libello repudii; unde inter Judaeos disputatio orta est, quid sit illa foeditas, alii cum Rabbi Schammai docentes, esse adulterium vel aliam causam gravissimam, alii cum Rabbi Hillel quamcunque etiam leviorem rationem admittentes. — Ecclesia orientalis, innixa verbo Christi (Matth. 5, 31; 19, 9), admittit divortium ex solo adulterio utrique coniugi, quam sententiam etiam Reformatores suam faciebant, sed praeter hanc rationem multas alias admittebant. Hodie leges fere ubique (excepta Hispania) divortium admittunt propter multas causas graves. — Ecclesia autem catholica occidentalis matrimonium consummatum prorsus indissolubile habet, ratum autem docet sub quibusdam conditionibus gravissimis (per votum solemne, per ingressum in monasterium vel sacerdotium) solvi posse, non quidem privata auctoritate, sed per auctoritatem Summi Pontificis.

I. *Matrimonium iure naturae intrinsecus i. e. ex se indissolubile est.*

Prob. 1. *Ex natura matrimonii* [1]): Matrimonium constituit unitatem aliquam moralem, omnium maximam: „Relinquet homo patrem et matrem et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una" (I Mos. 2, 24); haec autem unitas moralis, quamvis per liberam voluntatem facta sit, est tamen naturalis, immo omnium aliarum (familiae, civitatis etc.) fundamentalis earumque exemplar. Natura enim diversos sexus ad invicem ordinavit et vinculo firmissimo amoris inter se copulat. *Atqui* unio, quae natura ipsa ordinante, disponente et instigante facta est, est omnino naturalis i. e. fit ex lege

[1]) Cfr. S. Theol. Suppl. qu. 67 tota. Encyclica Leonis P. P. XIII de matrimonii indissolubilitate, 10. Febr. 1880.

naturae, idque inter duo certa individua, non inter individua in genere, siquidem concubitus promiscuus et polygamia iuri naturae repugnant. *Ergo* unio coniugalis ex se et iure naturae indissolubilis est.

2. *Ex fine matrimonii:* Primarius finis matrimonii est generatio et educatio liberorum, secundarius mutua parentum perfectio et remedium contra concupiscentiam illicitam. *Atqui* hi fines supponunt matrimonii stabilitatem: a) *Finis primarius;* nam licet divortium saltem per se non impediat generationem liberorum, impedit tamen eorum educationem. Quem enim liberi sequentur: patrem an matrem? Cuius exempla imitabuntur? Quis pro eis satis providebit? Omne divortium est scandalum maximum, quod parentes liberis exhibere possunt, si causae devortii considerantur. Quae sunt? Semper peccata et vitia parentum, praesertim adulterium, quod est causa frequens divortii. Iam vero melius esset, liberos non generare, quam eos male educare in detrimentum ipsorum et totius societatis. b) *Finis secundarius* matrimonii est coniugum perfectio per mutuum amorem, communem laborem et cohabitationem, per mutuam consolationem et imitationem boni exempli. *Atqui* haec omnia per divortium in contrarium mutantur. — Neque est remedium contra concupiscentiam illicitam; divortium potius oritur ex illicita in alias personas concupiscentia, quae ipso divortio adhuc alitur et crescit, sicut ignis, cui nova materia apponitur. *Ergo* divortium opponitur omnino fini naturali matrimonii acproinde ex iure naturae non licet.

II. *Matrimonium etiam extrinsecus indissolubile est.*

Prob. 1. *Ex eius intrinseca indissolubilitate:* Ostendimus, divortium ex iure naturae non licere. *Atqui* lex humana sive civilis sive ecclesiastica potest ius naturae explicare quidem atque determinare, non tamen intrinsecus immutare; supponit enim ius naturae tanquam fundamentum, quo innitatur sicut domus fundamento. *Ergo* matrimonium etiam extrinsecus indissolubile est. Quare ipse Christus: „Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet" (Matth. 19, 6).

2. *Ex absurdis:* a) Si auctoritas humana matrimonia legitima ex si dirimere posset, hoc vel sine vel cum ratione gravi faceret. *Atqui si primum,* effrenata licentia in societatem humanam irrueret et nulla iam connubia fixa atque stabilia essent; *sin alterum,* quaeritur, quae sit ratio illa gravis; quum igitur nulla esset norma certa obiectiva, iterum incertitudo connubiorum adesset, et ordo moralis grave damnum pateretur; porta aperta esset libertinismo et immoralitati coniugali, quod experientia temporis nostri et statistica divortiorum ubique crescentium confirmat.

b) Si coniux scit, legem divortium permittere ex quibusdam causis, nil facilius est, quam illam causam e. g. adulterium ponere, ut a coniugio sibi molesto liberetur. *Atqui* hoc idem esset atque instigare coniuges ad vitia committenda. *Ergo* legi humanae non potest auctoritas tribui matrimonium solvendi.

III. *Indissolubilitas matrimonii non est absoluta, sed moralis* [1]).

Prob. 1. *Ex fine matrimonii:* Divortium non absolute repugnat iuri naturae, nisi absolute et semper destruit fines matrimonii. *Atqui* revera, licet in genere fini matrimonii noxiosum sit, non tamen *necessario* illum destruit: a) Non *primarium*, quia non impedit per se generationem, et si divortium fieret ex causis honestis, ita ut pro educatione filiorum apte provideretur, neque educatio per se deficeret. b) Non *secundarium;* nam posset esse, ut perfectioni coniugum et concupiscentiae exstinguendae melius extra matrimonium provideretur, e. g. per ingressum in ordinem religiosum. — Hae autem rationes tunc maxime valent, si agitur de matrimonio rato, nondum consummato, in quo igitur liberi educandi non adsunt, praesertim si coniuges ad vitam perfectiorem (e. g. ordine suscepto vel professione religiosa facta) aspirant. *Ergo* non repugnat, posse fieri, ut matrimonium solvatur, non quidem per auctoritatem mere humanam, sed divinam; nam ipse legislator solus a lege sua dispensare potest propter rationes graves et ad bonum maius obtinendum; lex autem naturalis est lex divina.

2. *Ex factis:* Ecclesia statuit, ut qui post matrimonium ratum, nondum consummatum infra duos menses votum solemne castitatis per professionem religiosam emiserint, liberi sint a matrimonii vinculo [2]). Deinde est communis fere sententia, Pontificem Romanum, cui in persona Petri dictum est: „Quodcunque solveris super terram, erit solutum et in coelis“ (Matth. 16, 19), ex causa gravi matrimonium ratum solvere posse, id quod re vera saepius factum est [3]). Porro secundum privilegium „Paulinum“ (I Cor. 7, 15) neoconversus a iugo matrimonii etiam consummati liberatur, si coniux infidelis non voluerit in pace cum ipso vel ipsa cohabitare. Imo ipsae leges civiles

---

[1]) S. Thomas (l. c. a. 2 et 3) probabilius habet, divortium non primis, sed secundis praeceptis legis naturae repugnare ac proinde a Deo dispensari, vel saltem propter maius malum (uxoricidium ex odio) permitti posse, ut Judaeis in veteri Testamento; docet tamen, divortium etiam in lege veteri non licuisse *positiva* Dei dispositione; et sic cum ipso plerique sentiunt; contra Sanchez aliique.

[2]) Conc. Trident. sess. 24, can. 6.

[3]) Cfr. Lehmkuhl. Theol. mor. II, n. 704; Biederlack, Zeitschr. f. kathol. Theologie, 1883, p. 304 sq.

tum veteres, tum multae recentes sibi auctoritatem vindicant, ex gravibus rationibus matrimonia dissolvendi. *Atqui* haec facta supponunt, divortium non absolute, sed moraliter repugnare iuri naturae; secus non posset esse ulla exceptio. *Ergo* matrimonii indissolubilitas non est absoluta, sed moralis.

At nonne matrimonium est contractus liber ac proinde mutuo consensu rescindibilis, ut omnis contractus? Est quidem contractus isque liber, attamen est sui generis (cfr. supra p. 372) propter eius necessitatem, dignitatem et gravitatem respectu familiae et societatis humanae. Quare ei quaedam conditiones ab ipsa natura seu potius ab auctore naturae appositae sunt, sine quibus hic contractus fieri non potest, quemadmodum etiam auctoritas tum civilis tum ecclesiastica nonnunquam proprietates vel conditiones contractuum determinat, ita ut illis decretis neglectis, contractus non liceat vel etiam non valeat. Quum igitur et unitas et indissolubilitas proprietates sint naturales matrimonii, non licet alio modo matrimonium inire.

Sed quid, quod saepe melius sit, coniuges ab invicem discedere, quam continuo odio se prosequi et scandalum omnibus exhibere? Certe; sed tunc sufficit separatio a toro et mensa, a cohabitatione; non igitur requiritur divortium i. e. solutio ipsius vinculi.

At nonne tunc est periculum incontinentiae, si alias nuptias facere non possunt? Potest utique adesse, sed ex malitia coniugum separatorum, neque eos deficiunt media communia ad continentiam servandam, neque prohibentur, quominus iterum inter se reconcilientur. Certe, si sciunt nupturientes, matrimonium solvi non posse, neque unquam permitti secundas nuptias, vivente altero coniuge, valde impelluntur ad discordias vitandas et concupiscentiam in alias personas cohibendam. Quodsi sciunt, matrimonium posse solvi et novum iniri coniugium, timendum est, ne coniugis alterius pertaesi vitia directe committant, ut causa divortii adsit. Possibilitas igitur divortii eiusque facilitas relativa, quae per leges civiles exhibetur, est causa, ni fallor, potissima, cur iam antiquitus [1]) et hodie immoralitas in familias indeque in totam societatem irrepat.

Scholion I: *Statistica divortiorum* (cfr. Soziale Kultur, 1907, p. 717 sq.): In Borussia 1895 = 5475; 1896 = 5562; 1897 = 5713; 1898 = 5798; 1899 = 5948; 1900 = 4799 [2]); 1901 = 4675; 1902 = 5278; 1903 = 5981; 1904 = 6567; 1905 = 6856.

---

[1]) Ita iam Horatius (Od. III, 6): „Foecunda culpae saecula nuptias — Primum inquinavere, et genus et domos; — Hoc fonte derivata clades — In patriam populumque fluxit.“ — Anno solo 220 p. Chr. 3000 divortia Romae propter adulteria ad tribunalia delata fuerant. Matrimonia odio erant rarique liberi, ita ut Augustus, exemplum Lycurgi sequens, per legem Juliam Poppaeam eis qui plus tribus liberis haberent, tributa remitteret („ius trium liberorum“), solutis vero tributa imponeret vel eos iure hereditatis privaret — sed sine effectu; *mores* ipsi erant corrigendi, id quod sola religio christiana effecit (cfr. Grupp, Kulturgesch. d. röm. Kaiserzeit, 1903, I, p. 113 sq.

[2]) Ratio, cur hoc anno numerus valde decreverit, sunt §§ 1565—1569 novi codicis civilis anni 1900, quibus dissolutio matrimonii aliquibus locis difficilius, aliis facilius reddebatur.

In singulis provinciis Borussiae 1895—1904 quotannis ex 100 000 matrimoniis contractis sententia iudicis dissoluta sunt:

Ostpreussen	93	Posen	84	Westfalen	58
Westpreussen	81	Schlesien	82	Hessen-Nassau	76
Berolini	351	Sachsen	109	Rheinland	80
Brandenburg	133	Schleswig (Holst.)	134	Hohenzollern	85
Pommern	99	Hannover	72	In toto regno	103

Si religio spectatur, divortia anno 1905 erant:

	protestantium	catholicorum	judaeorum	mixtorum
Ostpreussen	287	11	2	17
Westpreussen	142	40	2	43
Berolini	1103	43	55	212
Brandenburg	762	30	9	105
Pommern	281	2	1	23
Posen	59	39	2	11
Schlesien	358	160	14	187
Sachsen	540	14	2	60
Schleswig (Holst.)	332	5	1	27
Hannover	306	9	3	40
Westfalen	190	82	2	84
Hessen-Nassau	148	40	5	81
Rheinland	292	384	8	171
Hohenzollern	—	4	—	—
In toto regno [1]	4800	863	106	1061

Ex numeris adductis apparet: 1. Dissolutiones matrimoniorum pure protestantium, attento numero catholicorum et protestantium (35 % : 62 %), in toto regno duplo fere frequentiores esse quam catholicorum; in provinciis autem, ubi catholici frequentiores sunt, duplo et triplo frequentiores, e. g. in Westfalica et Rhenana (75 % : 23 %). 2. Dissolutiones matrimoniorum *mixtorum* multo frequentiores sunt, quam pure catholicorum (in toto regno 863 : 1061). 3. Dissolutiones matrimoniorum judaeicorum, attento numero iudaeorum, in genere duplo frequentiores sunt quam pure catholicorum.

Hoc confirmatur per statisticam aliarum gentium. Sic ex 100 000 matrimoniis dissoluta sunt 1905 in regno Borussico 103, in regno Saxonico 145, in Dänemark 174, in Britannia 6, in Italia 13, in Belgica 23, in Helvetia in cantonibus protestantibus 146—393; in catholicis 9–73; in matrimoniis mixtis duplo fere frequentiores erant dissolutiones quam in pure protestantibus et quadruplum respectu pure catholicorum [2]. In Gallia anno 1884, quo lex de matrimoniis dissolvendis decreta est ad dissolutiones diminuendas (hoc enim minister iustitiae Naquet affirmabat), non erant nisi 1657 dissolutiones; anno 1885 iam 4123, qui numerus continue crevit, ita ut anno 1905 non minus quam 10 019 matrimonia per sententiam iudicum dissolverentur. — In Statibus unitis Americae solo anno 1903 erant 60 000 dissolutiones [3].

[1] Incolae Borussiae iuxta recensionem die 1. 12. 1905 erant 37 283 552, quorum 62,6 % protestantes, 35,8 % catholici, 0,5 % alii christiani, 1,1 % iudaei.

[2] L. Stimmen, 1902, p. 357 sq.

[3] Cfr. supra p. 20 notam. Cathrein, Moralphilosophie, II, p. 405 sq.

At nonne Christus ipse permittit divortium (Matth. 5, 32; 17, 9), ut Graeci schismatici et protestantes docent? — Nequaquam; nam textus ille: „Qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari,“ est propositio exceptiva, quae per se tum negative, tum praescisive exponi potest (cfr. vol. I, p. 43). *Negative* exponitur, si affirmatur, Christum permittere divortium, si coniux adulterium commiserit; *praescisive* vero, si affirmatur, Christum solum excipere casum adulterii, quin de eo quidquam statuat. Ita praesertim s. Augustinus. Iam vero hanc, non priorem expositionem, i. e. praescisivam esse adoptandam, ex eo patet, quod ubique aliis locis s. Scripturae divortium christianis simpliciter interdicitur; sic Marc. 10, 11; Luc. 16, 18; Eph. 5, 22; Rom. 7, 2; I Cor. 7, 10. Est autem regula expositionis ab omnibus recepta, ut textus obscuriores per clariores explicentur. — Porro sunt, qui affirment, hoc loco non sermonem esse de adulterio, sed de matrimonio cum impedimento iuxta legem Mosaicam dirimente inito ac proinde invalido, quare textus graecus non dicat μοιχία, sed πορνεία, et adducunt similem textum act. apost. 15, 29 et I Cor. 5, 1, ubi vox πορνεία similem significationem prae se ferat; ita Patrizi, Cornely aliique. — Deinde textus ille ita exponitur, ut Christus permittat quidem propter adulterium alterius coniugis separationem a toro et mensa, non autem ipsius vinculi; et haec expositio post Beda et Bellarminum maxime communis est atque omnium facillima, licet contextus, in quo de divortio proprie dicto sermo est, aliquam offerat difficultatem [1].

Ecclesia autem catholica, cui portae inferi non praevalebunt, quae ab omnibus, iubente Christo, audienda est ut columna veritatis, indissolubilitatem matrimonii saltem consummati semper defendit, etiam contra principes potentissimos, ut P. P. Nicolaus I contra regem Lotharium, Urbanus II et Paschalis II contra Philippum II, regem Galliae, Coelestinus III et Innocentius III contra Philippum III, regem Galliae, Clemens VI contra regem Ludovicum Bavarum, Clemens VII et Paulus III contra Henricum VIII, regem Britanniae, Pius VII contra Napoleonem I, imperatorem Galliae, potius regnis integris, quam deposito fidei renuntiantes. — Aliud utique sentiebant Melanchthon, Bucer aliique reformatores suadentes Henrico VIII, ut fidem catholicam simul cum matrimonio suo legitimo reiceret. — Sententiam ecclesiae in hac re nuper Leo XIII P. P. Encyclicis suis die 28. Dec. 1878 et die 10. Febr. 1880 solemniter declaravit, docens matrimonii indissolubilitatem esse de iure naturali (cfr. etiam Syllabum prop. 67).

Scholion II: *De legibus divortii civilibus.*

Quid igitur sentiendum est de divortiis, quae fiunt per leges civiles? Iam antiquitus legislatores auctoritatem sibi vindicabant, matrimonia legitime contracta ex rationibus gravibus solvendi, ita ut soluti nova coniugia inire possent. Ita iam codex Hammurabi (circa 2250), qui ex sententiis iudicum paulatim ortus esse dicitur [2], permittit viro uxorem dimittere, non solum propter eius vitam immoralem vel propter eius morbum, sed etiam sine ratione gravi quasi pro arbitrio, dummodo dimissae uxori, si habuerit ex ea liberos, remittat dotem suam, eam alat suis sumptibus eique et filiis

[1] Vide plura apud Einig, De Matrimonio 1901, p. 208.

[2] J. Jeremias, Moses und Hammurabi 1903², p. 11.

ex ea natis partem bonorum suorum tanquam hereditatem assignet; si vero uxor dimissa non habebat liberos, debet ei et dotem suam (seriktu) et pretium nuptionis viri (tirhatu) restituere. — Uxor vero potest a viro discedere, si propter bella continua abest neque uxor necessaria vitae habet; porro si vir eam ex malignitate deserit vel debitum coniugale ei denegat; vel eam falso adulterii accusat; tunc retinet suam dotem [1]. — Moses permisit viris dimittere uxores ex „aliqua foeditate" (V Mos. 24, 1), dato libello repudii, quae foeditas qualis sit intelligenda, moralisne an etiam physica, ut in lege Babylonica, iam inter veteres doctores legis (Schammai et Hillel tempore Christi) controversia erat. — Item leges Graecorum et Romanorum, saltem iuniores, permittunt divortium, sed in genere solum ex adulterio alterutrius coniugis; attamen haec divortia adeo frequentia erant, ut Seneca dixerit, etiam mulieres nobiles annos suos non iam ex numero consulum, sed maritorum numerare, siquidem nuberent, ut divortia facerent et divortia facerent, ut nuberent [2].

Postquam religio christiana ubique est propagata, leges gentium christianarum divortia interdicebant; religione autem catholica neglecta, leges civiles recentiores etiam vim sibi usurpabant matrimonii dissolvendi, non curantes eius characterem sacramentalem neque ius ecclesiasticum, sed solum eius effectus civiles. Ita praesertim in Gallia leges rei publicae de divortio anno 1792, quae in codice Napoleone receptae, anno 1816 abrogatae, anno autem 1884 iterum introductae sunt. Item leges Italiae de divortio 1866 et Germaniae anno 1875. Leges igitur novi codicis civilis (BGB. §§ 1565—1569) tanquam causas divortii admittunt: Adulterium, paederastiam, sodomiam, bestialitatem alterius vel etiam utriusque coniugis, periculum vitae ex insidiis alterius coniugis, derelictio coniugis ex malignitate per annum, denegatio debiti coniugalis vel vita inhonesta et scandalosa, mentis insania incurabilis per tres saltem annos perdurans. Sententia tamen iudicis de divortio infra sex menses, ex quo tempore illa vitia coniugis nota sunt, postulanda est, ne praescriptio locum habeat, post decem annos in omni casu haec adest. Coniux innocens a nocente alendus est, si indiget auxilio, et uxor innocens nomen mariti retinere potest, nisi nomen familiae suae iterum assumat. —

Non licet catholicis his legibus uti ad matrimonia *solvenda*, quum plures causae divortii ibi admissae ne sufficiant quidem ad separationem a toro et mensa, e. g. denegatio debiti, vita inhonesta, nisi adsit adulterium vel insania. Potest autem aliquis his legibus uti ad separationem cohabitationis efficiendam, e. g. quando adest adulterium, periculum vitae vel fidei, derelictio etc. Attamen res prius ad forum ecclesiasticum deferenda est, nisi agatur de adulterio certo et formali coniugis, vel de periculo vitae instanti, vel de separatione ad breve tempus. Ratio est, quia matrimonium christianum est sacramentum, quod ex voluntate Christi ad forum ecclesiae pertinet; non igitur iam subest potestati civili nisi respectu effectuum socialium. Lex ipsa hoc admittit dicens (§ 1588), decreta sua Ecclesiae praecepta de matrimonio rata atque intacta relinquere; expresse admittit, in omnibus his casibus postulari posse solam separationem cohabitationis (§ 1575), quod sufficit

[1] Cfr. Jeremias l. c.
[2] Cfr. Grupp l. c. p. 125 sq.

catholico. Imo lex expresse dicit, sermonem non esse nisi de matrimonio „civili", eiusque promotores in diaeta imperiali (Nieberding et Plank) expresse asserebant, non intendi per legem de matrimonio civili confusionem matrimonii ecclesiastici et civilis, sed solum respectum iuridicum matrimonii [1]. Quare etiam iudex catholicus divortium pronuntiare potest in sensu § 1575 vel secundum effectus civiles, non tamen in quantum licentia ad novum matrimonium fiat.

III. *De legitimitate matrimonii.*

Legitimitas matrimonii in eo consistit, ut fiat secundum leges pro eo ordinando constitutas. Hae autem leges possunt esse *naturales* et *positivae*, et hae iterum distinguuntur *civiles* et *ecclesiasticae*. Quaeritur igitur, num exsistant tales leges et quae sint. — Iam vero legitimitas matrimonii ipsa duplex distinguitur: eius *honestas* et *validitas*. Possunt enim leges quaedam prohibere matrimonium ita, ut illud inhonestum, non tamen invalidum reddant, statuentes impedimenta, quae vocantur „impedientia"; et potest esse, ut ipsum contractum matrimonii etiam invalidum efficiant, impedimenta constituentes „dirimentia". Quaeritur igitur, num et quae impedimenta contractum coniugalem sive impedientia sive derimentia exsistant.

A. *Exsistunt leges matrimonii naturales.*

Probatur: a) *Ex natura matrimonii:* Matrimonium est contractus isque naturalis. *Atqui* omnis contractus ex natura sua supponit quasdam conditiones, ut honestus sit atque validus; fit enim per liberam voluntatem praecedente deliberatione, ita ut homo possit a recta norma deflectere. — Porro contractus naturalis, qui fit secundum legem naturae, supponit etiam conditiones honestatis et validitatis suae naturales. Accedit, quod hic contractus coniugalis sit omnium maxime fundamentalis, a quo ipsa societas eiusque salus dependet, cui igitur ipsa natura maxime providere debet. *Ergo* matrimonium supponit, leges naturae et exsistere et observari, quibus eius honestas et validitas continetur.

b) *Ex historia:* Constat, ubique terrarum apud nationes tum cultas tum barbaras quasdam leges haberi, secundum quas matrimonium fieri debeat quaeque sancte et inviolabiliter observantur. *Atqui* quod ubique in usu est, licet diversae sint illae leges et consuetudines pro statu culturae et indole gentis, in lege aliqua naturali fundatum esse debet. *Ergo* exsistunt leges naturales de contractu matrimoniali observandae.

[1] Cfr. Lehmkuhl, Das bürgerl. Gesetzbuch, 1900, p. 339 et 415 sq.

B. *Exsistunt leges civiles de matrimonio ineundo.*

Prob. 1. *Ex natura legis naturalis:* Lex naturalis per se universalis indiget applicatione ad facta singularia, porro indiget saepe determinatione et sanctione per legem positivam (cfr. supra p. 114 sq). *Atqui* lex naturalis de matrimonio a) ex se nondum est applicata ad singula individua, quae societatem coniugalem libere ineunt, qua in re, concupiscentia seducti, facile ab honestate aberrare vel bonum commune negligere possunt; b) lex naturalis per se nil determinat de aetate, indole physica, intellectuali, morali nupturientium, neque de forma matrimonii ineundi, quae tamen in societate ordinata determinanda sunt, ut et bono contrahentium et bono publico provideatur; c) lex naturalis nullam poenam stabilit ad vitia contra naturam matrimonii praecavenda et impedienda vel ulciscenda; tales autem poenae, attenta vehementi hominum in hac re concupiscentia, omnino necessariae sunt; d) ex matrimonio multa alia iura et officia oriuntur i. e. effectus civiles, qui legibus ordinandi sunt, e. g. leges de administratione bonorum viri et uxoris in matrimonio exsistente vel dirempto, de hereditate post mortem alterius coniugis, de hereditate liberorum etc. *Ergo* leges civiles de matrimonio omnino necessariae sunt.

2. *Ex historia:* Constat, apud omnes gentes esse et fuisse leges de matrimonio ineundo et solvendo, de eius materia et forma, necnon de effectibus civilibus, qui per matrimonium producuntur, imo hae leges magnam partem constituunt codicis iuris; sic iam in codice Hammurabi ex 282 paragraphis 67 (§§ 128—194) sunt de societate coniugali et paterna; in novo codice civili germanico non minus quam 1088 paragraphi (§§ 1297—2385), fere dimidia pars omnium legum (§§ 2385), sunt de matrimonio eiusque effectibus civilibus, (si ius hereditatis simul spectatur).

C. *Exsistunt leges ecclesiasticae de matrimonio* [1]).

Prob. 1. *Ex natura matrimonii christiani:* Matrimonium christianum est sacramentum a Christo institutum (Eph. 5, 32): „*Sacramentum* hoc magnum est; ego autem dico in *Christo et in Ecclesia*“ [2]), cuius ministri sunt ipsi nupturientes; matrimonium igitur christianum ut sacramentum est ipse contractus coniugalis. *Atqui* hic contractus, ut sub B vidimus, indiget quadam determinatione et sanctione per leges positivas. De re autem sacramentaria qua tali non potest

[1]) Cfr. S. Theol. Suppl. qu. 50—63.

[2]) Cfr. Conc. Trid. sess. 24, can. 1 sq.; Pii IX Syll. prop. 65—74; Leo XIII Encycl. Arcanum etc. 10. Febr, 1880; Pii X Syllab. prop. 51 (de die 3. 7. 1907). Einig, l. c. p. 185 sq.

auctoritas praeter ecclesiasticam quidquam definire; ipsa enim sola a Christo delegata est (Matth. 16, 19). *Ergo* debent leges ecclesiasticae de matrimonio exsistere [1]).

2. *Ex legislatione ecclesiastica.* Constat, ecclesiam ex antiquis temporibus decreta de matrimonio dedisse et impedimenta tum impedientia, tum dirimentia statuisse. Sic iam in conciliis Elvirae (305) et Neocesareae (314) habitis, praesertim vero in iure canonico, quod medio aevo exortum (cfr. supra p. 209), leges Ecclesiae antea latas colligit. Has leges deinde Conc. Trid. et modificavit et confirmavit, et insuper potestatem ecclesiae ad leges de matrimonio ferendas solemniter declaravit [2]), contra Reformatores.

Scholion I: Fuerunt primum saec. 14. qui cum Petro Marsiliensi et Joanne Jandunensi, auctoribus libelli „Defensor pacis“ (1326), necnon cum aliis fautoribus (Occam cum suis observantibus) Ludovici Bavari regis principibus tum omnem potestatem in res saeculares ecclesiae, tum etiam in matrimoniorum impedimenta constituenda et removenda [3]) tribuerent. Postea nonnulli cum Melchiore Cano, distinguentes inter contractum coniugalem et sacramentum matrimoniale, hoc ecclesiae, illum principum auctoritati submittebant, ut Sarpi de Dominis, Launoy in Gallia, necnon synodus haeretica Pistoiae habita, a Pio VI reprobata, deinde Vigil in Hispania et Nuytsch Turinenses in Italia saec. elapso, ita ut ecclesia suam potestatem in contractum matrimonii ab auctoritate civili vel expresse vel tacite haberet. — Sed haec sententia ab ecclesia semper fuit reprobata, quia ipse contractus matrimonialis etiam sacramentum constituit [4]); non tamen Pontifices negabant, societatem civilem effectus civiles legibus suis ordinare posse, ut Pius IX literis suis die 9 Sept. 1852 ad regem Sardiniae datis expresse fatetur.

Postquam reformatores saec. 16. principibus totam potestatem ecclesiasticam tradiderunt [5]), principes protestantes primum in Batavia et Britannia rem matrimonialem legibus civilibus subiciebant, statuentes, ut matrimonia omnia, etiam catholicorum, coram ministro publico, utique protestante, contraherentur, ne invalida essent (Zwangscivilehe). Postea vero etiam catholicis permittebant, ut coram sacerdote catholico matrimonium inirent, praesente tamen ministro publico; vel solum coram magistratu civili (fakultative Civil-Ehe); hoc modo praesertim in Britannia et Statibus unitis Americae nunc matrimonium celebratur. In Austria et Hispania matrimonium eccle-

[1]) Cfr. Kirchenlexikon, 1886 [2], Art. Ehe.

[2]) Sess. 24, can. 3, 4, 12; cfr. Kirchenlexikon l. c. Art. Ehegesetzgebung.

[3]) Inde Ludovicus matrimonium legitimum Margarethae Maultasch, heredis principatus Tirolensis, solvit eamque filio suo Ludovico principi Brandenburgensi uxorem dedit, Pontifice Clemente VI obsistente.

[4]) Cfr. Breve Pii VI ad archiepiscopum et electorem Trevirensem die 2. Febr. 1782.

[5]) Ita Lutherus ipse: „Die Ehe ist ein äusserlich leiblich Ding, wie andere weltliche Hanthierung“ (vom ehel. Leben); Calvinus admittit quidem matrimonium a Deo institutum, sed non magis sacramentum esse, quam „agriculturam et artem sutoriam“. Cfr. Roesler, l. c. p. 345 sq.

siasticum etiam ab auctoritate publica habetur ratum; qui tamen ad nullam confessionem pertinent, coram magistratu publico contrahunt (Not-Civil-Ehe). In Gallia vero ex anno 1792, in Italia ex anno 1866, in Helvetia ex anno 1876, in Germania ex anno 1875 omnes nupturientes obligantur *primum* coram magistratu civili contractum coniugalem inire, et sub poena gravi prohibetur, ne quis antea coram sacerdote matrimonium contrahat[1] (Zwangs-Civil-Ehe); est legislatio ecclesiae inimica. Ecclesia vero declaravit, matrimonio pure civili sacramentum matrimonii nullo modo confici, imo illud ne sponsalium quidem loco haberi posse[2]. Ubi igitur lex Tridentina de clandestinitate matrimonii valet, neque licite neque valide matrimonium verum coram magistratu iniri potest, sed solum fit declaratio de matrimonio ineundo; ubi non viget lex Tridentina, ut in matrimoniis mixtis clandestinis et ubi non est publicata, potest quidem valide, sed non licite, nisi adsit bona fides, civiliter contrahi; instruendi igitur sunt nupturiendi de vi matrimonii civilis[3].

Scholion II: *De vi et efficacia legum matrimonii in specie.*

Leges matrimonii vel eius liceitatem vel eius validitatem spectant; si primum, peccat sive leviter sive graviter, qui matrimonium lege neglecta contrahit; sin alterum, non solum peccat, si legem prohibentem cognoscit, sed etiam eius contractus nullus est.

A. *Vi iuris naturalis.*

1. *Illicite* igitur aliquis matrimonium contraheret: a) Ratione *subiecti*, si despiceret consilia vel voluntatem parentum prudentum, vel si aetate praematura vel nimis provecta contra mores et decentiam publicam matrimonium iniret. b) Ratione *materiae*, si sciret, se licet non physice impotentem, attamen viribus corporis et animi ineptum esse, ita ut etiam sanitatem, vitam, salutem coniugis vel liberorum periclitaturus sit; vel si sciret, alterum coniugem vitiis vel coporis vel animi ipsi magno fore periculo. c) Ratione *formae*, si consensui conditionem apponeret, se coniuge inscio vel invito matrimonio usurum vel abusurum esse, vel uxorem male tractaturum esse ut servam, vel concubinas praeter uxorem frequentaturum esse, vel aliquando matrimonium solvere posse; porro si coniugem simulatione divitiarum, honoris, conditionis suae vel falsis promissis ad coniugium induceret. d) Ratione *finis*, si matrimonium contraheret ex sola concupiscentia voluptatis carnalis vel divitiarum, praesertim si finem primarium matrimonii nollet. e) Ratione *circumstantiarum*, si tempore vel loco vel modo prorsus inepto sine gravi ratione nuptias faceret, ita ut scandalum daret e. g. tempore luctus familiae propter mortem parentum, si matrimonium iniret nulla fere praevia cognitione compartis, sine ullis sponsalibus per coitum quasi ad modum brutorum — agitur hic per se de honestate matrimonii vi solius iuris naturalis, non iuris positivi vel ecclesiastici.

[1] Code civile Napol. §§ 63—76; 144—311; BGB. §§ 1317—1322; § 67 (Personenstandsgesetz) poenam 300 M vel trium mensium carceris statuit parocho, qui matrimonio ecclesiastico assistat, quin ei testimonium de matrimonio civili iam facto praesentatum sit. [2] Cfr. Kirchenlexikon, Art. Civil-Ehe, p. 396. Agitur hic de matrimoniis inter catholicos, quibus forma Tridentina observanda est. [3] Cfr. Lehmkuhl, Das Bürgerl. Gesetzbuch, p. 35 sq.

2. *Invalide* matrimonium contraheret vi iuris naturae: a) Ratione *materiae*, si esset physice impotens ad generationem propter aetatem vel naturalem defectum, vel si esset iam coniugatus; deficit enim tunc materia contractus. b) Ratione *formae*, si deficeret consensus sive solus *externus*, sive simul etiam *internus* propter defectum conscientiae, vel propter errorem substantialem, vel propter violentiam vel metum gravem iniuste passum, quia sine plena libertate contractus coniugalis nullus est (cfr. supra p. 370). Patet, ab inhonestate et invaliditate naturali neminem dispensare posse, nisi solum Deum, supremum auctorem legis naturalis. c) Ratione *personae* i. e. nupturientes in linea recta (ascendentes vel descendentes): avi, parentes — filii, nepotes), vel laterali saltem primi gradus (fratres et sorores), vel etiam tangentis secundum (avunculus-neptis). Quamvis enim per exceptionem aliquam vel etiam per delapsum ad barbariem nonnunquam fratres et sorores, imo et patres et filiae connubium inierint[1], haec tamen matrimonia gentibus cultis abominationi erant atque legibus vetita, quod est signum foeditatis naturalis. Accedit, quod teste experientia horror quidem animos occupat, impediens coniugia inter personas adeo consanguineas et natura ipsa poenis ea afficit, quia degeneratio prolis physica, intellectualis et moralis inde oritur, teste historia et biologia[2].

B. *Vi iuris ecclesiastici.*

1. *Illicite* contraheret sive haberet impedimentum *impediens*, quod prius removendum est vel per ipsos nupturientes vel per dispensationem auctoritatis ecclesiasticae, ut quis sine peccato matrimonium inire possit:

a) Religio mixta, quando matrimonium fit inter coniuges, quorum alter est catholicus, alter sectae cuidam christianae adhaeret. b) Sponsalia rite facta[3]. c) Tempus clausum (pro nuptiis *solemnibus*: a I dominica adventus usque ad epiphaniam et a die cinerum usque ad dominicam in albis incl.). d) Vota *simplicia* castitatis perpetuae, ingrediendi religionem, suscipiendi sacrum ordinem, non nubendi e) Vetitum ecclesiae ex causa speciali.

2. *Invalide* contraherent, sive adesset impedimentum *dirimens*, quo non sublato per dispensationem vel per ipsos contrahentes matrimonium nullum est: a) *Amentia* alterius contrahentis; b) vis et metus; c) error personae vel qualitatis substantialis i. e. in personam redundantis; d) conditio deficiens; e) conditio servilis coniugis; f) impotentia; g) impubertas (pro viris 14, pro feminis 12 anni, „nisi malitia supplet aetatem“; h) raptus coniugis; i) crimen coniugis per promissionem matrimonii cum alia persona ineundi in casu

[1] Sic apud Magos in Persia, apud Ismaelitas et Aegyptios, apud aliquas gentes africanas (cfr. Werner, l. c. III, 484. Weiss, Apologie, II[2], 1890, p. 702 sq.).

[2] Cfr. Moufang, Das Verbot der Ehen zwischen nahen Verwandten, 1863, p. 4 sq.; Katholik 1868, 371 sq.; Schnitzer, Kathol. Eherecht[5] 374 sq.

[3] Ut sponsalia non solum in conscientia obligent, sed effectus certos ecclesiasticos habeant (obligationem ad matrimonium vel dispensationem, impedimentum publicae honestatis), decretum Pii P. P. X de die 2. Aug. 1907: „Ne temere“ praescribit, ut sponsalia fiant *scripto* et subscribantur tum a sponsis, tum a parocho vel a duobus testibus; quodsi sponsi scribere nesciant, tertius testis pro eis adhibendus est (cfr. Pastor bonus, 1908, p. 273).

mortis alterius coniugis, vel per attentatum coniugium vivente coniuge, vel per necem sive machinationem in necem coniugis; k) ligamen i. e. matrimonium adhuc exsistens (excepto privilegio Paulino); l) votum *solemne* castitatis in ordine approbato; m) ordo (a subdiaconatu) susceptus; n) cultus disparitas (inter catholicum et non baptizatum); o) consanguinitas et affinitas ex copula licita usque ad quartum gradum, ad quam accedit cognatio spiritualis quaedam in baptismo et confirmatione contracta, necnon legalis in adoptione in primo gradu lineae rectae et lateralis; denique impedimentum publicae honestatis in primo gradu ex sponsalibus; p) clandestinitas ex decreto concilii Tridentini inducta, ex quo nupturientes catholici, ubi concilium Tridentinum est publicatum, nonnisi coram parocho suo et duobus testibus valide contrahere possunt[1]. Excipiuntur matrimonia mixta in imperio Germanico[2]).

Ecclesiam posse talia impedimenta statuere ac proinde etiam solvere, supra ostensum est, vi auctoritatis a Christo Deo acceptae: „Tibi dabo claves regni coelorum; quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in coelis“ (Matth. 16, 19; 18, 18. Joh. 20, 21 sq.). Impedimenta tamen, quae ipso iure naturae statuuntur, ab ecclesia per se removeri non possunt, nisi ex speciali aliqua Dei dispositione revelata (cfr. supra p. 392). Ratio autem, cur ecclesia quaedam statuat impedimenta, est salus fidelium et disciplina morum publica. Ad hanc causam principalem accedunt nonnunquam particulares, e. g. consuetudines quaedam gentium, ex quibus publica quaedam honestas inducitur et ratio scandali habetur, sicut Apostoli primis christianis quaedam in se non inhonesta interdicebant propter publicam honestatem (Act. 15, 29[3]). Sic impedimentum cognationis legalis ex iure Romano desumptum est, et impedimenta consanguinitatis usque ad sextum et septimum gradum, olim in ecclesia vigentia, ex tempore Gratiani abrogata sunt.

C. *Vi iuris positivi civilis.*

Diverso tempore et apud diversas gentes *illicita* simulque *invalida* matrimonia habebantur ex variis rationibus. Sic iam in codice *Hammurabi* invalidum dicitur coniugium, quod non fit per contractum coram iudicibus i. e. sacerdotibus in templo (§ 128); porro invalidum est inter virginem et eum, qui seductione vel calumnia eius sponsalia cum alio dissolvit (§ 161); porro invalidum erat inter consanguineos et affines in primis gradibus; ad-

[1]) Plura de hac re vide in libris de Theol. morali vel de iure canonico e. g. Lehmkuhl, II, de matrimonio sect. III; Koch, Lehrb. d. Moraltheologie, 1905; Heiner, Grundr. d. kath. Eherechtes 1900[4].

[2]) Cfr. Const. Pii P. P. X, 18. Jan. 1906: „Provida“.

[3]) Fornicatio (πορνεία) hoc loco a multis interpretibus non in sensu peccati carnis accipitur; hoc enim ab omnibus etiam paganis illicitum habebatur; sed ut matrimonium in gradu consanguineitatis per legem Mosaicam vetitum, sicut cetera illa ibidem vetita: immolata simulacrorum, sanguis, suffocatum (cfr. III Mos. c.c. 17, 18, 20, 22), quae etiam fidelibus ex gentibus ad religionem christianam conversis scandali gratia observanda erant (cfr. supra p. 395).

ultera, etiamsi erat solum sponsa, cum seductore morte punitur, nisi vim passa est. Lex permittebat plures uxores, praesertim servas, uxore principale tamen consentiente. Quando dissolvebatur, vidimus supra p. 395).

Apud *Israelitas* matrimonia invalida erant inter Israelitas et Chananeos, inter consanguineos et affines usque ad secundum gradum (III Mos. c.c. 18, 20), excepto coniugio „Leviratus“, sc. frater debebat viduam liberis carentem fratris sui defuncti uxorem ducere, ne nomen fratris pereat (V Mos. 25, 5); sacerdotes autem nonnisi virginem uxorem ducere poterant (III Mos. c. 20). — Postea Rabbini plura impedimenta statuebant eadem fere, quae apud nos vigent. Antiquitus coram patre familias fiebant matrimonia, quae sponsalia praecesserant, dono (mohar) patri sponsae oblato ad eam emendam ex antiquo more, qui etiam hodie observatur. Postea et hodiedum matrimonia coram rabbinis celebrantur ante synagogas. Adultera et sponsa, nisi vim passa, cum seductore lapidabatur. Qui uxorem recenter ductam adulterii falso accusaverat, verberibus et mulcta gravi (100 Sekel) puniebatur, neque poterat unquam eam dimittere; qui virginem corruperat, mulcta (50 Sekel) puniebatur et eam uxorem ducere debebat, quin eam unquam dimittere posset. Lex permittebat plures uxores, una tamen erat principalis, quae consentire debebat et cuius liberi proprii erant heredes (cfr. supra p. 396).

Apud *Romanos* antiquitus, moribus florentibus, sola forma coniugii, saltem nobilium, erat *confarreatio* (a sacrificio ex fare facto oblato et a nupturientibus comedendo), quod fiebat coram pontifice maximo et flamine diali et decem testibus, et omnino sacrum habebatur. Accessit forma *coemptionis*, qua uxor per contractum emebatur a parentibus sine alia forma legali; haec forma matrimonii praesertim apud plebem in usu erat. Tertia forma erat *usus*, quo duo simpliciter cohabitantes post annum habebantur etiam coram lege coniuges. Denique tempore Augusti accessit *concubinatus*, praesertim inter nobiles et servos, qui tamen ipse legitimus habebatur. Matrimonia inter consanguineos primi gradus, sicut apud Graecos, non licebant. Lex Romuli permittebat viro, uxorem suam, quae secundum legem Romanam sub plena potestate (sub manu) viri erat, castigare, si quid peccavisset, et si adultera vel vinum bibens inveniebatur — vinum enim initium adulterii reputabatur — morte puniebatur. Ita effectum est, ut per 520 annos nullum matrimonium dissolutum sit. Deinde vero labente moralitate, etiam adulteria frequentiora fiebant et dissolutiones inde ortae, quare Augustus legem Juliam de coercendis adulteriis (D. 48, 5) constituit, qua adulteri mulcta puniebantur, adultera autem in exilium eiciebatur. Semper tamen adulterium in feminis gravius ulciscebatur, quam in viris.

Constantinus vero imperator, christianus factus, adulterium morte puniebat. Hoc idem lex Germanica statuit et lex *Caroli V* imperatoris (art. 126) confirmavit. Morum autem severitate inde decrescente, mitius cum adulteris agi coeptum est. Lex gallica (code civile art. 308) adulterum poena carceris usque ad duos annos condemnat; sed ex anno 1884, omni poena sublata, coniugi alteri potestas matrimonium solvendi, si infra certum tempus postulat, traditur, potius incitamentum quam impedimentum adulterii in coniuge libidinoso. — Paulo severius lex poenalis germanica (ex anno 1872) coniugem adulterum, matrimonio soluto, poena carceris sex mensium damnat, modo

alter coniux infra tres menses hoc postulaverit (§ 172). Non igitur mirum, hodie praesertim in Gallia propter adulteria tot solvi matrimonia.

Nova igitur lex civilis germanica ex anno 1890 decernit, ut matrimonia *illicita vel invalida*[1]) sint: a) si parentes vel tribunal loco eorum usque ad annum vigesimum primum sponsorum matrimonio non consentiunt; b) si sponsus ante 21., sponsa ante 16. annum contraxerint, nisi tribunalis iudicio defectus aetatis suppleatur; c) si sponsus non habet potestatem gerendi negotia (geschäftsfähig); d) si iam est coniugatus neque legitime separatus; e) in consanguineitate (etiam legali) lineae rectae et primi gradus lineae lateralis et affinitate in sola linea recta; f) coniugium adulteri cum seductore; g) uxor soluta a viro ante 10 menses elapsos non potest iterum nubere, neque licet militibus sine permissione superiorum; h) nisi proclamatio sit facta vel si iam ante sex menses peracta; i) nisi coram functionario et duobus testibus sponsi consenserint et hic consensus in libro publico inscriptus sit; k) si quis in statu amentiae erat vel erroris de contractu matrimonii vel de persona coniugis eiusque aliqua substantiali proprietate, vel ex deceptione coniugis (non de dote) vel ex coactione et metu gravi matrimonium iniit; l) si quis, coniuge altero per errorem mortuo declarato, vivente tamen, novum matrimonium init; reviviscit prius matrimonium, si, nuntio de vita accepta, coniux denuo maritatus vel supervivens infra sex menses postulat revalidationem; post decem annos ius hoc praescriptione amittitur, item si iterum maritatus ad prius matrimonium redire non vult. — Matrimonium vero initum sub aliquo horum impedimentorum potest rescindi per sententiam iudicis, dummodo alteruter coniux infra sex menses id postulaverit. Potest iudex etiam dispensare de aliquibus impedimentis, e. g. de impedimento supra sub a) quoad sponsam, sub f, g et h[2]). Haec sententia iudicis habet vim retroactivam i. e. matrimonium invalidatum declaratur tanquam ab initio invalidum ac non exsistens; initio autem invalidum fit quasi ab initio valuisset; est igitur sanatio in radice, qualem ecclesia nullam unquam sibi vindicavit[3]).

Quid dicendum de his legibus matrimonii? a) Si agitur de effectibus *civilibus* (de hereditate, de bonorum administratione, de alimentatione etc.) ex eis ortis, possunt et debent etiam coniuges catholici eas sequi, iuxta illud Apostoli: „Subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam sc. potestati publicae“ (Rom. 13, 5 sq.). b) Si agitur de ipso *contractu* matrimoniali, distinguendum est: Si leges illae de matrimonio ineundo consentiunt cum legibus ecclesiasticis vel saltem eis non repugnant, possunt, imo debent observari, licet forte non ad valide, sed saltem *licite* contrahendum. Sic impedimenta *dirimentia* supra sub d, e, f, k statuta ab ecclesia ipsa

[1]) Cfr. BGB. §§ 1303—1317.

[2]) Lex ipsa non distinguit inter impedimenta solum impedientia et dirimentia, sed inter matrimonia invalida (nichtig) et invalidanda (anfechtbar); invalidantur autem propter rationes, ex quibus ab initio erant vetita i. e. nulla, et haec sententia iudicis invalidationis habet vim retroactivam i. e. matrimonia inita ab initio invalida reddit (cfr. Lehmkuhl, Das bürgerl. Gesetzbuch, p. 351).

[3]) Cfr. Lehmkuhl, Das bürgerl. Gesetzbuch, p. 352.

admittuntur; impedimenta autem sub a, b, c, g, h, i per legem civilem stabilita possunt tanquam *impedientia*, non tamen tanquam irritantia a nobis haberi, siquidem conditiones ibi requisitae aliquam honestatis publicae rationem prae se ferunt. Si vero ex illis rationibus matrimonium per iudicem solvitur, manet validum in facie ecclesiae, neque coniugibus ex his rationibus solutionem quaerentibus, permittente tamen auctoritate ecclesiastica, liceret nisi separatio a toro et mensa. Si vero lex solvit matrimonium ex rationibus sub d, e, f, k, l indicatis, matrimonia illa ab initio fuerunt invalida atque irrita, et si matrimonia sub f et l, ab initio irrita, per legem postea valida declarantur, haec matrimonia catholicorum (in casu divortii ex adulterio et viri mortui declarati) certe valida manent neque sanari possunt, nisi coniuge primo mortuo et *renovato consensu mutuo*, sine quo sanatio in radice in ecclesia haberi nequit. Ratio est, quia contractus matrimonialis ut sacramentum a Christo Ecclesiae auctoritati demandatus est, cui potestatem ligandi et solvendi contulit, quam sub poena aeternae damnationis audiendam esse docet (Matth. 16, 19; 18, 17). Quare Romani pontifices, e. g. Innocentius I († 417) *irritas* declarant leges imperatorum de divortio admittendo. Hieronymus (ep. 127 ad Oceanum): „Aliae sunt leges Caesarum, aliae Christi; aliud Papinianus, aliud Paulus noster praecipit. Apud illos viris impudicitiae frena laxantur et, solo stupro atque adulterio condemnato, passim per lupanaria et ancillulas libido permittitur, quasi culpam dignitas faciat, non voluntas. Apud nos, quod non licet feminis, aeque non licet viris et eadem servitus pari conditione censetur.“ Inde est, quod imperatores christiani a Constantino, Honorio, Theodosio Ecclesiae in hac re statuta faciebant sua. Justinianus imperator, auctor codicis iuris Romani, licet auctoritatis civilis studiosissimus, attamen legibus suis de matrimonio eis se conformare profitetur, „quae sacris canonibus definita sunt“; et Pipinus, rex Francorum, leges de matrimonio constituens, a Zacharia, Romano Pontifice, normam postulat, quam „sacrorum canonum sanxit auctoritas“. Et haec conformitas inter leges ecclesiasticas et civiles de matrimonio usque ad saeculum XIX in gentibus christianis vigebat. — Doctores in genere consentiunt, ante ecclesiam constitutam in civitatibus ethnicorum, quum alia auctoritas praeter civilem non exstiterit vel religiosa cum civili coniuncta fuerit — sic Caesares Romani etiam Pontifices maximi erant — ipsis licuisse impedimenta tum impedientia tum irritantia matrimonii statuere, dummodo naturae matrimonii eiusque proprietatibus necessariis (unitati et indissolubilitati) non repugnarent[1]).

Art. 2. De societate parentali.

I. *De eius natura.*

Societas coniugalis ex natura sua ordinata est ad liberos gignendos et educandos, qui cum parentibus novam efficiunt societatem naturalem, quae vocatur *familia*. *Est igitur societas naturalis parentum et liberorum, in quantum sub potestate patris vivunt.* a) Est societas *naturalis*, quia, licet parentes libere prolem gignant, attamen

[1]) Cfr. Cathrein, Moralphilosophie, II, 415 sq. Einig, l. c. p. 226.

ipsa coniunctio viri et uxoris est iam naturalis i. e. ab auctore naturae intenta et indole corporis et animi utique libere producta, et tota haec societas coniugalis ordinata est ad genus humanum propagandum. Natura igitur hominis tum individua tum socialis et *causam* et *finem* societatis coniugalis et parentalis constituit. Utraque igitur est, omnibus fatentibus, societas naturalis, imo omnium aliarum maxime fundamentalis et necessaria. b) Est societas parentum et *liberorum*, ut distinguatur a societate coniugali, quae est fundamentum familiae seu familia in fieri. c) Dicitur *sub potestate patris* vivere, ne societas familiae nimis stricte, vel nimis large intelligatur: *non nimis stricte* i. e. localiter, quasi filii non in domo patris viventes, e. g. milites, studiosi, servi et servae non iam pertineant ad familiam; imo etiam filius adoptatus fit membrum familiae, quia sub potestate patris familiae est[1]); *non nimis large*, quasi etiam cognati vel liberi iam maritati et sui iuris facti adhuc familiam unam constituant, nisi familiam intelligas sensu improprio pro *stirpe*, qua plures familiae cognatae ex communi avo continentur.

Patre mortuo vel impedito (e. g. propter dementiam, incapacitatem corporalem vel delicta)[2]) mater per se locum patris obtinet[3]), nisi leges positivae aliud determinent, sive ex consuetudine, sive ex ratione quadam speciali (e. g. incapacitate, Geschäftsunfähigkeit). Sic in iure romano et graeco non mater, sed heres patris vel tutor ab eo constitutus caput erat familiae[4]). Quodsi liberi certam aetatem per legem determinatam habent[5]), per legem

[1]) Cfr. BGB. §§ 1741—1772; praesertim § 1765. [2]) Ibid §§ 1665—1683.

[3]) Sic in BGB. §§ 1684—1698, modo aetatem puberem (i. e. 20, in Austria 24 annos) habeat, vel a tribunali iuris sui sit declarata (post 18, in Austria post 20 annos). Saepe tamen a tribunali ei adiutor additur (Pfleger), si administratio bonorum id exigere videtur, vel pater defunctus vel ipsa postulaverit (§§ 1909—1921). — Quodsi parentes ambo sunt defuncti vel incapaces rerum gerendarum (ut supra), tutor (Vormund) pupillorum constituitur necnon adiutor (Gegenvormund, Mund = Schutz), qui et educationem et administrationem bonorum gerere, et rationem reddere debent. Tutores legales sunt, qui vel a patre sive a matre defunctis designantur, vel avi pupillorum, vel a tribunali ad hoc delegati (§§ 1773—1908).

[4]) Grupp, Kulturgesch., I, p. 109 sq.

[5]) BGB. § 2 praescribit 21 annos, similiter lex gallica et britannica; lex austriaca 24; helvetica 20, vel coniugium antea initum; si tamen rationes sufficientes adsunt, post 18 annos a tribunali sui iuris declarari possunt (in Austria post 20 annos). Ante 7 annos nullus infans potest quidquam acquirere, neque damnum restituere debet (BGB. § 104), neque ante 12 annos responsabilis est pro delictis (StGB. § 55). A 7—18 annum potest, consentiente patre vel tutore, aliquid pro se acquirere vel negotia, contractus facere. Pater tamen habet administrationem et usum fructum bonorum liberorum, nisi donator vel testator hoc expresse vetuerit (§§ 1649 - 1675). Ab anno decimo sexto adolescentes possunt ad iuramenta admitti et testamenta legitime facere (§ 2229) et puellae nubere. Ab anno decimo octavo perfecte sunt responsabiles pro delictis; post 21 annos iuvenis matrimonium inire (§ 1303) et post 25 annos votum dare in electionibus politicis valet.

sui iuris habentur i. e. independentes a potestate patris et capaces rerum gerendarum. Apud veteres Romanos filius semper per totam vitam in potestate patris remanebat, qui eum vendere, imo et occidere per legem poterat[1]), adhibito tamen concilio familiae.

II. *De officiis et iuribus parentum.*

Parentes liberis suis in *genere* debent *amorem* eumque *benevolentiae*, quia iam ipsa natura cordibus parentum, praesertim matri, hunc amorem indidit; ita iam bruta pro prole sua vitam ipsam exponunt. Ratio huius amoris est ex una parte natura prolis, quae est quasi alter ego parentum, „caro de carne, os de ossibus" eorum, unde parentes prolem eodem impetu amoris amplectuntur, quo seipsos; ex altera parte est indigentia prolis recenter natae, quae ex se periret, nisi amor benevolentiae parentum eam protegeret. Est igitur signum crudelitatis innaturalis, si parentes prolem deserunt. — Ex hac obligatione amoris in genere fluunt officia erga filios in specie:

A. *De parentum officiis:*

1. *Quoad vitam corporalem liberorum:* Parentes tenentur, et vitam et sanitatem liberorum conservare atque pro viribus confortare, siquidem vita et sanitas est fundamentum totius educationis. Graviter igitur peccant parentes, qui, liberorum pertaesi, abortum faciunt eiciendo foetum ante hebdomadem vicesimam octavam vel liberos exponunt vel eos nutrimento debito privant vel poenis corporalibus crudeliter affligunt. Etiam mater praegnans tenetur abstinere a labore gravi vel simili re proli nocente, id quod iam Aristoteles sapienter monet et legibus sanciri vult[2]). Neque licet foetum directe interficere per craneotomiam vel per perforationem ad matrem salvandam, quia finis non sanctificat medium in se malum, ut est hominis interfectio vel etiam aggressoris, sed non *illegitimi*, qualis est proles (cfr. supra p. 280). Licet tamen matri, medicinam ad morbum gravem curandum adhibere, quamvis inde periculum prolis oriri possit; porro licet, praematurum partum per sectionem caesaream vel symphyseos efficere, modo spes adsit matris et prolis salvandae[3]).

Leges veterum, exceptis forte Thebanis et Aegyptiis, quae expositionem liberorum interdicebant, liberos arbitrio parentum tradebant, imo nonnunquam eorum mortem vel expositionem praescribebant, praesertim si populatio nimis crescere videbatur vel si infantes debiles erant sive deformati; maxime vero puellae ut onerosae abiciebantur; ita teste Herodoto apud Persas, teste

[1]) Cfr. Grupp, l. c. 107 sq. [2]) Polit. VII, 16.

[3]) Cfr. Koch, Lehrb. d. Moraltheologie 1906², p. 526 sq.

Strabone apud Kathaeanos, teste Plutarcho apud Lacedaemonas (Taygetus[1]). Lex romana vetustissima duodecim tabularum permisit patri infantem deformatum pro arbitrio necare; similiter leges vel consuetudines Gallorum, Hunnorum, Vandalorum, Gothorum etc. Aliae gentes, ut Babylonii, Syrii, Phoenices, Carthaginienses, sub specie religionis infantes diis sacrificabant morte crudeli (Astarte, Moloch); ita etiam Graeci et Romani Saturno. Neque quemquam latet, etiam hodie infantes exponi vel necari apud Sinenses (ex anno 232 a. Chr.) et gentes multas barbaras in America, Africa, Australia. — Primum lex christiana infantibus, etiam nondum natis, ius humanum vindicavit, poenis severis, imo excommunicatione et abortum et expositionem infantium ulciscens. Ita iam doctrina XII apostolorum primo saeculo p. Chr., epistola Barnabae et ad Diognetum secundo saeculo, Tertullianus tertio saeculo, constitutiones apostolicae, Concilia Eliberitanum et Ancyranum quarto saeculo etc.[2]). Porro apud ecclesias conchae marmoreae erant ad liberos a matribus crudelibus sive lapsis expositos suscipiendos et per „matricularios" nomine Ecclesiae elevandos. Deinde ad hos infantes suscipiendos orphanotrophia aedificabantur, primum in oriente saec. IV vel V, deinde in occidente (primum a. 787 Milani), quorum celeberrima sunt, quae adhuc hodie exsistunt: „Santo Spirito" Romae sub Innocentio III institutum et orphanotrophium Parisiis a s. Vincentio a Paulo fundatum.

Ecclesiae leges civiles gentium christianarum sequentes et ipsae abortum et expositionem infantium poenis coercent; ita iam imperatores Romani christiani, necnon leges Germanorum; lex Gothorum abortum et liberorum

---

[1]) Cfr. Weiss, Apologie II (1890²) p. 720 sq. Quid quod ipse *Aristoteles* scripserit, morem sui temporis exhibens: „De exponendis autem vel tollendis partubus lex esto, ne quid mancum et debile alatur. Propter multitudinem autem liberorum ne plures sint quam expediat; si gentium instituta et leges vetent procreata exponere, definitum esse oportet procreandorum liberorum numerum. Quodsi . . . plures liberi quam definitum sit nascantur, priusquam sensus et vita inseratur, abortus est fetui inferendus . . . Qui hanc aetatem (i. e. 40 annos) quadriennio aut quinquennio superat, is debet a manifesta procreatione solutus esse. De reliquo valetudinis gratia, aut propter talem aliquam causam, oportet eos *videri* inter se commisceri." (Polit. VII, 16). Similiter sentit Plato (De republ. V, 460 sq.).

Possunt excusari illi quidem viri fide non illuminati neque spectantes nisi vitam et utilitatem terrenam et insuper opinione imbuti, foetum nondum anima rationali esse animatum, id quod ne biologi quidem hodie autumant. — Multo igitur magis reprehendendus est Haeckel scribens: „Man kann bei Neugeborenen . . . von einem menschlichen Geiste nicht sprechen. Es kann daher auch die Tötung von neugeborenen verkrüppelten Kindern, wie sie z. B. die Spartaner behufs der Selektion der Tüchtigsten übten, vernünftiger Weise gar nicht unter den Begriff des Mordes fallen, wie es noch in unsern modernen Gesetzbüchern geschieht. Vielmehr müssen wir dieselbe als eine zweckmässige, sowohl für die Beteiligten, als für die Gesellschaft nützliche Massregel billigen" (Lebenswunder 1904², p. 23; ibid. etiam suadet mortaliter aegrotis vel mente captis venenum dare, ut ipsi et societas liberentur; cfr. vol. I, p. 251).

[2]) Cfr. Funk, Patr. apost. 1; Koch, Lehrb. d. Moraltheol. 1906², p. 326; Werner l. c. III, 274.

necem sub poena mortis vel oculorum effossionis vetuit[1]). Codex poenalis noster pro prole nondum nata constituit procuratorem (Pfleger)[2]) et matrem, quae prolem illegitimam interficit, poena a 2 annis carceris usque ad 3 annos ergastuli afficit; quae abortum libere fecit, pro culpa sua carcere 6 mensium usque ad 3 annos ergastuli punitur; item huius criminis participes. Qui infantes suos exponunt, carcere ad minus 3 mensium puniuntur, et si infans expositus grave damnum passus est, usque ad 10 annos ergastuli lex praescribit[3]).

2. *Quoad vitam spiritualem* parentes obligantur, liberos pro statu et conditione sua ita educare et instruere, ut apti fiant ad se ipsos postea alendos. Unde liberi ab ipsis parentibus vel institutoribus sive privatis sive publicis disciplina artium vel literarum imbuendi sunt, in quantum conditio parentum permittit et necessitas temporum postulat. Quemadmodum autem parentes non tenentur ad vitam et sanitatem corporalem liberorum servandam expensa facere ipsorum conditioni non proportionata, ita neque ad vitam spiritualem explicandam per se obligantur sumptus facere, qui fortunam familiae graviter periclitantur.

3. Quoad vitam *religiosam et moralem* parentibus curandum est, ut liberi in doctrina et cultu vero de Deo instituantur, quae institutio prima et fundamentalis ipsis parentibus, praesertim matri, incumbit, secundaria per magistros fieri potest, ita tamen ut in hac re parentes responsabiles fiant ipsisque imputetur, si sine necessitate gravi liberos magistris tradiderint infidelibus vel immoralibus. Periculum hodie in illis terris adesse potest, in quibus scholae sunt publicae et obligatio adest has scholas frequentandi (Staatsschule und Schulzwang), praesertim si sunt simultaneae vel etiam non confessionales et si magistri a recta fide et morum regula defecerunt, e. g. in Gallia. Tunc parentibus omnibus mediis legalibus adlaborandum est, ut scholae confessionales fiant vel liberae instituantur et interim liberis suis invigilare debent, ne religio eorum detrimentum capiat. Similiter cavendum est, ne liberi malos mores contrahant in conversatione cum domesticis vel coaevis, praesertim ne ipsi parentes vita sua dissoluta vel discordia, imo seductione aperta eis scandalum praebeant. „Dos enim", ait Horatius, „est magna parentum virtus"[4]). Porro vigilandum est, ne in ipsa domo liberi statuas vel imagines librosque videant bonis moribus obnoxios[5]). — Opor-

---

[1]) Cfr. Werner, l. c. III, 271 sq., ubi plura de hac re habentur.

[2]) BGB § 1912. [3]) Cfr. StrGB. §§ 217—221.

[4]) Carm. III, c. 24, 21; cfr. Hieronymus, ep. 107 (alii 7) n. 9.

[5]) Ita iam Aristoteles (Polit. VII, 17) monet, ne pueri cum servis saepe moribus depravatis conversentur, ne quis coram eis verba obscoena proferat; quod si quis fecerit, iunior verberibus, aetate provectus publica ignominia afficiatur; item statuae et imagines obscoenae in publico ne admittantur, sed solum in templis idque aetate provectis, quia mores in infantia contracti per totam vitam perdurent. Similiter sentit Plato, De republ. III, 401 sq.

tet igitur parentes corripiant liberos peccantes (I Sam. 2), attamen affectu per amorem paternum moderato, ne eorum animos nimis deprimant vel etiam obtundant; quodsi liberi bene fecerint, laudandi sunt, ut amorem virtutis concilient. (Lege monita ab Apostolo Paulo sapientissime data Eph. 6, 4; Col. 3, 21)[1].

Quodsi parentes vel tutores officia erga liberos quoad vitam corporalem vel spiritualem et moralem graviter negligunt, tribunal (Vormundschaftsgericht) per legem de die 2. Julii 1900 (in Bavaria 10. 5. 1902; in Badenia 16. 8. 1900) potest liberos usque ad annum decimum octavum completum familiae honestae vel instituto apto educandos tradere, auditis tamen patre, matre, tutore vel agnatis. Idem fieri potest, si agitur de malefactoribus infra 18 annos, praesertim pluries iam punitis (cfr. StrGB. §§ 55—57; BGB. §§ 1666, 1838). Parochi vel magistri vel alii viri auctoritate praediti ius habent hoc tribunalis decretum expostulandi, et videtur hoc medium non parum efficax tum ad parentum negligentiam et pravitatem, tum ad liberorum proterviam coercendam. Quot liberi quantisque sumptibus usque 1906 educationi traditi fuerint, vide supra p. 289 (Zwangserziehung).

B. *De parentum iuribus.*

1. *Natura horum iurium:* Officiis parentum correspondent eorum iura, quorum primum et fundamentale est ius *exclusivum* filios educandi; secus enim non possent esse responsabiles quoad officium educationis. Quotiescunque igitur parentes non abutuntur iure suo, graviter negligentes liberos quoad corpus vel animam, nemo, ne auctoritas quidem publica, ius habet potestatem paternam coarctandi; nam ius paternum est omnium primum, omnemque aliam auctoritatem praecedit; imo auctoritas publica tandem orta est ex auctoritate paterna primitiva successive ad plures familias extensa. Auctoritas igitur paterna immediate a Deo collata est per ipsum factum generationis. In omnibus igitur, quae ad educationem pertinent, patri vel eius vices gerenti est obediendum. Potest igitur determinare domicilium, modum vivendi, laborandi, imo et religionem, quam veram habet, liberorum, id quod leges civiles in genere agnoscunt atque confirmant[2].

2. *Extensio iuris paterni:* Ius autem paternum non est absolutum, sed eius limites et terminus, sicut etiam eius fons et ratio, est finis educationis. Quidquid igitur fini educationis repugnat, non licet patri. Qua in re tum per excessum tum per defectum peccatur.

[1]) Plura de hac quaestione vide Hammer, Der christl. Vater, 1899[3]; Die christl. Mutter, 1897[3]. Ernst, Elternpflicht, 1906[3]. Becker, Die christl. Erziehung oder Pflichten der Eltern, 1907[3]. Weiss, Apologie, 1891[2], III, 2, p. 607 sq.

[2]) Cfr. BGB §§ 1616—1632.

Sunt enim, qui nimium extendant potestatem paternam, quasi sit illimitata. Sic veteres Romani liberos potestati paternae per totam vitam prorsus subditos faciebant, ita ut eorum conditio, matrimonia, libertas[1]), imo et vita a patre dependeret, saltem vi legis antiquae. Patris igitur potestas limitatur: a) per legem naturalem, quando quid mandat, quod saluti corporis filiorum graviter nocet vel animae; ad hoc igitur filius non tenetur. Non igitur pater ad peccatum obligari potest, neque ad religionem falsam, neque ad matrimonium vel coelibatum amplectendum, si naturae vel perfectioni liberorum haec repugnant; a statu enim vitae electo saepe vita aeterna dependet. Potestas igitur patris fini ultimo liberorum subordinata est eique cedere debet, si adest conflictus. Ita apud Babylonios patres potestatem suam plus iusto extendebant, propria auctoritate filias suas deo Marduk voventes: alias ut essent virgines perpetuae, alias ut matrimonio legitimo interdicto sese in honorem Dei sui in templo prostituerent[2]).

b) Potestas patris limitari potest per leges positivas tum ecclesiasticas tum civiles: per illas, quia ecclesia habet „claves coelorum", potestatem ligandi atque solvendi a Christo acceptam; per has, quia legem naturae applicare, determinare et poenis munire possunt. Si igitur legis determinationes neque iuri naturali neque legi ecclesiasticae repugnant per se, in conscientia obligant.

Sic lex civilis liberis 14 annos natis iure permittit, ut etiam parentibus invitis aliam religionem amplectantur; in hoc autem vel auctoritatem suam, saltem quoad conscientiam, excedit, vel parentum vel tutorum potestatem nimis exaggerat, si *cogit* liberos ante annum decimum quartum religionem sequi paternam vel tutoris[3]). Neque immerito lex ante annum vicesimum primum completum matrimonium dependens facit a consensu parentum, licet hanc potestatem in eo excedere videatur, quod matrimonia parentibus invitis inita rescindi i. e. annullari posse decernit. Merito etiam anno vicesimo primo expleto liberos ex potestate paterna dimittit eosque sui iuris facit, unde consensum parentum ad matrimonium non iam requirit.

[1]) Pater romanus per legem, sicut uxorem et filiam, ita etiam filium locare vel vendere poterat, saltem ter; tunc enim filius liber erat a potestate paterna (Grupp, Kulturgesch. I, p. 108).

[2]) Cfr. leges Hammurabi apud Winckler § 181. Neve dicas, etiam ecclesiam obligare sacerdotes, monachos et moniales ad perpetuam virginitatem; nam hi se ipsos *libere* voto illo obligant, idque aetate matura et post plures annos probationis, *permittente* ecclesia; sed puellae Babylonicae, sicut et vestales Romanae, a parentibus aetate praematura voto illo *obstringebantur*. Accedit, quod ecclesia etiam media et adiutoria quam maxima confert illis, qui voto castitatis se obligaverunt, ut possint illam servare, quae media veteres deficiebant.

[3]) Cfr. § 1631 et EG. § 134; lege, quae Lehmkuhl, Das bürgerl. Gesetzbuch, p. 442 et 660 sq. de hac re scribit, necnon K. Schmidt, Die Konfession der Kinder 1890.

Porro bene recteque quaedam statuit, ne parentes vitam, sanitatem, libertatem personalem liberorum violare possint, porro ut eos scholae tradant, ut liberi etiam bona propria possidere possint, quae potestati patris non plene subsint, ut liberi a parentibus neglecti aliis educandi per legem tradantur [1]). Nimis autem auctoritatem paternam restringunt, qui liberos educationi publicae per civitatem tradi volunt, ut Plato in statu suo ideali et socialistae. Neque ab hac sententia satis abhorret Aristoteles docens, puerorum disciplinam et institutionem „communem et publicam esse oportere", quia „civem neminem existimare oporteat ipsum esse suum, sed omnes se esse civitatis" [2]). Deprimit igitur auctoritatem parentum, nimis extollens potestatem civitatis, quippe quae veteribus, de vita futura et de dignitate personae humanae non recte sentientibus, ultimus finis civium esse videretur. Neque satis ab hac sententia auctoritas civilis nostro tempore recedere videtur, quum scholas instituat publicas et obligatorias, saepe interconfessionales, magistros ipsa sola deligat, nullo parentum influxu, tempusque disciplinae determinet saepe vix parentum conditioni vel necessitati adaptatum.

III. *De officiis et iuribus filiorum.*

A. *De eorum officiis.*

Ex officiis et iuribus parentum apparet etiam, quae sint officia et iura liberorum, siquidem sunt correlativa. Officia igitur liberorum erga parentes oriuntur alia ex generatione, alia ex educatione. Ex generatione potissimum oritur obligatio ad *reverentiam*, ex *elevatione* obligatio ad *amorem*, ex *educatione* obligatio ad *obedientiam* [3]).

1. Ad *reverentiam* sive pietatem obligantur liberi propter *excellentiam* parentum; a parentibus enim vitam habent tanquam effectum ex causa, parentes eis praestant viribus corporis et animi et quasi Dei auctoritatem praeseferunt tamquam eius vices gerentes. Inde est, quod peccata contra reverentiam debitam verbis vel factis (gestibus, verberibus etc.) commissam apud omnes gentes tam graviter puniuntur. (Cfr. II Mos. 20, 12; V Mos. 5, 16; Prov. 30, 17. Matth. 15, 4; Eph. 6, 1—3; Col. 3, 20.) Lex Mosaica morte eum punit, qui „maledixerit patri suo vel matri" (II Mos. 21, 17); lex Babylonica (Hammurabi) iubet manus abscidi filio, qui patrem percutit, et filius illegitimus sub tutore positus, si ei contradicit, lingua ei praescinda erat [4]).

2. Ad *amorem* tenentur liberi propter innumera *beneficia*, quibus praeter vitam ipsam a parentibus cumulantur: nutrimentum, vestimentum, tutela, domicilium, ad quae omnia comparanda parentes, praesertim mater, continuos labores et dolores subire debent.

[1]) BGB. § 1626—1718. [2]) Cfr. Polit. VIII, 1.
[3]) Cfr. S. Theol. II II, qu. 101—105.
[4]) Winckler, l. c. § 192, 193, 195.

Accedit amor benevolentiae omnium maximus, quem parentes in filios habent et qui redamationem meretur. Hic igitur amor filiorum, primum potius affectivus, ex ipsa indole naturae ortus, initio est amor *gratitudinis* (cfr. supra p. 264), qui tamen coniunctus cum affectu reverentiae et pietatis in amorem perfectum *benevolentiae* transire debet; neque solum affectivus esse debet et cordi intrinsecus, sed etiam effectivus, ut sit verus (I Joh. 3, 18) i. e. debet se manifestare obedientia, labore et adiutorio parentibus libenter praestito, si eo indigent; praesertim patienter perferendo defectus physicos vel etiam morales parentum, inprimis aetate provectorum. (Cfr. Genes. 9, 21 sq.)

Hoc nostro tempore eo magis inculcandum est, quo nimis multi inveniuntur adolescentes et adolescentulae in fabricis, fodinis vel negotiis operantes, qui parentes debiles et egentes vix iam mercede sua adiuvent, sed luxum quaerant ac voluptates. — Veteres auctores referunt, apud multas gentes parentes a liberis pessime esse tractatos; sic Herodotus testatur, Massagetas et Padaeos parentes senes occidisse et comedisse; Strabo narrat idem de Derbicis et Ponticis; Bactros, Medos, Hyrcanos canibus parentes debiles proiecisse dilaniandos, apud Craspios eos fame interisse; Aethiopes eos sibi ipsis mortem inferre cogebant vel eos crudeliter trucidabant; idem dicitur de veteribus Germanis et Borussis. Simile aliquid de nonnullis gentibus barbaris hodiernis narratur e. g. de Indianis, Hottentotten, de incolis in Neuseeland, in insulis Oceaniae, de Koreanis etc. [1]).

3. Ad *obedientiam* obligantur liberi primum propter *ordinem* in domo et familia, quia sine ea pax et tranquillitas et operatio ordinata haberi nequit; deinde propter *educationem*; haec enim nullo modo haberi posset, sine obedientia. Quae nisi exhiberetur, tota familia periret et deficeret fundamentum ipsius civitatis. Filii enim in familia ad obedientiam ab infantia non assuefacti, neque auctoritati publicae parebunt, ita ut etiam civitas in dicrimen vocetur. Quod hodie maxime apparet in familiis socialisticis vel moribus delapsis, ex qua illi prodeunt, qui novarum rerum revolutionisque sunt studiosi. Quare etiam leges adiuvant parentes ad obedientiam liberorum extorquendam, si opus fuerit: per privationem dotis filiae inhonestae, vel partis liberae hereditatis, per prohibitionem matrimonii sine consensu patris vel tutoris, vel per educationem coactivam (Zwangserziehung) [2]).

Obedientia autem liberorum, ut vera sit et perfecta, debet esse prompta (pünktlich), animo laeto atque hilari (freudig), constans i. e. laboris non pertaesa (opferwillig). (Cfr. Sam. 3, 4, sq.)

Numquid igitur filii in omnibus parentibus obedire tenentur? Minime, si quid imperent, quod legi naturae, divinae vel humanae legitimae certo

[1]) Werner, III p. 270. Weiss, Apolog. 1890 [2], II, 736 sq.
[2]) Cfr. BGB. 1305, 1331, 1611, 1617, 1621, 1631, 2333—2338.

repugnat. Deinde non tenentur in rebus propriis, si iam sui iuris sunt (post annum vicesimum primum) i. e. si bonorum suorum propriam habent administrationem vel matrimonium inierunt, licet consilia parentum semper audire atque debite respicere debeant. Idem dicendum est de religione vera amplectenda, de statu sive virginitatis (sacerdotii) sive matrimonii honesti eligendo, siquidem hic agitur de fine ultimo, quem quisque pro se intendere debet. Auctoritas autem paterna exspirat formaliter, quando educatio est terminata; haec est enim primaria ratio et fundamentum auctoritatis paternae et obedientiae filialis; hac igitur peracta, homines sui iuris effecti, se ipsos libere determinare debent atque finem suum intendere. Si vero liberi iam adulti permanent in domo patris, sicut fit in familiis patriarchalibus Sinensium, filii tenentur ordinem domus et familiae a patre constitutum observare, ne discordia oriatur, sed tranquillum possit esse convivium et ordinata operatio.

B. *De iuribus liberorum.*

1. Liberi possunt respectu parentum considerari ut homines et ut liberi; si ut homines considerantur, quaedam iura habent respectu parentum ex *stricta iustitia* naturali, sicut alii homines; sic non solum caritatem, sed etiam iustitiam laedunt parentes, si vitae, integritati corporis liberorum, eorum honori sive bonis propriis dammum inferunt; unde haec iura omnia per leges proteguntur et sicut aliorum hominum, si fuerint laesa, puniuntur. — Accedunt iura ex lege positiva i. e. ex *iustitia legali*, quae parentibus officia imponunt; sic ius alimentationis debitae, ius dotis congruae filiae nupturientis, ius hereditatis legitimae (Pflichtteil = dimidia pars hereditatis ex intestato), ius administrationis legitimae bonorum suorum per parentes et alia plura[1]).

2. Si vero liberi considerantur formaliter ut a parentibus generati et quasi ut pars eorum, tunc non iura ex iustitia stricta, sed potius *ex caritate* habent, quam parentes eis exhibere debent. Sic ius educationis et alimentationis, saltem si abstrahimus a lege positiva et solum ius naturale consideramus, potius ex caritate oritur, siquidem liberi ex se inopes, adiutorio indigent idque primum parentes debent, qui per generationem eis exsistentiam dederunt, quare officium alimentationis et educationis eis primum incumbit, et si ipsi deficiunt, propinquis et tandem communitatibus Quodsi parentes in hac re deficiunt, certe peccant, imo saepe gravius, quam si officium iustitiae neglexissent.

Hoc modo controversia illa componitur inter doctores exorta, num possint esse relationes iustitiae strictae inter parentes et filios, aliis affirmantibus cum Soto, Molina, Suarez, aliis negantibus cum Cajetano, Valentia etc., qui provocant ad Aristotelem[2]) et s. Thomam[3]), qui tamen ipse distinguit: „Inquantum uterque est homo, aliquo modo ad eos est iustitia . . . sed inquan-

[1]) Cfr. BGB. §§ 1602, 1603, 1638—1718 rep. 1772.
[2]) Eth. Nic. V, 10. [3]) S. Theol. II, II qu. 57 a. 2.

tum uterque est aliquid alterius, secundum hoc deficit ibi perfecta ratio iusti vel iuris[1]).

Art. 3. De societate herili.

Quamvis familia sensu stricto non constet nisi ex parentibus et liberis, in genere tamen ad eam domestici quoque accedunt sive servi, quorum relatio ad patrem familias sive herum constituit societatem herilem. Unde eius origo, natura, proprietates (iura et officia) consideranda sunt.

I. *De origine societatis herilis.*

1. Parentes duplici modo sibi soli non sufficiunt ad omnia opera familiae praestanda: Primum, quando adsunt infantes multi parvuli, quorum curam mater, praesertim debilis vel aegrota, sola suscipere non possit; deinde negotia familiae (agri, pecudes, fodinae, fabricae, mercatura) tanta esse possunt, ut pater neque etiam eius filii sufficiant ad operam praestandam. — Accedit, quod alii homines inveniuntur, qui vel in familia sua non satis laboris habent, quia vires abundant, vel necessariis sint destituti, possunt tamen operam exhibere tum animi tum corporis, quare praesto sunt ad operam suam aliis libere locandam sive per totam vitam, sive pro tempore quodam, mercede certa constituta. Hoc modo ipsa natura socialis humana sc. diversa bonorum necnon indolis naturalis distributio, mutuaque necessitas est fundamentum societatis herilis, quae proinde tam antiqua est quam est ipsa familia et societas humana.

2. Sed ad hanc originem naturalem servitutis decursu temporis, moribus et humanitate magis magisque labentibus, aliae causae minus honestae accedebant, quibus servitus proprie dicta, homine indigna (Sklaverei), orta est: a) *Bella;* homines enim, originis suae communis obliti et a primaeva iustitia deficientes, alios sibi subicere vel se contra eos tueri conabantur bello illato. Porro veteres ius sibi vindicabant omnes hostes interficiendi, sed saepe praeferebant, eos praesertim mulieres et adulescentulos in captivitatem deducere, ut per totam vitam servirent, toto victu ab heris accepto[2]). b) Accedit *nativitas in servitute;* heri enim liberos ex suis servis natos tanquam proprietatem suam habebant. c) *Propria venditio* eorum, qui

[1]) Ibid. ad secundum.
[2]) Ita veteres Babylonii et Assyrii gentes devictas in terram suam deportabant (Israelitas); sic etiam veteres Germani incolas primitivos, qui terras occupatas habitabant, sibi servos reddebant. Romani urbe Tarenti capta 30 000, Sardibus devictis 8000, Epiro expugnato 150 000 homines in servitutem vendebant; in urbe Delos saepe cotidie 10 000 servi vendebantur et in omnibus fere maioribus urbibus saepe haec „merces humana“ veniit (cfr. H. Pesch, Die soziale Frage, 10. u. 11. Heft 1906, II, p. 605 sq.

non habebant, unde viverent. d) *Debita non soluta;* ius enim veterum, imo et medii aevi permittebat creditoribus, debitores vel in vincula conicere (Schuldturm) vel ad operam praestandam cogere, usque dum debita soluta essent; debitores saepe pro se uxores vel liberos in servitutem sive perpetuam sive pro tempore vendebant [1]).

Haec igitur servitus a primaeva naturali eo differt, quod non libere, sed per physicam vel moralem coactionem initur, quod servi quasi omni iure personali privantur, arbitrio heri prorsus obnoxii, quasi eius proprietas realis, unde herus pro libito eos vendere, verberibus, ignominia, imo morte afficere potest. Attamen haec servitus non eadem omni tempore et apud omnes gentes est, sed mox mitior et humanior, mox durior apparet. Servitus iam ab antiquissimis temporibus apud gentes tum barbaras, tum cultas habetur. Sic codex Hammurabi (2250 fere a. Chr.) distinguit inter homines nobiles, liberos, libertinos et servos; servorum nulla videntur fuisse iura, siquidem poena pro vulnere vel morte eis illatis *hero* solvenda erat (sc. quarta pars poenae pro vulneratione hominis liberi, dimidia pars poenae pro libertino), hero autem nulla poena pro tali delicto imponitur. Servus si liberum percusserat vel domino non obedierat, auris ei praescindebatur [2]). Similiter servitus iam antiquissimis temporibus apud Aegyptios in usu erat, ut apparet ex „libro mortuorum" [3]). Item apud Hebraeos, ubi tamen mitior erat, siquidem servus hebraeus post 6 annos servitutis et anno iubilaei (quinquagesimo quoque anno) per legem liber erat, nisi ipse in servitute permanere vellet; item si herus ei oculum vel dentem castigando excussisset; si vero ei mortem intulisset, herus lege puniebatur [4]). Apud Graecos et Romanos servitutem viguisse servosque antiquo quidem tempore mitius, postea vero semper durius tractatos et despectos fuisse, apud omnes constat. Sic Homerus, forte poetice exaggerans, narrat, in domo Ulixis 50 fuisse servas et plura milia servorum [5]). In civitate Atheniensi (secundum alios 20000 cives et 400000 servi) [6]) tempore Platonis 135000 homines liberi et 365000 servi fuisse dicuntur, quae proportio inter liberos et servos etiam apud Romanos fuisse videtur. Romae tempore imperatorum 1000000 servi fuisse dicuntur, duplo plus quam liberi. Aristoteles servum vocat instrumentum animatum, ab hero separatum, ad eius servitium, non sui iuris, attamen homo [7]); necessitatem servitutis probare conatur ex eo, quod homines multi ex natura sua ad aliorum servitium ordinati sint, utpote fortes corpore, debiles animo, et esse opera, quae homine libero indigna sint [8]). Suadet tamen Stagirita, ut servi bene nutriantur, ut meliores ad opera libertinorum adhibeantur eisque libertas promittatur, si bene se gesserint; imo loquitur etiam de amicitia cum servo [9]). Ratio igitur ultima, cur servi despicerentur, erat ignorantia de

[1]) Cfr. II Mos., c. 21 et Cod. Hammurabi §§ 115—119.
[2]) Ib. §§ 15—20; 199 sq. [3]) Cfr. Cathrein, Moralphilosophie, I, p. 573.
[4]) II Mos. c. 21. [5]) Odyss. 17, 422; 22, 421. [6]) Cfr. Weiss, Apol. II, 192.
[7]) Polit. I, c. 4 et 5: Ὄργανον ἔμψυχον, χωριστόν, πρακτικόν, ἄλλου, ἄνθρωπος ὤν; sic Cathrein eius textum apte contrahit. Iam Homerus censet, Jovem privare servum dimidia parte virtutis humanae, Od. 17, 322.
[8]) Ibid. III c. 455. Cfr. Weiss, Apol. 1594 [3], I, p. 372 sq.
[9]) Eth. 8, 13; Oecon. I, 5.

dignitate naturae humanae in omnibus aequalis, et contemptus laboris, id quod Cicero, licet homo magni nobilisque animi, confirmat [1]). — Durius quam apud Graecos servi tractabantur apud Romanos, saltem tempore posteriore, quo dominis licebat, servos pro arbitrio castigare, mutilare, occidere, quia quasi res habebantur [2]), unde saepius servorum seditiones oriebantur (anno 140 et 104 a. Chr. in Sicilia, 73 in Capua duce Spartaco). Primum lex Petronia 61 p. Chr. servos sine iudicio tribunali ad arenam condemnari, deinde Antoninus Pius eos iniuste necari vetuit et Constantinus, primus imperator christianus, necem servi tanquam homicidium poenis coercebat.

Religio christiana non directe vetat servitutem, quia eam abolere illo tempore impossibile erat tum propter statum oeconomicum servitute prorsus fundatum, tum propter corruptionem moralem servorum, qui libertate nondum recte uti poterant. Unde monet Apostolus (I Cor. 7, 21 sq. Eph. 6, 5) servos, ut fideles sint dominis suis. Attamen evangelium Christi abolitionem servitutis indirecte praeparabat, docens, omnes in Christo esse fratres et aequales coram Deo (I Cor. 12, 13), ita ut et servi ad sacerdotium, imo episcopatum admitterentur (Onesimus I saec. episcopus, Kallistus III saec. papa). Deinde evangelium officium et dignitatem laboris manualis apud veteres et gentes barbaras despecti tamquam servilis [3]) praedicabat et verbo et exemplo ipsorum apostolorum (II Thes. 3, 8) et monachorum. Unde non mirum, quod a christianis servi saepe liberi dimissi sunt; sic tempore Traiani Hermes praefectus Romae baptizatus 1250, Chromatius tempore Diocletiani 1400 servis libertatem dedisse dicitur. Et hae „manumissiones" tam frequentes erant, ut saeculo XIII servitus veterum dura, in quantum *personalis* erat, abolita fuerit. Solum Judaei et Arabes per totum medium aevum servos emebant et vendebant, ecclesia tamen fortiter resistente; 300 fere synodi medii aevi et servitutem et negotiationem hanc poenis ecclesiasticis condemnabant, servis ius personale proprietatis, tribunalis et matrimonii liberi vindicantes. Amore Christi permoti, *Trinitarii* (a. J. de Matha et Felix de Valois fundati) et *Nolasci* (a P. Nolasco 1223 fundati) servis christianis ex captivitate infidelium redimendis et se et bona sua devoventes, usque ad saec. XVIII 1200000 christianos liberavisse dicuntur (Trinitarii 900000, Nolasci 300000 à 4000—5000 M., 7000 martyres) [4]).

[1]) Cfr. Tusc. V, 36 et De Offic. I, 42. [2]) Cfr. Jhering, Geist des röm. Rechts, 1880, II, 1, p. 167. H. Pesch, Die soziale Frage, 1896, II, p. 577.
[3]) Cfr. Weiss, Apologie 1894 [3], I, p. 372 sq. Ita Aristoteles, licet vir sapiens et honestus, vocat artificem hominem „illiberalem ac sordidum", non dignum civitate perfecta, nedum magistratu, et videtur legem Thebanam laudare, quae arcet omnes a magistratu, „qui non decem annos perpetuos sine ulla intermissione mercaturam in foro et taberna facere desiissent." (Polit. III, 5). Imo et eos habet illiberales et mercenarios, qui scientiam discunt ad alios docendos. (Ibid. VIII, 2). Similiter Cicero (De off., I, 42): „Illiberales et sordidi quaestus mercenariorum omniumque, quorum operae, non artes emuntur . . . Sordidi etiam putandi, qui mercantur a mercatoribus, quod statim vendant . . . opificesque omnes in sordida arte versantur; nec enim quodquam ingenuum potest habere officina."
[4]) Cfr. Weiss, Apol. 1891 [2] III, 1, p. 550; cfr. supra p. 290. Unde etiam ecclesiae minime faventes multi cum Hellwald fatentur: „Zu den Kultur-

Denuo revivixit servitus in America per Columbum detecta, eo quod primum Indiani [1]), deinde Negri ex Africa importati ut servi a colonis Hispanicis adhibebantur (Las Casas, Petrus Claver, Vieira [2]), cui negotiationi etiam nationes christianae (Hispani, Portugalli, Galli, Britanni, Batavi etc.) intererant. Summi pontifices saepius hanc negotiationem foedam interdicebant: Pius II 1462; Paul III 1537; Urbanus VIII 1639; Benedictus XIV 1741; Gregorius XVI 1839; Leo XIII 1888, ita ut tandem nationes christianae, ducibus Britannis, in congressu Vindobonensi 1814 et per unionem 1841 (Quintupelvertrag), cui Belgae 1848, imperium Germanicum 1879 accedebat, negotiationem hanc de merce humana prohiberent. Per nationes christianas Europae, praesertim auctore episcopo Carthaginiensi cardinali Lavigerie et congressu internationali 1889/90 Bruxellae habito, etiam in Africa haec negotiatio foeda atque immanis Arabum in regionibus Sudan, Kongo, Sansibar, Madagascar coercebatur. Postquam in Statibus unitis Americae bello civili 1865, in Brasilia per decretum imperiale 1888, imo in ipsa Turcia lege 1876 servitus abolita est, negotiatio publica non iam habetur, attamen servitus mitigata domestica adhuc perdurat apud gentes barbaras, necnon in toto regno Turcarum, siquidem lex Mohammedi eam permittit, praesertim ad concubinas habendas [3]).

Cum servitute veterum non confundenda est conditio colonorum medio aevo, quae *tenetura* vel *glebae adscriptio* vocatur (Leibeigenschaft, Hörigkeit). Haec orta esse videtur partim ex veteri conditione servorum, quae per influxum religionis christianae hanc speciem mitiorem et humaniorem induit, partim ex eo, quod principes et divites partem agrorum tanquam precarium hereditarium colonis conferebant, partim ex eo, quod multi agricolae etiam liberi, imo nobiles pauperes facti se suaque homini potenti, praesertim vero ecclesiis tradebant, ut temporibus illis continuis bellis incertis (tempore inprimis Merovingiorum et Francorum) sub potentum tutela vivere possint neque militiis sumptuosis gravarentur, ad quas quivis vir *liber* tenebatur [4]). Retinebant igitur agros suos tanquam precarium hereditarium, et pro conventione facta, sicut alii glebae adscripti, censum quendam annuum (decimas) et in casu mortis (mortuarium — Besthaupt) solvebant et servitia certa atque determinata dominis reddebant (plures dies per hebdomadam vel mensem vel annum (Fronden = Herrendienste). Non autem eis licebat, sine dominorum permissione agros eis assignatos deserere vel vendere, et

verdiensten des Christentums wird mit Recht die Aufhebung der Sklaverei gezählt". (Cfr. Siebertz, Gesch.-Führer, p. 546).

[1]) Ceterum iam apud Jnkas in Peru et Aztecas in Mexico, servitus vigebat. [2]) Dicti „apostoli nigrorum" propter eorum zelum.

[3]) Cfr. de tota quaestione: Kirchenlexikon^{2}, Art. Sklaverei (Grupp); Herder, Konversationslexikon, Art. Sklaverei, ubi etiam copiosam invenies de hac re litteraturam. Wallon, Histoire de l'esclavage dans l'antiquité, 1879^{2}; Letourneau, L'évolution de l'esclavage dans les diverses races humaines, 1896; Klein, Le cardinal Lavigerie et ses œuvres d'Afrique, 1897^{2}. Siebertz, Gesch.-Führer, 1900^{2}, Sklaverei. Möhler, Ges. Schriften, II, 54 sq.; Kröss, Kirche u. Sklaverei im Mittelalter (Ztschr. für katholische Theologie, 1895, p. 273 sq.). [4]) Idque propriis suis sumptibus.

saepe etiam permissione indigebant ad nuptias faciendas [1]). Iura haec et officia litteris confirmabantur, quarum hodie permultae exstant usque ad 12. saec. pertingentes (Weistümer) [2]). Saeculo 13. et 14. in Germania plerique hi glebae adscripti, saepe divites facti, praesertim tempore cruciadum, libertatem et independentiam plenam a dominis redimebant, attamen iure Romano ex saec. 15 in Germania recepto, deinde pluribus seditionibus factis (Bauernkriege) falsa libertatis spe per reformatores decepti, iterum in servitutem duriorem redigebantur, usque dum haec saeculis elapsis per leges aboleretur: in Austria 1781/82; in Borussia 1794/1809; in Würtemberg 1817; in Bavaria 1818; in Russia 1861/1881 [3]).

II. *De moralitate societatis herilis.*

Hoc loco non sermo est de operariis, qui mercede conducti in agris vel fodinis et fabricis laborant; hi enim in genere in sua familia vivunt, plenam per se habent libertatem personalem, neque subduntur domino nisi ratione operis praestandi. Loquimur hic de iis, qui sub potestate heri in ipsa eius familia vivunt, ita ut libertas personalis certo modo coarctata sit per ordinem vitae pro familia constitutum, cui se conformare debent; accedit, quod eorum opera praestanda non ita determinata sit, ut mercenariorum, sed varia est pro conditione vitae domesticae.

1. Si quaeritur, num liceat talis servitus, qua quis libere cum hero convenit de certo pretio, tempore, conditionibus servitii, qualis hodie est servitus domesticorum, non est dubium, quin hoc liceat, imo ab ordine naturae sociali exigatur, ut supra exposuimus.

2. Si quaeritur, num liceat, servitutem inire per contractum pro tota vita, dicendum est, non apparere in eo ullam repugnantiam cum iure naturali, nisi inhonestas aliqua ex alia ratione adsit; atta-

[1]) Inde forte fabula illa ab inimicis ecclesiae propagata (a Voltaire et Encyclopadistis) de dominorum medii aevi „iure primae noctis" sc. sponsam subditorum deflorandi, quod nullo certo argumento probatur, sed est „superstitio docta". Forte apud gentes nonnullas barbaras atque paganas haec consuetudo vigebat (cfr. Kirchenlexikon^{2}, Art.: Ius primae noctis).

[2]) Cfr. Collectiones factas a Grimm-Schroeder (1840/78, 7. vol.), a H. Lörsch pro provincia Rhenana (1900, I, 1), a v. Siegel et v. Inama-Sternegg pro Austria (1870, 8 vol.). Grimm (Deutsche Rechtsaltertümer, p. 378) de his glebae adscriptis medii aevi dicit: „Ich glaube, die Hörigkeit und Knechtschaft der Vergangenheit war in vielem leichter und liebreicher, als das gedrückte Dasein unserer Bauern und Fabriktaglöhner." Similiter sentiunt Hurter, Lamprecht, v. Raumer, Maurer, Roscher, Chr. Meyer, Inama-Sternegg, Michael, Janssen etc. Cfr. Siebertz, Gesch.-Führer, p. 124 sq., 305 sq., H. Pesch, Die soziale Frage, 9. u. 10. H., 1896, II, p. 631 sq.

[3]) Cfr. Kirchenlexikon^{2}, Art. Leibeigenschaft; Herder, Konversationslexikon, Art. Leibeigenschaft. Siebertz, Gesch.-Führer, Art. Feudal- u. Lehnswesen im Mittelalter; Frondienst u. Hörigkeit der Bauern im Mittelalter; Leibeigenschaft u. Kirche; his locis ampliorem quoque invenies litteraturam.

men tales contractus non expedire videntur, siquidem ex utraque parte quaedam oriri possunt conditiones, quae talem contractum nimis onerosum et libertati nimis odiosum faciant [1]).

Propterea etiam servitus colonorum glebae adscriptorum medii aevi *in se* considerata minus libertati favebat, quam status domesticorum hodiernus; si tamen status oeconomicus et politicus illorum temporum consideratur — et facta historica ex suo, non nostro tempore sunt diiudicanda — haec restrictio libertatis personalis necessaria erat tum dominis, ut coloni adessent, quia alii operarii tunc rarissimi erant et urbes tunc nascentes eos maxime alliciebant; tum colonis, ut sub potentis domini tutela tuti essent, neque tempore egestatis derelicti. Quare illis temporibus neque „proletariatus“ aderat, ut ultimis saeculis imperii Romani et nostro tempore, neque „quaestio socialis“ tam urgens hodie atque spinosa. Neque igitur ecclesiae exprobrandum est, quod in possessionibus suis primis saeculis servos et medio aevo glebae adscriptos habuerit, quos tamen humanissime tractabat, eis ius matrimonii liberi et tribunalis saepeque libertatem plenam tribuens, unde notum illud: Sub pastorali bene vivitur (Unter dem Krummstab ist gut leben) [2]).

3. Si quaeritur, num liceat ex iure naturae servitus veterum, in qua servi nullum ius, ne vitae quidem, per leges habebant, in qua eorum matrimonia ab hero ad libitum dirimi poterant, in qua servae castitas semper erat prostituta, facile intelligitur, talem servitutem repugnare iuri naturae. Homines enim eandem originem, eandem naturam humanam, eundem finem aeternum habent, unde quoad iura et officia *essentialia* aequales sunt. Ideo iure vitae et integritatis, honoris et libertatis personalis privari nequeunt sine gravi iniuria. Non tamen repugnat per se iuri naturae: a) quemquam sive per contractum libere initum, sive etiam ex quadam culpa commissa per totam vitam servitium alterius subire. Sic veteres licitum habebant, debitorem detinere in servitute, usque dum solvisset, hostem devictum eiusque familiam in servitutem deducere, quod certe melius videbatur quam eos secundum ius belli illius temporis occidere. b) Neque per se repugnare videtur, liberos servorum in conditione parentum permanere, si parentes eorum libere vel ex culpa sua se suosque servituti obnoxios fecissent, propter unitatem et solidaritatem familiae (peccatum originale). — Quamvis igitur ii, qui primum alios homines vi brutali servos facerent, contra ius naturae peccarent, postea tamen, quando consuetudo servitutis erat inveterata, bona fides in heris supponi potest. Imo quum tota civitas veterum et vita oeconomica in hac servitute esset fundata, moraliter impossibile erat, per legem aliquam eam simpliciter abolere, ut historia servitutis supra exposita, necnon bella inde in America et Africa orta ostendunt.

---

[1]) Quare BGB. statuit, ut post 5 annos omnis contractus rescindi possit, modo sex menses antea denuntietur (§ 624); imo deputati catholici in hoc paragrapho contra sententiam magnatum et latifundiorum possessorum insistebant ad libertatem tuendam.

[2]) Cfr. testimonia (Michael, Lamprecht, v. Raumer, Grimm etc.) apud Siebertz, l. c. p. 125 sq.

III. *De officiis et iuribus in societate herili.*

1. Herus igitur tenetur servis exhibere: a) nutrimenta, vestimenta, habitacula eius aetati et labori conformia necnon mercedem condictam, quam etiam tempore statuto solvere, neque abutens necessitate servi, arbitrarie infra pretium iustum deprimere debet. b) Debet servo honorem ut homini, ut christiano, ut filio Dei, unde ne eum despiciat mente, verbo vel iniusta castigatione (Sir. 33, 31; Eph. 6, 5—9; I Petr. 2, 18 sq.). c) Inprimis eius mores et religionem respectet, tempus ei concedat ad officia religiosa implenda; graviter igitur peccat, si ei scandalum dat respectu morum vel religionis.

Lex nova civilis (BGB.) multa de hac re sapienter statuit obligans dominum, ut domesticum aegrotum saltem per sex hebdomades sive domi sive in nosocomio gratis curet, ut pericula vitae et sanitatis servi pro posse removeat. Si domesticus ex eius culpa grave damnum passus est, dominus ipse per se vel per assecurationem tenetur, pensione annua vel summa aequivalenti damnum invaliditatis totalis vel partialis resarcire. Porro debet servi mores et religionem tueri, quod nisi fecerit, servus potest *illico* servitium deserere et dominus tenetur mercedem condictam solvere usque ad tempus servitii constituti, si servus aliud servitium nondum invenerit i. e. usque ad diem vel hebdomadem vel mensem vel tres menses, si ad diem vel hebdomadem vel ad tres menses et plures servitii tempus constitutum fuerat. Utraque pars potest contractum denuntiare, sed initio hebdomadis pro fine eius, vel 14 dies ante finem mensis, vel 6 hebdomades ante finem quartae partis anni; herus autem tenetur domestico quaerenti certum tempus concedere ad novum servitium inveniendum et testimonium de servitio peracto exhibere [1]).

2. Domesticus tenetur domino praestare ut rectori familiae et negotii *obedientiam* in omnibus rebus, quae ad ordinem familiae et ad eius servitium pertinent; debet *operam* exhibere, ad quam sese obligavit idque vi contractus ex iustitia commutativa, necnon *reverentiam* propter heri auctoritatem et *fidelitatem* verbo et opere, tum quoad eius personam, tum quoad eius uxorem et liberos, tum quoad secreta familiae servanda (cfr. Eph. 6, 5—8; I Petr. 2, 18). Quod nisi fecerit i. e. si graviter in his rebus deliquerit, potest per legem ipsam illico a domino dimitti, quin contractus prius denuntiandus vel pretium stabilitum nisi pro tempore elapso solvendum sit. — Fatendum est, hodie domesticos, mercede magna conductos, saepe deficere ab his officiis suis per inobedientiam, negligentiam vel infidelitatem, quum religio et moralitas decrescat, amor autem libertatis inordinatae crescat.

---

[1]) BGB. §§ 611—630; 842—846.

Art. 4. De societate civili.

Ex familia, dummodo naturaliter sese extendat, tandem multae familiae inter se consanguineitate et cum aliis affinitate coniunctae oriuntur, quae in societatem civilem excrescunt. Recte enim Cicero: „Quum sit hoc natura commune animantium, ut habeant libidinem procreandi, prima societas in ipso coniugio est, proxima in liberis, deinde una domus, communia omnia. Id autem est principium urbis et quasi seminarium rei publicae. Sequuntur fratrum coniunctiones, post consobrinorum consobrinarumque, qui quum una domo capi iam non possint, in alias domos tanquam in colonias exeunt. Sequuntur connubia et affinitates, ex quibus etiam plures propinqui. Quae propagatio et soboles origo est rerum publicarum. Sanguinis autem coniunctio et benevolentia devincit homines et caritate“ [1]). Societas igitur civilis est quasi complementum et perfectio ipsius societatis domesticae. Oportet ergo consideremus eius *naturam, originem, auctoritatem* (i. e. eius iura et officia).

Sect. I: De natura societatis civilis.

Societas civilis vocatur unio naturalis, moralis, stabilis atque perfecta multarum familiarum ad bonum commune. Quemadmodum in omni societate (cfr. supra p. 361) materia et forma eius distinguitur, sic etiam in societate civili.

A. *De materia societatis civilis.*

1. Eius igitur materia [2]) sive subiecta sunt cives, qui tamen distinguuntur *iuris pleni* (Vollbürger) et *non pleni.* Cives pleni sunt, qui iuribus omnibus publicis gaudent, ut patresfamilias et alii non maritati, qui iuris sui sunt et ius suffragii habent [3]).

Mulieres igitur et minores nati sunt quidem cives, sed non iuris pleni, quod pro eis maritus vel pater exercet, sicut etiam maritus vel pater ubique fere bonorum familiae administrationem habet. Quare familiae et communitates ex familiis ortae materia quasi *proxima* status civilis vocari possunt, singuli autem cives eius materia *remota.* Ideo Aristoteles civitatem definit „societatem ex pluribus vicis (familiis unitis) conflatam, quae ad summum omnis copiae bonis omnibus cumulatae nihilque praeterea requirentis culmen pervasit, oriens quidem vivendi causa, constans autem *bene* vivendi gratia“ [4]). Atque haec definitio tum materiam proximam, tum originem et finem civitatis indicat. Veteres Romani triplex ius civitatis habebant: Romanum, latinum, municipale; primum erat ius plenum i. e. ius suffragii et honorum, ius connubii et commercii; latinum erat coarctatum, siquidem non conferebat ius connubii et commercii nisi cum Romanis, non inter se; ius municipale carebat iure suffragii et honorum; utrumque autem coloniis vel municipiis conferebat ius independentis administrationis et tribunalis.

[1]) Cicero, De offic., I, 17. Similiter Aristoteles, Polit., I, 2.

[2]) Cfr. Arist. Polit., XII, 4 sq.

[3]) Apud nos 25 annos nati ius suffragii activum, 30 annos nati passivum quoque habent; in Helvetia iam 20 annos nati utrumque, in Austria 24 annos nati activum, 30 passivum.

[4]) Polit., I, 2 (ed. lat. Acad. Berl. 1831); similiter definit. III, 3 et 9.

2. Praeter familias in societate civili adsunt quaedam *communitates:* pagi, vici, urbes, quae plus vel minus propriam habent administrationem, attamen dependentem a tota civitate. Apud veteres romanos civitates, si erant coloniae vel municipia, quasi plenam habebant independentiam administrationis, apud nos multo minorem. — Praeterea in civitate plerumque adhuc *classes* (Stände) habentur, quibus cives diversae conditionis ab invicem distinguuntur; et sunt vel *iuris privati,* si nullam praerogativam *legalem* habent, sed sola occupatione distinguuntur, ut sunt hodie associationes operariorum, opificum, agricolarum etc.; sunt *iuris publici* — et hi solum sensu proprio classes vocantur — si per legem agnoscuntur et quaedam iura habent. Quodsi haec iura sunt politica e. g. legislationis, tributorum, classes vocantur *politicae,* secus sunt *non politicae.*

Natura duce decursu temporis tres potissimum ubique classes civium ortae sunt: a) classis *agricolarum et pastorum,* ad quos etiam operarii in fodinis lapidum, carbonum etc. accedunt, qui necessaria vitae producunt; b) classis *opificum,* qui illorum producta naturalia opera sua ad usum humanum immutant: sartores, sutores, fabri, textores, lanii, pistores etc.; c) classis *mercatorum,* qui producta tum naturalia tum artefacta emunt atque vendunt tum intra tum extra civitatem; per eos igitur *distributio* bonorum sufficiens habetur, quae a producentibus ipsis propter defectum temporis, sive pecuniae, sive sollertiae fieri non posset. His tribus classibus naturaliter ortis potest addi, saltem in plerisque civitatibus, ubi sunt exercitus permanentes (stehende Heere): d) status *militaris,* qui — per se potius malum necessarium — alios status civium i. e. patriam defendere et pacem internam tueri debet. Rerum oeconomicarum periti disputant, utrum hae classes etiam tempore *successive* ortae (Zeitepochen: Haus-, Stadt-, Volkswirtschaft) an solum gradus perfectionis sint (Wirtschaftsstufen); illud praesertim Bücher propugnat [1]), hoc v. Below, M. Weber aliique sentiunt [2]). Certe, perfecta civitas sine illis tribus classibus haberi nequit et iam vetustissimae civitates Aegyptiorum Babyloniorum, Sinensium eas habent. Ad has classes nostro tempore accedit classis e) *industrialis,* quae priores quasi omnes sub certa ratione comprehendit simul producens et immutans et vendens producta sua (fabricae, fodinae etc.) Atque haec classis in aliquibus civitatibus numero nunc aliis praestat (Industriestaaten); sic praesertim in Britannia 56,9 %; in Germania 37,4 % (cfr. supra p. 318). — Infra singulas classes saepe iterum quaedam

[1]) Entstehung der Volkswirtschaft 1906 [5].

[2]) Cfr. Elster, Wörterb. 1907, II, Art. Wirtschaftsstufen, H. Pesch, Die soziale Frage, 1896, I, 2, p. 576 sq.

associationes habentur ad bonum classis suae promovendum e. g. associationes operariorum, agricolarum, opificum, negotiatiorum etc., quae tamen in genere sunt iuris privati i. e. nulla privilegia *per legem* habent.

Ab his distinguuntur classes *iuris publici*, quae per leges ipsas constituuntur et privilegia publica habent i. e. sunt personae iuridicae, habent propriam administrationem vel etiam iurisdictionem. Sic collegia opificum medio aevo (Zünfte, Gilden) erant classes publici iuris per leges civitatum institutae et confirmatae et simile aliquid in legibus vetustis regis Hammurabi apparet.

Sic apud veteres *Romanos* distinguebantur senatores, equites, liberi et servi, qui iam erant ex nativitate distincti; similiter apud *Graecos* et apud alias gentes veteres [1]). Notissima est distinctio classium apud *Indos* [2]), iam ex vetustate recepta: Brahmani sacerdotes ex ore dei Brahma nati, Shatrias milites ex brachiis dei Brahmae orti, Visas agricolae et negotiatores ex cruribus Brahmae emanati, deinde Sudras servi ex pedibus dei nati, denique Parias ex omnibus classibus eiecti; non licet civibus singularum classium cum civibus alterius classis conversari, nedum matrimonium inire. Intra has classes principales multae aliae habentur (fere 3000) secundariae, quae classes sunt maximum impedimentum progressus religionis christianae. Apud veteres *Germanos* habebantur classes nobilium, liberorum, colonorum (Hörigen), servorum; medio aevo: cleri, equitum, civium (in urbibus vel agricolarum liberorum), glebae adscriptorum (Hörige). Haec varia distinctio classium apud veteres plerumque orta esse videtur ex evolutione historica singularum gentium, praesertim ex prima terrae occupatione, eo quod eius incolae devicti a victoribus ad statum servilem reducti sunt, sive ut eorum domestici sive ut coloni agrorum, quos princeps, dominus totius terrae occupatae, militibus suis vel ut proprietatem vel ut beneficium precarium (Lehen) distribuebat, ut eos sibi ad militiam devinciret. Atque haec erat classis nobilium ex nativitate (Erbadel), ad quam decursu temporis alii accedebant per principes nobilitati propter eorum merita et servitia, praesertim vero eorum ministri domestici (Ministerialen-Dienstadel). Qui vero decursu temporis ex nobilitate excidebant propter delicta vel paupertatem, inprimis autem ii, qui ex statu servili ascendebant sive per donationem libertatis ex parte dominorum sive per propriam redemptionem, novam classem civium, praesertim in urbibus, constituebant (agricolae liberi, opifices, mercatores), quae mox per statuta inter se consolidata atque organisata, et numero et potentia sua administrationem rerum publicarum, usque eo a nobilibus prorsus occupatam saltem ex parte sibi vindicabat (Patriziergeschlechter und Zunftverfassung); hoc modo civitatis constitutio medio aevo facta est. Ex anno 1790 per revolutionem gallicam in Europa omnes classes abolitae sunt, omnes cives nunc „coram lege aequales“ sunt, exceptis paucis sive ex nativitate

[1]) Etiam apud Babylonios apparet, licet non tam certo, iam tempore Hammurabi distinctio nobilium (palatii), ad quos etiam sacerdotes ut iudices videntur pertinere, deinde militum, civium liberorum et servorum; similiter apud Aegyptios. (Cfr. Winckler, l. c., p. 11 Note 3, Jeremias, Moses und Hammurabi 1903, p. 9 sq.)

[2]) Weiss, Apologie II (1890 [2]), p. 726 sq.

sive ex privilegio regis nobilitate praeditis; neque cives nunc distinguuntur nisi ratione operationis et divitiarum, ita ut quivis ex una „classe“ hodie ad alteram transire possit, dummodo indolem animi et corporis vel pecuniam habeat. Pro diaeta imperiali omnium suffragia aequalia sunt. Sola suffragia pro secunda camera (Landtag) alicubi (in Borussia et Saxonia) pro reditibus in plures (tres) classes distribuuntur. In Belgica vero unum suffragium habet, qui natus est 25 annos; duo habet, qui 35 annos natus est, vel maritatus, vel 2000 frs. reditus; tria habet, qui examen academicum subiit, vel magistratu fungitur (Pluralsystem). — In Helvetia pro numero suffragiorum deputati pro singulis partibus determinantur (Proportionalwahlen). Vix apparet, quomodo classes medii aevi, quae organismi instar cives olim complectebantur, pro conditionibus nostri temporis restitui possint.

3. Ad materiam civitatis pertinet etiam *territorium*, quod cives incolunt, non quasi essentiam eius constituat; sunt enim civitates, quae non habent terras fixas, ut olim Hebraei ad terram Chanaan proficiscentes, vel Gothi, Germani, Hunni, alias sedes quaerentes; attamen territorium pertinet saltem ad integritatem societatis civilis, quae sine ipso ad statum perfectionis pertingere nequit, deficiente agricultura et negotiatione, quae sunt fundamenta progressus et culturae.

Ita autem initio gentes territorium suum occupavisse videntur, ut earum duces et principes illud pro meritorum ratione suis distribuerent tanquam beneficium hereditarium (Lehen), retinentes speciem aliquam „alti“ dominii in totam terram sibique magnam eius partem reservantes (Hof-, Krongüter). Quodsi in terris occupatis incolae erant, hi nisi expulsi vel exstirpati fuerint, facti sunt servi vel coloni, qui dominis censum annuum debebant, sicut domini ipsi ad militiam pro principe tenebantur. (Lehensverfassung, Feudalsystem). Haec autem beneficia hereditaria decursu temporis in plenam proprietatem transierunt et coloni ipsi, ut supra diximus, initio servi vel glebae adscripti, in statum liberum tandem ascendebant [1]). Atque haec videtur fuisse evolutio historica civitatis et territorii non solum apud Germanos [2]), sed etiam apud gentes antiquissimas: Sinenses, Indos, Babylonios, Aegyptios [3]).

4. Cum conceptu civitatis affinis est conceptus *nationis*, qui eos comprehendit, qui ex eisdem proavis orti, eandem linguam similemque habent indolem corporis et animi similesque mores et consue-

[1]) Cfr. H. Pesch, Die soziale Frage 10. u. 11. Heft, 1896, II, p. 576—662.

[2]) Tacitus German. c. 16: Colunt discreti ac diversi ut fons, ut campus, ut nemus placuit c. 15: „Ceteris servis non in nostrum morem descriptis per familiam utuntur: suam quisque sedem, suos penates regit. Frumenti modum dominus aut pecoris aut vestis ut colono iniungit, et servus hactenus paret“. C. 26: „Agri pro numero cultorum ab universis in vices (?) occupantur, quos mox inter se partiuntur“. Ceterum haec Taciti testimonia de antiquis Germanis satis obscura ab auctoribus diverso modo explicantur neque satis certa habentur (cfr. Cathrein l. c., p. 275).

[3]) Cfr. Cathrein, Moralphilos. II [4], p. 254—270.

tudines. Atque in hac communitate, praesertim si coincidit cum civitate ipsa, potissimum fundatur amor patriae (patriotismus), qui oritur ex perfectionibus gentis suae et beneficiis in civitate perceptis, et certe est laudandus, nisi exaggeratur, ut in gentibus antiquis, qui alienos habebant hostes, necnon etiam in aliquibus nationibus recentibus (chauvinismus) [1]. Religio christiana *internationalis* non exstinguit amorem patriae, sed moderat atque perficit. Memineris, catholicos nunquam, ne vexatos quidem, contra principes legitimos arma vertisse, sicut quaedam sectae christianae, praesertim tempore „reformationis"; memineris rerum pro patria gestarum a Jeanne d'Arc (Schiller), a Capistrano fransicano, a Dominico a Jesu Maria carmelitano, a Marco v. Aviano capucino, a Tirolensibus, a Bretonibus etc. [2]).

Attamen civitas et natio non idem sunt; nam saepe non coincidunt, siquidem in eadem civitate plures nationes esse possunt e. g. in vetere civitate Romanorum, in civitate Austriaca et in Germanico quoque imperio. Vel etiam eadem natio in plures distribuitur civitates, ut e. g. germanica. — Porro conceptus civitatis et nationis etiam differunt a conceptu *societatis* in sensu moderno („die heutige Gesellschaft"), quae significat statum spiritualem, moralem, oeconomicum, literarium nationum recentium, qui propter literarum et commercii necnon industriae communicationem mutuam in Europa et America saltem septemtrionali quasi idem effectus est, licet civitates et nationes valde differant.

B. *De forma societatis civilis.*

Quum forma societatis in genere eius sit finis (cfr. supra p. 361), etiam societas civilis per finem suum intrinsecus constituitur. Distinguitur autem forma rei intrinseca et extrinseca; illa rei naturam et speciem constituit, sicut anima humana naturam humanam; haec formae intrinsecae potius est manifestatio sive effectus formalis, quemadmodum figura corporis humani per eius animam determinatur. Hoc loco nobis sermo non est nisi de forma societatis civilis intrinseca, quam affirmamus esse *bonum commune;* forma vero eius extrinseca est auctoritas publica, quae ex illa necessario oritur tanquam

[1]) Cfr. Pachtler, Das Nationalitätsprinzip, L. St. 1873, p. 32 sq.; Breitschopf, Christentum und Nationalismus (Theol. Pr. Quartalschrift) Linz, 1897, p. 360 sq. Haidegger, Der nationale Gedanke im Lichte des Christentums, 1902².

[2]) Cfr. Weiss, Apolog., 1894³, I, p. 401—444, ubi plura de patriotismo christiano invenies testimonia s. Patrum et scholasticorum, necnon recentium auctorum. Praesertim lege Encyclicam Leonis P. P. XIII de officiis civium christianorum: „Sapientiae christianae" 10. Jan. 1890.

eius effectus formalis, de quo infra sermo erit [1]). Quum autem de forma intrinseca societatis civilis, sive de eius fine proximo diversae habeantur sententiae, quaestionem hanc primum negative exponimus, refutantes falsas opiniones, deinde positive verum finem societatis civilis statuemus.

I. *Falsae opiniones de forma sive fine civitatis.*

1. Sunt qui finem civitatis negent: a) Alii enim cum *v. Haller* [2]) censent, eam non habere finem essentialiter distinctum a fine societatum privatarum, ex quibus ipsa coalescit, sed esse summam iurium privatorum, solum per hoc a societatibus privatis distinctam, quia eius moderator sive princeps est independens ab auctoritate superiore et propter suam potentiam vel excellentiam aliis praestat. Similiter sentit Fouillée positivista, negans ius naturale et ex societatibus privatis inter se iunctis originem civitatis explicans [3]). b) Alii vero finem civitatis negant, quia ut agnovistae finem in genere vel reiciunt vel cognosci posse negant; ita e. g. Preuss, Jellinek, Gumplowicz aliique [4]). c) Alii tandem nullum finem omnibus civitatibus communem praeter sui ipsius conservationem tribuunt, sed specialem cuique e. g. Romanae mundi imperium, Spartiacae bellum, Iudaicae religionem, aliis gloriam fuisse propositam; ita praesertim Montesquieu sentit [5]), viam praeparans constitutionalismo necnon rei publicae eversioni in Gallia.

Sed sententiae illae reprobandae sunt: *Prima,* quia civitas, ut postea ostendemus, finem habet formaliter distinctum a finibus omnium aliarum societatum. Quodsi sententia illa vera esset, princeps haberet iura et officia omnium singularum societatum, e. g. omnium familiarum; esset igitur supremus pater familias, supremus possessor omnium bonorum, agrorum, fabricarum, fodinarum etc., quod tamen nemo unquam admittet; esset enim absolutismus, quo peior nunquam in terra fuerit. Porro si non haberet nisi summam iurium privatorum, quomodo posset homines sceleratos libertate, imo vita ipsa privare, quod privatis certe non licet? Destruunt igitur iustitiam legalem et distributivam et confundunt iurisdictionem publicam cum auctoritate vel proprietate privata. Deinde fautores illius sententiae non

[1]) Formam igitur intrinsecam et extrinsecam civitatis confundere videtur Loening definiens: „Staat ist die rechtliche Organisation des Volkes auf einem räumlich abgegrenzten Gebiete unter einer *Herrschergewalt*" (Handwörterb. d. Staatswissenschaften, VI², 1901, p. 924). Censet ipse auctor, hodie definitionem civitatis certam exhiberi nondum posse (p. 909).

[2]) Restauration der Staatswissenschaft, 6. vol.², 1820—1825; auctor vere christianus et de scientia iuridica optime meritus, propter conversionem ad religionem catholicam ex patria et academia Genevensi expulsus († 1854).

[3]) Cfr. Cathrein, Moralphil., II, 497 sq.

[4]) Ibidem; sic Gumplowicz, „Die nüchterne Wissenschaft könne von einem Zwecke des Staates ebensowenig etwas wissen, wie von dem Zweck der ganzen Welt. Teleologische Ansichten können wissenschaftlich nicht begründet werden."

[5]) De l'esprit des lois, 2 vol., 1748; nova editio a Laboulay, 1876; germ. 1891.

videntur satis distinguere inter auctoritatem publicam ipsam et eius subiectum; illa certe non oritur ex iuribus privatis, sed ex iure naturae, hoc autem determinatur plerumque per facta quaedam sive actiones singulorum hominum. Haller reiciens ius naturae illud confundit cum falso „iure naturae", quod Rousseau eiusque asseclae statuebant et potius est negatio omnis iuris, ex quo per contractum civitas orta sit [1]).

Altera sententia est reprobanda, quia ubique in rerum natura fines sunt et a fortiori in rebus humanis et in societate humana omnium maxime digna et necessaria. Ceterum et ipsi illi auctores sibi repugnant, saepissime loquentes de fine civitatis [2]). Certe, quomodo posset esse *scientia* de civitate, nisi eius definitio habeatur, quae, sicut in omni societate, ex eius fine proficisci debet; neque fine prius non cognito, iura et officia civitatis definiri possent, sed ea essent, quae quaeque civitas vel auctoritas publica de facto sibi vindicaret, unde aut absolutismi aut libertinismi periculum adesset. Recte igitur Jhering inprimis finem iuris ac proinde auctoritatis publicae fundamentum facit scientiae iuridicae, licet ius naturale perperam intellectum non admittat [3]).

Tertia sententia est reprobanda, quia finis se conservandi naturaliter idem est omnibus societatibus, imo omnibus individuis; finis autem specialis, quem Montesquieu singulis civitatibus tribuit, non est nisi certus modus exsistendi sive medium ad se conservandum, non autem finis proprius ipsius civitatis. Confundit igitur quaestionem de civitate in genere cum illa de civitatibus singulis historice ortis, quae quaestio prorsus alia est ac nostra.

2. Alii sunt, qui finem civitati proprium non negent, attamen eum vel nimis coarctent, vel nimis extendant. Nimis eum coarctant, qui civitati non tribuunt ius et officium nisi *iura* singulorum tuendi (Rechtsschutz); in ceteris omnibus plenam libertatem esse concedendam (Zoll-, Gewerbe-, Handelsfreiheit, Freizügigkeit, freie Konkurrenz); hoc modo censent et maxima et optima bona produci et ordinem publicum naturaliter oriri ex mutua concurrentia. Atque haec erat sententia *physiocratorum* in Gallia ex rationibus *oeconomicis*: Quesnay, Gournay, Turgot aliorumque saec. 18, qui putabant, agriculturam esse fontem omnium divitiarum. — Idem sentit *„liberalismus classicus"* in re oeconomica, qui laborem, eumque inprimis industrialem, fontem habet divitiarum; ita sentiebant in Britannia Adam Smith, Ricardo, in Gallia Say, Bastiat, in Germania Prince-Shmith aliique plurimi [4]). Neque multum differunt recentiores aliqui oeconomistae, omnem regulam morum ex scientia oeconomica eliminantes, ut Menger, Sombart, Jul. Wolf aliique, qui civitatem solum bonorum productionem classesque industriales promovere debere censent [5]).

Hanc autem sententiam de fine civitatis etiam Kant ex rationibus *philosophicis* proponit, docens ius, quod est proprium obiectum legislationis,

[1]) Cfr. H. Pesch, Die soziale Frage, 8. Heft, 1893, I, p. 104 nota.

[2]) Sic Jellinek: „Eine rein formelle Staatsdefinition, die ganz vom *Staatszweck* absieht, kann niemals ein vollkommenes Bild vom Staate geben. . . . Der Staat ist eine Zweckeinheit" (Apud Cathrein, l. c. p. 499).

[3]) Cfr. supra p. 218. Zweck im Recht, 2 vol., 1893/98 [3].

[4]) Cfr. Cathrein, l. c. p. 449 sq.

[5]) H. Pesch, Soziale Frage, 12. u. 13. Heft, 1899, II, p. 349 sq. Walter, Sozialpolitik u. Moral, 1899, p. 257 sq.: „Wirtschaftssystem höchster Produktivität" (Sombart).

esse „summam illarum conditionum, sub quibus libertas uniuscuiusque agendi cum libertate aliorum iuxta legem libertatis componi possit". Civitatis igitur esse, libertatem agendi singulorum tueri; hanc autem legem civilem propter coactionem externam ei adnexam, non ex interna conscientiae obligatione (ex imperativo categorico) esse observandam. Atque hanc sententiam multi post eum adoptabant. — Denique ex rationibus *biologicis* sive evolutionisticis *Spencer* eiusque fautores docent, homines per pugnam de exsistentia ex statu brutorum se evolvisse et per idem medium etiam nunc hanc perfectionem fieri, quare civitatis non sit hanc pugnam eliminare, sed solum libertatem singulorum tueri; non debilibus succurrendum esse, e. g. prohibendo tabernas, aedificando bibliothecas etc.; secus fortiores, quibus a natura ius potius tribuitur, non vincere neque genus humanum perficere posse. Quam sententiam *Nietzsche* praesertim adoptavit docens, fortiorem debere conculcare debiliorem, ut typus humanitatis perfectus ex pugna illa de exsistentia oriatur (cfr. vol. I, p. 250, supra 22). Similiter sentiunt *Ammon, Woltmann, Matzat, Hesse aliique plures* [1]).

Sed etiam hae sententiae sunt reprobandae: a) *Physiocratorum*, liberalium et oeconomistarum, primum ex falso *supposito* physiocratorum, agriculturam esse unicum fundamentum sociale; liberalium, hoc esse laborem; oeconomistarum, esse industriam. Deinde ex falso *fine*, quem vitae sociali tribuunt sc. nonnisi felicitatem temporalem opibus acquisitis producere; nam civitatis est, et bona idealia procurare necnon mores et religionem promovere, quae tandem sunt fundamenta vitae et etiam felicitatis *verae* temporalis. Denique ex falsis *mediis*, quibus hic finis obtinendus esset sc. *per liberam concurrentiam*, omnibus impedimentis legalibus in activitate et libertate personali exercenda remotis. Nam concurrentia de facto non est libera, quia homines viribus corporis et animi opibusque non sunt aequales ac proinde alii ab aliis dependentes, qui a potentioribus per „liberam concurrentiam" opprimuntur, id quod historia temporis nostri evidenter ostendit. Ex principiis enim „liberalismi classici", destructo ordine sociali et oeconomico priorum temporum (medii aevi), orta est in industria quaestio illa socialis, hodie tam acuta: praepotentia socialis et divitiae permagnae ex una parte et indigna dependentia et pauperismus ex alia parte, inde discordia inter operarios et patronos tam frequens et periculosa. Porro libera concurrentia neque productionem neque distributionem rerum regulat: *non productionem*, siquidem est causa „superproductionis" sive „anarchiae" productionis, quae ex una parte desideria hominum excitat, ex alia parte est causa „crisium" i. e. pretii mercium nunc excessivi nunc diminuti et per consequens etiam mercedis operariorum inconstantis necnon mercium male factarum. Neque *distributionem*, quae dependet tum a causis accidentalibus (infortunia, bella, messis bona vel manca etc.), tum a maiore potentia, prudentia vel etiam astutia producentium vel vendentium.

[1]) Cfr. Gander, Darwin und seine Schule, 1907, p. 137 sq. Sic Woltmann: „Der Sieg verleiht das Recht. Verdrängung, Ausbeutung, Vernichtung begleiten den Weg zur Vollkommenheit, und wo eine Existenz sich durchsetzt und zu einem höhern Dasein sich entfaltet, da hat sie mehr Recht als eine andere." Ibidem p. 144.

b) Item sententia *Kantiana* est reprobanda: α) *Ex fundamento suo*, quod est ius ipsum sive lex civilis, siquidem Kant eam neque in lege divina sive iure naturali collocat neque in conscientia obligantem facit, sed cum coactione externa confundit (cfr. supra p. 211); β) quia civitatem ex pacto humano repetit ac proinde ab aliis contractibus quoad naturam suam non satis distinguit; derogat igitur dignitati civitatis; γ) quia civitati nonnisi tutelam libertatis civium tribuit, quae libertas tum ad bonum tum etiam ad malum adhiberi potest. Deberet igitur civitas etiam actiones inhonestas tueri e. g. duellum, incestum, sodomiam, libros, imagines inhonestas, si per eas nulli fieret iniuria sensu stricto. δ) Quare refutatur haec sententia per legislationem omnium gentium, quae actiones etiam inhonestas, non solum iniustas prohibuerunt e. g. blasphemias, religiones absurdas, incestum, matrimonia inter certas personas etc.; omnesque civitates non solum iura singulorum tuebantur, sed institutis publicis (viis, canalibus, scholis, nosocomiis, pauperum sustentatione etc.) salutem publicam positive promovebant.

A fortiori sententia *Evolutionistarum* est reicienda: α) Iam ex supposito suo, homines a bestiis descendere; β) principium perfectionis esse pugnam de exsistentia; γ) civitatis non esse nisi fortioribus palmam tribuere et debiliores eliminare; δ) tota autem evolutio historica repugnat huic doctrinae, siquidem de facto homines neque ratione corporis neque ratione indolis animi decursu temporum immutati sunt. Verum quidem est, mores mitiores et humaniores factos esse, quod tamen non evolutioni naturali debetur, sed religioni christianae supernaturali; nam etiam hodie apud gentes non christianas mores sunt corrupti et vita publica plerumque barbara idque saepe magis, quam apud veteres gentes non christianas.

3. Alii tandem ex opposito finem civitatis nimis extendunt, ei totam fere vitam subordinantes. Sic iam veteres *Plato*[1]) et *Aristoteles*[2]) civitati tribuebant ius et officium, non solum relationes iustitiae commutativae ordinare, sed etiam cives ad virtutem et religionem educare; nec mirum, quum de fine hominis et vita futura nihil certi scirent et praeter societatem civilem alia, cui religio demandata esset, non exsisteret. Inde est quod veteribus illis patria omnia fuerit, praeter quam nulla salus esse posset. Attamen exaggerant hanc veterum dependentiam a civitate, qui eam iura privata civium prorsus absorbuisse affirmant, ut ex testimoniis de licita, imo debita resistentia contra iniusta principium decreta apparet (cfr. supra p. 115, 222). Postquam autem religio christiana dignitatem humanam et personalem aperuit et ostendit, homines ad vitam in Deo esse destinatos, civitati solum cura salutis publicae temporalis tribuebatur.

In fine autem medii aevi sententia veterum fuit resuscitata a *Machiavelli*[3]) Florentinus († 1527), qui pauper adulans principes et ipse moribus corruptis, principi omnia permittit, dummodo finem suum consequatur; ipsi finis sanctificat omnia media. Similiter *Hobbes* († 1679) Britannus[4]), materialista, ex-

[1]) De legibus 8, 829. [2]) Polit. III, 9, VIII, 1 sq.: „Civem neminem existimare oportet ipsum esse suum, sed omnes se esse civitatis; particula enim unusquisque civis civitatis est."

[3]) Libro del principe 1514, principi de Medici dedicato.

[4]) De cive, 1642, Leviathan 1651.

pulsus ex patria, ut gratiam regis sibi conciliaret, principi quasi „Deo mortali" tribuit potestatem quaecunque imperandi, eius voluntatem esse fontem omnis moralitatis et religionis pro civibus (Caesaropapismus). — Similiter *Spinoza* Pantheista et *Rousseau* († 1778) naturalista eum sequentes, non quidem principem, sed populum i. e. rempublicam faciebant finem et fontem omnis iuris et moralitatis, cui in omnibus sit parendum[1]). A fortiore *Schelling* et *Hegel* pantheistae civitatem habebant tanquam „Deum visibilem, absolutum, infinitum, sibi ipsi finem, contra quam nullum sit ius; est „Deus praesens".

Atque illi ex rationibus plus minus *philosophicis* civitatem finem absolutum et unicum civium faciebant; alii vero ius naturale, plerique etiam ipsam Dei exsistentiam et hominis finem supramundanum reicientes, similem sententiam ex *evolutione historica* deducebant, omnia iura, imo et rationem boni vel mali moralis ex civitate derivantes. Sic iam schola historica non satis abhorrebat a tali opinione; sed recentiores et philosophi et iuris consulti et oeconomiae socialis et politicae periti eam plerumque sequuntur; sic Bluntschli, Lasson, Jellinek, E. v. Hartmann, Paulsen, Wundt necnon qui dicuntur socialistae status: A. Wagner, Schmoller, L. Bretano etc.[2]) (cfr. supra p. 109, 134, 217). — Praesertim vero socialistae *ex rationibus oeconomicis* omnia absolute subdunt civitati i. e. reipublicae suae futurae, quae totam bonorum productionem et distributionem necnon omnia ad vitam necessaria pro omnibus individuis procurare debet, sicut familia suis membris (cfr. supra p. 309)

[1]) Cfr. Eisler, Wörterb. d. philos. Begriffe, 1899: Rechtsphilosophie.

[2]) Cfr. Cathrein l. c. II, p. 507 sq.; H. Pesch, l. c. 12 u. BG. 1899, II, p. 329 sq. Ita Paulsen: „Die Staatsgewalt ist rechtlich unbegrenzt, sie kann sich nur selber eine Grenze ziehen, aber sie wird nicht durch ein ihr entgegenstehendes Recht von aussen begrenzt . . . Der Staat kann nicht Unrecht tun. Er kann ungerecht handeln, aber nicht unrecht (!), denn es gibt Recht nur im Staat und durch den Staat . . . Der Untertan hat kein Recht gegen den Staat, sondern nur durch den Staat" (System d. Ethik 1905, II, 514). „Das bestehende Eigentumsrecht ist durch den Staat geschaffen, er könnte ohne Unrecht zu tun, eines Tages erklären, er werde hinfort . . . den Schutz des Eigentums nicht mehr zu seinen Aufgaben rechnen. Das wäre vermutlich gleichbedeutend mit der Auflösung des Staates und dem Untergang des Volkes. Aber es gibt keinen Rechtstitel, aus dem er zu entstehen und zu bestehen verpflichtet wäre. *Die Eigentumsordnung ist durch ihre teleologische Notwendigkeit entstanden, und darauf beruht ihre Heiligkeit.*" (Ibid. p. 393) Quibus verbis ultimis Paulsen suam sententiam ipse refutat; nam si civitas proprietatem tueri debet et haec ad exsistentiam humanam necessaria est, tunc et ipsa civitas necessaria erat, ac proinde sicut proprietas iure naturae fundata. Similiter E. v. Hartmann, qui Panthelismum, Evolutionismum et Pessimismum docet: „Das Individuum als solches hat gar keine Rechte, sondern es empfängt solche erst durch die Rechtsordnung, die von einem grössern Ganzen geschaffen wird und das Mass seiner Rechte wird lediglich durch die Zwecke dieses grössern Ganzen bestimmt" (Türmer Jahrbuch 1903, p. 212 sq.). — Idem sentit Wundt, Panthelista: „Die Gesamtpersönlichkeit (sc. civitas) ist autonom. Mögen ihre Handlungen und deren Erfolge heilsam oder unheilvoll sein: sie ist in ihren Entschlüssen durch nichts als durch die besonnene Erwägung der Zwecke gebunden" (System d. Philosophie, 1897², p. 628.).

Sed hae sententiae admitti non possunt: a) Iam ex supposito earum falso, quod est vel materialismus, vel pantheismus, vel evolutio historica falsa, vel principium moralitatis falsum sc. salus publica vel progressus culturae, vel negatio Dei et animae immortalis. b) Civitatem constituunt prorsus in se absolutam, sibi ipsi finem, tanquam aliquid mystici cives supergrediens ab omnibus legibus independens, i. e. abstractionem suam personificant. c) Cives autem habent tanquam media ad finem civitatis obtinendum; derogant igitur dignitati humanae civemque servum faciunt civitatis, quum tamen civitas non adsit nisi propter cives. d) Repugnat persuasio humana, quae civitatem habet dependentem a legibus quibusdam aeternis et despotismum tum monarchicum, tum democraticum adhuc peiorem abominatur. e) Praesertim omnis socialismus impossibilis est (cfr. supra p. 303).

II. *Vera sententia de forma sive fine civitatis.*

Duplex finis distingui potest: ultimus et proximus; ultimus isque absolutus ille est, cui omnia alia subordinantur, et hic est gloria Dei; proximus est, quem principium operans activitate sua directe intendit, et est finis *operis*, si activitas ex sua natura eum intendit; *operantis*, si principium activum eum sibi directe proponit (cfr. vol. I, p. 518). Patet, hic non sermonem esse de fine absolute ultimo civitatis, sed de proximo eoque non operantis i. e. de fine subiectivo sive civium sive etiam principum in eorum activitate, qui nonnunquam a vero fini civitatis potest esse distinctus, imo ei oppositus, sed de *fine operis*, i. e. de fine, ad quem civitas ex natura sua ordinata est et quem etiam cives ipse et principes intendere debent vel deberent. Ad hunc finem civitatis naturalem indagandum statuitur:

Thesis XXVI: Finis proximus civitatis est salus publica.

St. qu. 1° *Salus publica* potest negative et positive accipi. *Negative* designat absentiam omnium impedimentorum, quae activitati legitimae civium obstant, praesertim vero in proprietate et libertate personali tuenda (Rechtsschutz). *Positive* consistit in copia sufficiente illarum rerum, quibus cives ad vitam pro statu et conditione sua tranquillam et ad activitatem singulis convenientem indigent; non tamen ita, ut civitas pro singulis ipsa illa bona necessaria procuret, sicut paterfamilias, sed ut omnibus pro cuiusque conditione media praesto sint ad necessaria acquirenda. Supplet igitur civitas insufficientiae singulorum ad vitam perfectam instituendam et per iustitiam distributivam iura et officia determinat (öffenliche Wohlfahrt).

2° Patet, civitatem debere salutem publicam i. e. non privatam singulorum qua talium, sed *omnium* civium procurare, idque non modo prorsus aequali, sicut iustitia commutativa requirit, sed modo *proportionali* pro singulorum indigentiis et meritis; et haec salus publica debet esse *vera* sc. ita comparata, ut fini absoluto hominum non obstet, sed leges moralitatis et religionis respectet; attamen per se *temporalis*, quia civitatis *directe* non est finem ultimum procurare, sed solum indirecte sive negative, in quantum nil ei contrarium faciat, imo eum *indirecte* promoveat. Denique civitas *pro posse* salutem publicam procurare debet, siquidem status perfectus in terra haberi nequit et saepe propter iniuriam temporum (bella, fames, infortunia publica) vel propter malitiam civium hic finis ne relative quidem perfecte attingitur.

3° Adversantur nobis: a) qui finem civitatis proprium a privatis distinctum negant (cfr. supra p. 427); b) qui finem civitatis nimis diminuunt (Rechtsstaat), ut supra (p. 428); c) qui eum nimis extendunt (cfr. supra p. 430).

I. *Societas civilis habet finem distinctum a ceteris societatibus.*

Prob. 1. *Ex natura societatis:* Omnis societas habet finem, per quem intrinsecus constituatur atque ab aliis distinguatur (cfr. supra p. 363). *Atqui* civitas est societas; est enim unio moralis (per leges) atque stabilis plurium ad finem sc. ad pacem et salutem temporalem obtinendam communi actione (per legum observationem) consequendam. Porro civitas est societas ab omnibus aliis specifice distincta: ratione *materiae;* constat enim primarie ex familiis et vicis, secundarie ex singulis individuis humanis, iuribus tamen et officiis diversis; ratione *formae;* nam non bonum speciale singulorum civium spectat, sicut aliae societates, sed bonum commune, qua tale; ratione *mediorum;* potest enim etiam invitos cives vi physica cogere, poenis afficere, imo et vita ipsa privare, quod aliis societatibus non licet. *Ergo* societas civilis habet finem eumque distinctum ab aliis societatibus.

2. *Ex absurdis:* Quodsi eius finis non esset distinctus ab aliis societatibus, aut nullam haberet rationem exsistendi, quod nemo sana mente affirmaverit et repugnat historiae, quae docet, societates civiles semper exstitisse; aut absorberet omnes alias societates: coniugalem, parentalem, domesticam, industrialem, literariam, religiosam etc., id quod absurdum est; nam sic fieret civitas sive eius princeps omnino despoticus: solus pater, herus, possessor, magister, pontifex, quod repugnat et historiae et hominum persuasioni. *Ergo* societas civilis habet finem eumque distinctum a ceteris societatibus.

II. *Finis civitatis est salus publica, non privata.*

Prob. 1. *Ex natura societatis civilis:* Societas civilis specifice differt propter finem suum ab aliis societatibus. *Atqui* aliae socie-

tates humanae, quae in civitate continentur, plus vel minus directe bonum proprium intendunt. *Ergo* societas civilis, ut sit ab eis distincta per finem suum, salutem omnium i. e. publicam qua talem promovere debet.

2. *Ex absurdis:* Quodsi societas civilis bonum privatum qua tale intenderet, esset vel bonum regis, vel classis alicuius, vel singulorum qua talium. *Atqui* si *primum,* haberetur potius tyrannis, quam societas civilis, omnibus civibus omni tempore maxime odiosa (Dionysius Syracusanus, Nero imperator etc.); sin *alterum,* deficeret iustitia distributiva et discordiae civium haberentur continuae (e. g. Patricii et Plebeii Romae); si *tertium,* haberetur societas socialistica, in qua societas communis esset pater, herus, possessor, magister, pontifex, quo nihil absurdius esse posset; sic etiam industria et sollertia singulorum civium necnon dignitas personalis opprimeretur, ita ut tandem non adesset nisi plebs illa Romana, quae laboris nescia nonnisi panes et circenses desideraret. *Ergo* societas civilis debet salutem publicam intendere.

III. *Salus publica primarie, licet negative, consistit in tutela iurium, praesertim proprietatis et libertatis.*

Prob. 1. *Ex natura proprietatis et libertatis:* Proprietas est fundamentum familiae necnon independentiae personalis, libertas autem est fundamentum conversationis necnon operationis humanae, praesertim pactuum. *Atqui* haec bona proprietatis et libertatis humanae saepe in periculum vocantur per avaritiam, invidiam, odium, malitiam aliorum hominum; neque sufficit ad hoc periculum avertendum vis et potentia singulorum civium, et etiamsi sufficeret, non tamen expediret, singulos se tueri, quia continuae tunc haberentur discordiae, rixae, et facile plus iusto quis se ulcisceret. *Ergo* salus publica primum in eo consistit, ut iura singulorum, praesertim proprietatis et libertatis personalis, per auctoritatem civilem protegantur.

2. *Ex historia civitatum:* Id inprimis ad salutem publicam pertinet, quod est primus et potissimus finis legum, quibus civitates reguntur. *Atqui* id quod leges maxime intendunt, est tueri proprietatem, vitam, sanitatem, libertatem civium; codices enim civiles et poenales, ut eos inspicienti facile apparet, vix aliud quidquam continent. *Ergo* ad salutem publicam primarie pertinet tutela iurium civium, inprimis proprietatis et libertatis.

IV. *Salus publica positive consistit proxime in bonis culturae promovendis.*

Prob. 1. *Ex indigentia activitatis privatae:* Homines omnes ad id aspirant, ut non solum vivant, sed ut *bene* vivant i. e. ut copia sufficiens bonorum vitae corporalis adsit et pro individuis et pro familiis; ut commercium et negotium floreat atque crescat; deinde ut etiam quaedam delectatio vitae honesta habeatur; denique ut bona quoque animi, scientiae artesque acquiri ac perfici possint. *Atqui* ad hoc in genere non sufficit sola privata activitas singulorum, vel quia mediis facultateque carent, vel quia ab aliis non sufficienter adiuvantur sive impediuntur. Neque associationes mere privatae ad hoc sufficiunt, siquidem saepe, numero vel potentia praestantiores, suae nimis utilitati consulunt et infirmiores opprimunt, ita ut facile discordia oriatur; saepe etiam associationes privatae non satis stabiles sunt — dependent enim saepe ab uno viro potenti — vel copiae non sufficiunt, e. g. ad plateas, canales, vias ferreas, telegraphos, telephonos, scholas superiores et inferiores, hospitalia, monumenta publica, theatra, musaea etc. aedificanda, ad artes et scientias promovendas, quae tamen omnia ad statum florentem civitatis pertinent. *Ergo* civitatis est, salutem publicam procurare promovendo bona culturae.

2. *Ex historia:* Historia docet, principes civitatum non satis habuisse, sola iura proprietatis et libertatis tueri, sed etiam bona culturae promovisse, et quo perfectior erat civitas, eo magis eos fuisse de hoc progressu sollicitos. Porro iis principibus maiorem laudem tribuimus, qui non solum iura patriae armis vel iura civium per iustitiam defenderint, sed etiam culturam civitatis: commercium, negotium, artes, scientias etc. promoverint, e. g. Pericles Athenis, imperator Augustus et Pontifices Romae et reges nostri temporis ubiquo terrarum. *Ergo* salus publica positive consistit in bonis culturae promovendis.

3. *Ex unanimi fere consensu auctorum: Plato* in optimam formam civitatis inquirit, ex qua summa civium prosperitas oriatur; supponit igitur, finem civitatis esse felicitatem civium, qua in re certe errat in libris de republica statuens socialismum; melius sentit in libris de legibus, in quibus proprietatem civium retinet [1]). *Aristotelis* expresse docet saepius, finem civitatis esse salutem publicam, ad quam etiam morem integritatem et religionis cultum pertinere et curae civitatis subesse docet [2]). *S. Thomas,* vestigia sequens Aristoteles [3]), eius doctrinam suam facit, docens: „Ad bonam vitam multitudinis instituendam tria requiruntur: primo quidem ut multitudo in unitate pacis constituatur; secundo ut multitudo vinculo pacis unita dirigatur ad bene agendum . . . tertio vero requiritur, ut per regentis

[1]) Republ. II, 369 sq.

[2]) Polit., III, 9: Πόλις . . . ἡ τοῦ εὖ ζῆν κοινωνία . . . ζωῆς τελείας χάριν καὶ αὐτάρκους; cfr. ibid. I, 2.

[3]) In comment. ad Aristotelis politicam 3, l. 1.

industriam necessariorum ad bene vivendum adsit sufficiens copia" [1]). Idem scholastici unanimes docent [2]). Praesertim vero Leo PP. XIII in litteris suis encyclicis saepius hanc doctrinam tamquam in scholis christianis semper traditam ac tenendam proponit: „Ut ex ipsa conformatione atque administratione reipublicae ultro prosperitas tam communitatis quam privatorum efflorescat. Id est civilis prudentiae munus propriumque eorum, qui praesunt officium. . . . Publicae custodia salutis non modo suprema lex, sed tota causa est ratioque principatus" [3]).

V. *Salus publica ultime fundatur in moribus et religione tuendis et promovendis.*

Prob. 1. *Ex natura moralitatis et religionis:* Religio i. e. cognitio et timor Dei auctoris, rectoris, iudicis, finis nostri est fundamentum moralitatis (cfr. supra p. 85, 140, 153, 223, 236 sq.); moralitas autem est conditio necessaria ad leges civitatis observandas; nisi enim cives iustitiam, obedientiam, amorem proximum, temperantiam habeant et ex conscientia exerceant, leges civitatis ad summum ex utilitate vel puro timore poenae servarentur, quae motiva non sufficiunt, ut societas diu possit esse stabilis atque salva. *Atqui* salus publica maxime fundatur in iustitia tum commutativa tum distributiva tum legali observanda, neque sine his virtutibus diu permanere posset; magis enim societati latrociniorum, quam civium similis esset talis civitas. *Ergo* salus publica ultime fundatur in bonis moribus et religione tuendis et promovendis.

2. *Ex historia:* Historia docet, civitates olim florentissimas periisse moribus et religione neglectis, crevisse autem virtutibus florentibus; memineris veterum civitatum Graecorum, Romanorum,

[1]) De regimine principum (I, 15), qui liber, usque ad lib. II, c. 4 certe est ab Aquinate, inde autem a Ptolomaeo de Lucca esse dicitur.

[2]) Eorum testimonia vide apud Cathrein, l. c. II, p. 517 sq. Satis recte etiam Paulsen: „Der Staat ist die Organisation eines Volkes zu einer souveränen Willens-, Macht- und Rechtseinheit. Seine Aufgabe ist die Durchsetzung der Lebensinteressen des Volkes nach aussen und die Erhaltung des innern Friedens, sodann die Fürsorge für die Erhaltung und Mehrung des materiellen und ideellen Wohlstandes, soweit sie nicht ohne Gefahr für die Selbsterhaltungskraft des Ganzen der freien Tätigkeit der einzelnen überlassen bleiben kann." System der Ethik, 1900⁵, II, 512. Idem recentiores scientiae ethicae, oeconomicae et iurisprudentes fere omnes docent; cfr. Handwörterbuch der Staatswissenschaften, Art. Staat (Loening); Staat in national-ökon. Hinsicht (A. Wagner); Steuer (Eheberg). Attamen iura civitatis inde deducta non nimis extendenda sunt, ne finis primarius, tutela libertatis et proprietatis, laedatur, quod hodie forte saepius fit, e. g. expropriatio Polonum.

[3]) Rerum novarum, de die 15. Mai 1891; cfr. Encyclica: Diuturnum illud, 29. Junii 1861; Immortale Dei, 1. Nov. 1885; Sapientiae christianae, 10. Jan. 1890.

necnon aliquarum recentium; memineris, quid viri prudentes de hac re senserint consentes, civitati inprimis moralitatem et religionem civium tuendam esse.

Sic Aristoteles, qui quum aliarum scientiarum tum scientiae politicae iure pater vocatur, sex bona enumerat, quibus salus publica saltem quoad essentiam suam constituitur: alimentum, artes, arma, opes, religio, magistratus sapientes; addit autem: „Primo loco ponenda fuit rerum divinarum et ceremoniarum curatio, quam sacerdotium appellant . . . Neque agricola neque illiberalis et sordidus artifex sacerdos instituendus est; a civibus enim deos coli decet . . . et aetate grandibus temporisque spatio defessis . . . videntur sacerdotia esse deferenda" [1]) . . . Sumptus in deos et deorum religiones totius civitatis sunt communes . . . et altera pars (agri publici) in piorum munerum functiones et cultum deorum conferatur" [2]). De moribus autem bene instituendis docet: „Civitas ea, quae revera nominetur civitas . . . virtutis curam habere debet; alioquin civium societas fit belli gerendi societas" [3]). „Beatitudinem (sc. civitatis) sine virtute constare non posse" [4]). „Eam, quae beata et bona est, civitatem his virtutibus (temperantia et iustitia) oporteat esse praeditam, in promptu est" [5]). Praesertim legislatori tribuit officium, „in adolescentium disciplina maxime elaborandi" [6]). Neque aliud sentit Cicero rerum publicarum non minus studiosus quam peritus: „Haud scio, an pietate adversus deos sublata, fides etiam et societas *generis* humani et una excellentissima virtus, iustitia, tollatur" [7]). „Est enim pietas iustititia adversum deos" [8]). (Cfr. supra p. 149 et vol. I, 228, II, 513, 531 sq.). Inde est, quod civitates veteres ipsae religionem deosque publice instituebant, cultum deorum i. e. ceremonias et sacrificia praescribebant, templa aedificabant, sacerdotes ex nobilibus optimatibus eligebant, qui publicis sumptibus sustentabantur et in maxima veneratione versabantur, ita ut ipsi imperatores Romani titulum Pontificis maximi summo sibi honori haberent. Neque bellum a Romanis suscipiebatur, neque pax fiebat, neque senatus consilium capiebat, quin prius diis sacrificaretur et augures haruspicesque interrogarentur [9]). Tum apud Romanos tum etiam apud Aegyptios et Assyrios sacerdotes custodes erant legum et iudices criminum, ita ut tota civitas veterum religioni quasi dedicata fuerit, id quod tempore christiano nonnisi medio aevo locum habuit [10]); hodie autem — proh dolor — pleraeque civitates religionem aperte persequuntur, non intelligentes, se hoc modo fundamentum suum ipsum destruere.

I. *Coroll.* Hisce de forma societatis civilis praemissis, facile eius proprietates necessariae deducuntur; est enim societas a) *moralis,* quia legibus fundatur, quae cives non solum physice cogunt, sed etiam in conscientia obligant; unde differt a quacunque societate mere externa, quae per se obligationem moralem non imponit e. g. societas literaria, opificum etc.; deinde a societate

[1]) Polit. VII, 8 (ed. Acad. Berol. 1831). [2]) Ibid. c. 10. [3]) Ibid. III, 9. [4]) Ibid. c. 9. [5]) Ibid. c. 15. Cfr. etiam III, 4. [6]) Ibid. VIII, 1 sq. [7]) De natura deorum I, 2, 4. [8]) Ibid. I, 41.

[9]) Cfr. Grupp, Kulturgesch. d. röm. Kaiserzeit 1903, I, p. 1 sq.

[10]) Ita Paulsen, System d. Eth., 1900⁵, 129: „Dort (im Mittelalter) wies alles aufs Jenseits; hier (heutzutage) weist alles aufs Diesseits."

physice coacta e. g. latronum. b) *Stabilis;* secus enim finis civitatis, salus communis publica, haberi non posset, quae potissimum in pace et securitate invenitur. c) *Perfecta* i. e. sibi ipsi sufficiens bonis et viribus suis, ac proinde independens (Souverain), quae tamen independentia non intelligenda est absoluta, quasi civitas nullis legibus naturalibus vel divinis subsit[1]); alioquin cives omni arbitrio principum essent obnoxii, eius fierent servi et dignitate personali privarentur. Sed haec independentia solum ita est intelligenda, ut societas civilis aliis civitatibus non sit subiecta; secus vel non esset propria civitas, sed solum provincia alterius, vel brevi saltem privaretur independentia sua, vel essent status confoederati, sicut status uniti Americae vel status plus minus independentes imperii Germanici. d) *Naturalis,* quia natura duce et necessitante formatur, ita ut homines perfectionem suam naturalem nonnisi ut cives societatis politicae obtinere possint. Nascimur igitur iam in civitate, neque penes nos est, vivere extra *omnem* civitatem, si voluerimus. Atque haec potissimum proprietas magis elucebit ex eis, quae mox de origine sive de causa efficiente civitatis dicturi sumus. — Hisce etiam nostra de civitate definitio supra proposita probatur atque absolvitur.

Deficiunt igitur definitiones, quae vel finem vel proprietates civitatis non recte explicant; sic Jhering eam definit: „Der Staat ist die Gesellschaft als Inhaberin der geregelten und disziplinierten Zwangsgewalt"; tunc etiam societas latronum esset civitas. Idem dicendum de Menger: „Eine Summe von dauernd anerkannten Machtverhältnissen". Molius Jellinek: „Eine jede organisierte weltliche Gemeinschaft, die keinen Verband über sich hat, ist Staat"; deficit autem eo, quod nihil de fine civitatis dicit, in quo tamen praecise eius natura et forma collocanda est. Paulsen: „Der Staat ist die Organisation eines Volkes zu einer souveränen Willens-, Macht- und Rechtseinheit". Etiam haec definitio finem civitatis non indicat, sed solum media ad finem. Gumplowicz: „Der Staat ist eine naturwüchsige Organisation der Herrschaft behufs Aufrechterhaltung einer bestimmten Rechtsordnung". Haec definitio non exhibet finem adaequatum societatis, neque eam ab aliis societatibus satis distinguit.

II. Saepe civitas cum *organismo* comparatur, quia sicut in organismo omnes partes in se diversae totum constituunt atque eius fini subordinantur, quo destructo etiam ipsae pereunt, ita etiam civitas ex multis civibus vel potius ex multis familiis, vicis, urbibus constat, quae sub legibus communibus quidem civitatis vivunt, attamen in se ipsis quoad constitutionem et functiones differunt. Hoc sensu etiam Aristoteles dicit, civitatem prius esse familia et individuis, quia ex natura ipsa ad civitatem formandam diriguntur[2]). Haec autem comparatio non nimis urgenda est, ne fiat falsa; fundatur in aliqua similitudine, non paritate; nam et individua et familiae finem habent proprium a civitate distinctum et etiam sine civitate exsistere possunt, non autem organa corporis, quae sine eo esse non possunt; quare etiam iura

[1]) Hoc affirmant, qui civitatem absolutum constituunt fontem iuris omnis necnon boni et mali, ut Hegel, hodie Paulsen, Wundt etc., inde deducentes, ecclesiam catholicam nulla iura habere, nisi ex civitatis indulgentia; cfr. supra pag. 109.

[2]) Polit. I, 2 (1253).

habent quaedam independenter a civitate. Exaggerant igitur hanc naturam organicam civitatis, qui cives *totaliter* ab ea dependentes faciunt, sicut organa a corpore; sic iam Plato civitatem quasi „hominem unum magnum" considerat et post ipsum Trendelenburg, necnon Gierke, Jellinek[1]), Wundt, qui naturam organicam et personalitatem civitatis (Gesamt-Organismus, Persönlichkeit) cum Hegel quasi realitatem actualem habent distinctam a realitate singulorum civium, indeque plenam dependentiam civium a civitate deducunt[2]).

C. *De coniunctione materiae et formae civitatis sive de eius auctoritate.*

1. *Notio et necessitas:* Homines per se individua sunt et amore proprio imbutus, sua quisque quaerit. Ut igitur plures ad communem finem aspirent, oportet quaedam adsit auctoritas eaque legitima, quae eos ad finem communem derigat atque contineat. Hoc igitur efficit auctoritas publica, quae in omnibus civitatibus adesse debet, quaeque earum quasi forma extrinseca est, effectus proprius et manifestatio formae intrinsecae. Auctoritate igitur constituta, ipsa civitas perfecta adest. Patet, eam necessariam esse a) *ratione intellectus subditorum,* ut finis communis in concreto eis constituatur. Multi enim sive defectu intelligentiae sive passionibus obcaecati non satis illud cognoscerent. Quamvis enim in genere omnibus persuasum sit, bonum commune esse appetendum, oportet tamen illud bonum in individuo significetur, et modus, quo consequendum sit, statuatur; neque enim omnibus gentibus pro conditione sua bonum commune prorsus idem est sive eodem modo producendum, quemadmodum etiam bonum familiae non idem est omnibus familiis. Sic bonum commune alio modo producendum est in civitate prorsus agricola, alio modo in industriali; alio modo in culta, alio modo in barbara, quod apparet ex constitutione cuiusvis civitatis.

b) *Ratione voluntatis:* homines enim libera voluntate praediti, licet bonum commune sciant, saepe tamen indigent incitamento, ut illud etiam efficaciter efficiant, quia amore proprio vel desidia nimis retinentur; alii autem freno opus habent, ne passionibus abrepti alios cives bonis suis privent vel rerum illegitime potiantur. Necesse igitur est, exsistere auctoritatem eamque potentem atque independentem, qua voluntas civium efficaciter determinetur ad bonum commune appetendum vel saltem non turbandum. *Auctoritas igitur publica est potestas cives dirigendi atque efficaciter impellendi ad bonum commune.*

[1]) Cfr. Handwörterb. d. Staatswissensch. VI[2], 1901, p. 911 sq.: Die organische Staatslehre, die Persönlichkeitstheorie, quae theoriae a Loening bene refutantur propter analogiam organismi et personae exaggeratam et falso translatam.

[2]) Wundt, System d. Philos. 1897[2], p. 611 sq.

2. *Eius functiones:*[1]) Ex obiecto auctoritatis publicae apparet, triplicem ei functionem sive potestatem esse tribuendam: a) Potestatem *legiferam*, qua leges constituuntur, quibus ipse finis civitatis, bonum commune, omnibus prae oculis sistitur. Quae leges sunt vel *fundamentales*, quibus ipsa civitatis constitutio et character continetur; vel *organicae*, quae fundamentales magis explicant easque ad singulos cives applicant et constituunt vel ius *privatum*, quo relationes civium inter se reguntur, vel *publicum*, quo relationes civium ad auctoritatem publicam determinantur. Atque hae leges, ut supra p. 114 diximus, debent inniti iure naturali, ut sint honestae, iustae, possibiles, neque nimis multae et onerosae. Ipse legislator, etiamsi externe cogi non potest, saltem indirecte legibus suis *positivis* subditur, in quantum bonum commune spectant, quod est eius suprema lex[2]).

b) Potestatem *administrativam*, qua omnia disponuntur, ut cives etiam *efficaciter* ad finem dirigantur. Necesse igitur est, magistratus constitui homines prudentia, scientia et vitae integritate conspicuos, qui pro necessitate singularum classium, familiarum et individuorum leges applicent idque humane et sine partium studio; sunt functionarii publici, quos civitates modernae saepe nimios habere videntur tum publicos tum communales. Eorum est, etiam praeter leges ea praecipere, quae hic et nunc necessaria videntur ad bonum publicum, modo ne libertas civium nimis coarctetur (Bureaucratismus).

c) Potestatem *coercitivam*, qua cives coguntur ad leges observandas; quas si transgressi fuerint, ad *tribunal iudicis* deducuntur, et si opus fuerit, poenis afficiuntur, quae consistunt in privatione bonorum (pecuniae, libertatis, vitae ipsius), et pro conditione gentis et temporum diversae fuerunt. Ad haec officia et iura exercenda auctoritas publica indiget *vi quadam armata*, necnon *multa pecunia*, quam pro necessitate boni publici per tributa imposita a civibus exigere potest (de quibus postea plura dicentur).

3. *Subiectum auctoritatis publicae*[3]). Auctoritas publica in se sit una et indivisibilis, ne ordo paxque turbentur; quare etiam subiectum eius debet esse *unum*. Iam vero haec unitas potest esse *physica*, si una persona auctoritatem publicam obtinet, quod in *monarchia* locum habet; est *moralis*, si summa auctoritas penes plures est, quod fit in *polyarchia*, sive sit *aristocratia*, in qua optimates regnant, sive *democratia*, in qua totus populus vel per deputatos a se electos, vel ipse in comitiis collectus summum exercet imperium, et moderatores reipublicae pro libitu eligit et dimittit.

---

[1]) Cfr. Cathrein, Moralphil. II^4, p. 629 sq.

[2]) Cfr. Aristot. Pol. V, 14, ubi hae tres in re publica Atheniensi distinguuntur potestates.

[3]) Cfr. Arist. Pol. III, 6.

Patet, maiorem per se unitatem in monarchia haberi ac proinde etiam maiorem vim pacis internae et externae conservandae, quare initio omnia regna erant monarchiae. Attamen periculum tyrannidis sive despotismi facilius adest quam in aliis formis gubernii, neque tanta est omnium civium cooperatio spontanea in bonum commune et progressum faciendum. In civitate aristocratia magis quidem abest hoc periculum, sed aliud tunc oritur sc. factionum et discordiarum tum inter nobiles et plebeios, ut in vetere republica Romana seditiones et secessiones populi per plura saecula (510—30 a. Chr.), tum inter nobiles gentes ipsas (oligarchia), ut in pluribus civitatibus Graeciae. In democratia vero idem periculum adest factionum politicarum, ut historia democratiarum veterum et recentium (in Gallia, in Statibus Americae septentrionalis et meridionalis) docet; excitantur autem omnes cives ad cooperationem politicam et progressum communem, siquidem omnes aequalia iura habent et ad omnes functiones publicas ascendere possunt. —

Historia omnium gentium docet, initio ubique reges fuisse, qui in aliquibus gentibus Occidentis (Graecis et Romanis) nobilibus locum cedebant, et hi iterum plebi gubernium cedere cogebantur: Monarchia igitur aristocratiam, haec autem democratiam praecedebat, ita tamen, ut democratiis degeneratis et corruptis, ubique iterum monarchia rediret: Romae imperatores sub Augusto, in Graecia reges Macedoniae. In Oriente autem i. e. apud Sinenses, Japones, Indos, Persas, Assyrios, Babylonios, Aegyptios *monarchiae* semper eaeque plerumque despoticae, habebantur. — Nostris saeculis, praesertim ex tempore revolutionis gallicae, habentur *monarchiae constitutionales*[1]), in quibus summa rerum apud principem (regem vel imperatorem) est, ita tamen, ut eius potestas sit temperata et limitata non solum per constitutionem (Verfassung) simul cum deputatis totius populi stabilitam, sed etiam per duo comitia: unum deputatorum a populo electorum (Reichstag, Landtag), alterum nobilium ab ipso principe vocatorum (Herrenhaus, Senat). Est igitur monarchia temperata per democratiam et aristocratiam, et videtur forma gubernii pro tempore et conditione nostra omnium optima simulque ex evolutione historica orta. Differt tamen in singulis gentibus, ita ut mox monarchiae absolutae (Russia), mox democratiae proprior esse videatur[2]). Atque hanc monarchiam temperatam eamque hereditariam, quemadmodum etiam olim medio aevo habebatur — attamen solum nobiles et urbes, non ruricolae tunc rebus publicis intererant — etiam s. Thomas cum Aristotele[3]) optimam censet[4]), et plerique post eum scholastici et iurisprudentes plurimi. Nulla tamen

---

[1]) Non parum ad illas constituendas Montesquieu libro suo: Esprit des lois, 1748, contulit, exemplar constitutionis Britannicae, licet immerito, omnibus gentibus recommendans.

[2]) Plura de hac re vide Stöckl, Lehrb. d. Philosophie 1892^7, III, p. 405 sq. Walter, Naturrecht u. Politik, Hertling, Recht, Staat und Gesellschaft 19[illegible], p. 141 sq. Cathrein, l. c. II, 678.

[3]) Eth. Nic. VIII, 12. [4]) S. Theol. I, II, qu. 105 a. 1.

forma gubernii per se bonum commune impedit, et in hac forma eligenda multum dependet ab indole gentis et praesertim ab eius evolutione historica, a qua sine magnis perturbationibus et calamitatibus vix discedi potest, ut gallica docet rerum omnium eversio.

Sect. II. De origine societatis civilis.

Duplex quaestio hic oritur: Quae est origo civitatis in genere? quae est origo societatum singularum in specie sive de facto? Hae quaestiones prorsus diversae saepe confundebantur, unde tot errores in hac re orti sunt. Inquiramus igitur primum originem civitatis in genere [1]).

A. *De origine civitatis in genere.*

Duae potissimum sententiae de origine societatis civilis statutae sunt: Alii enim eam repetunt ex factis quibusdam historicis; alii ex natura sociali hominis.

I. *Sententiae erroneae.*

a) *Theoria conventionis* (Vertragstheorie): Iam aliqui sophistae veteres, sicut omne ius, ita etiam civitatem ex hominum conventione vel usurpatione derivabant (cfr. supra p. 216) [2]). Hanc sententiam postea restauravit Hugo *Grotius* († 1645), de iuris scientia optime meritus [3]), licet ius naturae admitteret, imo illud exaggerans etiam sine Dei exsistentia valere affirmaret. Civitatem tamen, sicut etiam ius proprietatis, ex consensu expresso vel tacito ortam esse duxit ita, ut primi homines, ex natura sua sociales, ad pacem conservandam et mutuum auxilium praestandum primo conventionem inierint civitatis constituendae, porro pactum de subiecto auctoritatis publicae eligendo, cui deinde mutuo consilio hanc auctoritatem usque modo in omnibus residentem tradiderint, quam non iam possent ei auferre. — Eodem modo etiam *Pufendorf* († 1694) et *Thomasius* († 1728), iurisprudentes suo tempore celeberrimi, aliique multi post eos sentiunt. Maxime vero *Hobbes* [4]) materialista hanc theoriam conventionis propagavit. Supponit enim statum quendam *naturae* antisocialem hominum primorum ad modum bestiarum, in quo fuisset „bellum omnium contra omnes", „homo homini lupus". Ne autem homines mutuo se perderent, primo conventionem inierunt de societate constituenda, quae esset subiectum commune *iurium* et quasi voluntas communis. Ut autem haec voluntas communis operari possit, requiritur persona aliqua tanquam eius subiectum, cui omnes parere debeant. Novus igitur contractus fit, quo omnes hoc subiectum auctoritatis publicae eligant eique se subiciant. Quo facto civitas constituta est tanquam fons omnis iuris necnon omnis boni et mali, cui in omnibus obediendum sit, cuius auctoritas

[1]) Cfr. v. Hertling, Recht, Staat u. Gesellschaft, 1906, p. 61 sq. [2]) Plato, Theaet., p. 162 sq. [3]) Liber eius celeberrimus: De iure belli et pacis, 1625. Cfr. Stöckl, Lehrb. d. Gesch. d. Philos. 1883 [3], II, 103, 188 sq. [4]) Cfr. supra p. 217. Willmann, Geschichte des Idealismus, 1907 [2], II, p. 644 sq. Staatslexikon (Görresgesellschaft), Art.: Staat, Staatsgewalt (Cathrein).

etiam in rebus sacris nunquam recusari possit. — Atque monarchiam, utpote formam propriam unitatis, meliorem esse civitatis constitutionem. Similem sententiam postea *Spinoza*, *Locke* et praesertim *Rousseau* proposuerunt. Rousseau docuit, homines initio in statu naturae fuisse sine iuribus et legibus, attamen in pace et tranquillitate. Ut autem ad statum culturae perfectiorem ascenderent, societatem libere constituerunt, mutuo sibi iura conferentes et recipientes. Communitas igitur ipsa est fons auctoritatis civilis et iuris ipsaque etiam leges condit, est prorsus autonoma, infallibilis, in omnibus, etiam in rebus sacris, audienda. Ut autem unitas vitae habeatur, magistratus eligendus est, cui solum potestas executionis legum committatur; qui si potestate sua abutitur, a communitate deponi atque puniri potest. Forma igitur optima civitatis est respublica. — Haec sententia illo tempore a multis probabatur (etiam a Kant), et est fundamentum constitutionis gallicae anno 1789. Eam inprimis *v. Haller*, necnon *Savigny*, *Stahl* etc. impugnabant (cfr. supra p. 218), ita ut ex illo tempore status naturae primitivus insocialis et theoria conventionis reicerentur [1]). Est revera theoria revolutionis perpetuae, et fons omnium revolutionum civilium saeculi elapsi, ad quam quivis de civitate non contentus provocare potest; est theoria Socialismi.

b) *Theoria usurpationis* (Machttheorie): Alii autem philosophi et iurisprudentes statuebant, homines initio feroces et vagantes alios vicisse iam sedes fixas incolentes eosque sibi subegisse legibusque obstrinxisse. Decursu autem temporis illas leges in consuetudinem et mores transiisse, imo propter pacem et utilitatem inde ortam sanctas atque divinas habitas esse; sic fere explicant originem civitatis *Gumplowicz*, *Jellinek* aliique [2]). Neque *v. Haller* ab hac theoria satis abhorret, docens esse legem naturae, fortiorem subiugare debiliorem, quam sententiam etiam *Seydel*, *Lingg* aliique statuunt [3]). Supponunt igitur falso statum hominum primitivum omnino barbarum; deinde originem status *alicuius maioris* per usurpationem et arma confundunt cum origine civitatis *in genere* i. e. *omnis* societatis civilis; neque vim legum *moralem* i. e. in conscientia, quae differt a vi mere psychologica consuetudinis, explicare ac proinde auctoritatem veram civilem stabilire valent.

c) *Theoria organica* [4]) docet, civitatem non per voluntatem humanam liberam ortam esse, sed ex necessitate naturae nostrae socialis, quae ad modum organismi sese decursu temporis explicet et ad suam perfectionem in civitate politica perveniat. Civitatem igitur esse organisationem perfectam naturae humanae, hominem perfectum, ut Trendelenburg post Plato, imo ens absolutum ipsum, spiritum obiectivum, quasi Deum praesentem, ut post Hegel multi censent Idealistae et Pantheistae, quibus Darwinistae et Evolutionistae cum Spencer assentiuntur. Praesertim Wundt civitatem habet verum organismum realiter distinctum a suis civibus [5]), quia sit *totum* aliquod,

[1]) Cfr. Willmann, l. c. III, 733 sq. [2]) Cfr. Cathrein l. c. II, 459 sq. L. St. 55 B., 199 sq. [3]) Cfr. Handwörterb. d. Staatswissensch. VI [2], 1901, p. 910 sq.
[4]) Cfr. Handwörterbuch der Staatswissensch. VII [2], p. 911 sq.; vide supra p. 438.
[5]) „So ist in jeder Beziehung die Realität des Gesamtlebens eine ebenso ursprüngliche und sicher begründete, wie die des Einzellebens. An objektivem und allgemeingültigem Wert ist sie aber dieser um ebensoviel überlegen, als sie dauernder und umfassender ist". Syst. d. Phil., p. 613.

cuius cives sint quasi organa ad *diversas functiones* inter se ordinatas peragendas [1]; imo civitatem habet personam sensu proprio, quia in ea inveniatur *una* voluntas eaque prorsus *autonoma*, quae ex motivis i. e. cum *conscientia* operetur [2]. Exaggerat igitur ut Panthelista (cfr. vol. I, p. 308 sq.) inclinationem socialem naturae humanae et necessitatem societatis civilis, quasi homo sine ipsa esse non posset, neque ante ipsam fuisset, et esset prorsus propter ipsam; neque haberet finem sibi proprium, altiorem quam civitatem i. e. finem supramundanum, aeternum in Deo. Civitas autem habet finem temporalem et potius ad bonum hominis ordinatur, sicut medium ad finem. Inde est, quod fautores huius sententiae plerumque hominis immortalitatem negant eumque plene ad salutem publicam ordinant, quasi medium ad finem, eius dignitatem personalem, imo rationalem destruentes. In thesi autem sua probanda adversarii confundunt organismum et personam sensu proprio i. e. physico cum analogo i. e. morali. Quamvis inter organismum et civitatem aliqua sit similitudo, non tamen adest paritas (cfr. supra p. 438).

d) *Theoria historica*, quae etiam *iuridica* [3]) vocatur, docet, civitatem sensim ortam esse ex legibus et iuribus, quae paulatim per mores et consuetudines humanas formata essent eo fere modo, quo et lingua humana ex usu quotidiano nata sit; tot igitur diversas exsistere civitates, quia origo earum ex moribus et consuetudinibus diversa fuerit, sicut et linguarum. Sic fere sentit „schola historica", necnon positivistae ethici et iuridici, de quibus supra p. 205 et 218 sq. plura diximus; non igitur ius naturale admittunt, quo quum omnis societas humana, tum praesertim civilis fundetur. Neque igitur rationem sufficientem reddere possunt, quo iure civitates ipsae exsistant legesque et ipsa iura publica orta sint, siquidem solum factum historicum unica ratio esse nequit; alioquin etiam furtum posset esse titulus legitimus possessionis. Quare haec theoria vel ad theoriam contractus vel usurpationis reduci debet, vel nobiscum ius naturale primitivum statuat oportet, ex quo civitas *in genere* orta sit, civitates autem singulae mediantibus quibusdam factis historiae. Confundunt igitur originem civitatis in genere et in specie.

II. *Sententia vera de naturali origine civitatis.*

Thesis XXVII: Societas civilis in genere ex ordine naturae humanae oritur, quare auctoritas civilis a Deo ipso confertur.

St. qu. 1° Societas civilis hic non in concreto consideratur i. e. certa aliqua et individualis, sed omnis omnino, in quantum constat ex elementis necessariis et essentialibus: materia, forma, auctoritate. Ordo naturae humanae significat naturam nostram, tum individualem tum socialem cum omnibus suis facultatibus et indigentiis, in quantum ad statum perfectum destinatur. Affirmamus igitur, homines ex se i. e. natura duce et necessitante tendere ad societatem civilem constituendam, ut in ea perfectionem suam socialem consequantur; per accidens tamen potest esse, ut aliquis ad nullam societatem determinatam pertineat; est igitur necessitas moralis.

[1]) Ibid. 616 sq. [2]) Ibid. 624 sq. [3]) Cfr. Handwörterb. d. Staatswissensch. l. c.

2° Si affirmamus, auctoritatem civilem a Deo ipso conferri, non factum aliquod supernaturale statuimus, quo Deus vel communitati populi, vel principi electo hanc potestatem summam tribuat, sed solum dicimus, potestatem summam non ex voluntate aliqua humana (ex contractu vel usurpatione) oriri, sed ex divina, attamen in ordine naturali, quemadmodum Deus etiam legem naturae sua voluntate sancivit et patri familias auctoritatem paternam in familia contulit.

3° Adversantur nobis omnes, qui originem civitatis et auctoritatis socialis ex voluntate humana vel facto aliquo historico explicant, quorum sententiam supra p. 442 sq. exposuimus.

I. *Societas civilis in genere ex ordine naturae humanae oritur.*

Prob. 1. *Ex relatione civitatis ad familiam:* Familia oritur ex ordine et necessitate naturae humanae (cfr. supra p. 405 sq.). *Atqui* societas civilis naturaliter et necessario oritur ex familia; nam quo maior fit familia per filios, nepotes earumque uxores vel maritos, eo magis civitati parvae comparatur sub potestate communi patris familiae; et hoc modo certe, teste Cicerone [1]) et Aristotele [2]), primae civitates adhuc parvae exortae sunt. *Ergo* societas civilis oritur ex ordine ipsius naturae humanae.

2. *Ex natura nostra sociali:* Constat, hominem esse „animal sociale" [3]); nam a) in sola societate humana ad perfectionem suam naturalem pervenire potest; solus enim vix necessaria ad vitam eaque sola sibi comparare posset; sed cum aliis hominibus sociatus potest laborem cum ipsis distribuere (Arbeitsteilung), ita ut id quisque producat, ad quod ex natura sua magis est dispositus. Itaque homines inter se ad laborem uniti et multo plura et perfectiora producere possunt; id quod testatur ortus singularum artium communium (sartoris, sutoris, textoris, pistoris, fabri lignarii, ferrarii, industriae et negotiationes etc.), necnon artium ingenuarum et scientiarum, quae esse non possent nisi alii homines artificibus et scientiarum studiosis necessaria ad vitam procurarent. In civitate igitur sola perfectio indolis humanae et culturae progressus haberi potest [4]). b) Signum huius ordinationis hominis ad vitam socialem est inclinatio illa naturalis, qua homo cum aliis hominibus, praesertim vero cum civibus eiusdem patriae, se copulari sentit, ita ut maxima poena, excepta morte, semper habita sit, ex patria expelli. Inde fundamentum patriotismi, quo animati homines parati sunt potius mori,

[1]) De offic., I, 17; cfr. supra p. 422. [2]) Polit., I, 2.

[3]) Aristoteles vocat hominem ζῷον φύσει πολιτικόν. „Hominem esse animal civile magis quam quamvis apem et quodvis animal congregabile, perspicuum est" (Polit. I, 2, ed. lat. Berolini 1831).

[4]) Cfr. Plato, De re publ., lib. II et III, p. 369 sq.

quam civitatem prodere. *Atqui* quod hominibus omnibus adeo insitum est atque moraliter necessarium ad perfectionem naturae, ex ipsius naturae ordine fieri censendum est. *Ergo* societas civilis oritur ex ipsius naturae nostrae indole et necessitate.

3. *Ex historia:* Historia docet, civitates aeque primaevas esse quam genus humanum ipsum, neque unquam homines fuisse neque hodie inveniri adeo barbaros, ut in nulla societate civili vivant. — Porro constat per historiam, culturam humanam eodem modo progressum fecisse, quo ipsa civitas perfectior fuerit et quo melius legibus et auctoritate publica temperata. *Atqui* quod semper in hominibus fuit, quod tam intime cum nostra perfectione et progressu est copulatum, est postulatum ipsius naturae humanae. *Ergo* societas civilis fundatur in ordine naturae humanae.

4. *Per exclusionem:* Societas civilis (qua talis, non certa et individua) orta est aut ex ipsa naturae nostrae necessitate morali aut ex libera hominum voluntate, idque vel per contractum vel per usurpationem. *Atqui* a) non orta est per *contractum* liberum sive expressum sive tacitum; nam talis contractus nullâ historiâ refertur et homines omnes iam in civitate aliqua inveniuntur; nascuntur enim cives, quare hodie theoria contractus socialis ab omnibus reicitur. Deinde contractus ille, siquidem libere factus est, etiam libere dissolvi posset, id quod revolutioni continuae faveret; neque apparet, quomodo antecessores nostri nos illo contractu pro semper libertate nostra privare potuerint. Neque verisimile est, initio omnes homines contractui illi consensisse, renuntiantes in perpetuum tum pro se tum pro posteris suis libertati personali totque onera in civitate suscipientes. Quodsi coacti essent, quovis momento deficere possent, siquidem contractus ex coactione factus vel non valet vel saltem rescindibilis est; nemo tamen potest civitati omni renuntiare, etiamsi voluerit. Quare vel cum Hobbes principium absolutismi vel cum Rousseau principium revolutionis esset proclamandum. Denique repugnat, homines per contractum illum socialem civitati potestatem contulisse, quam ipsi non habebant, sc. ius et potestatem homines reos libertate, imo vita ipsa privandi.

b) Neque orta est societas socialis ex *usurpatione;* nam licet nonnullae civitates hoc modo formatae vel potius dilatatae fuerint, hic modus non est primitivus, neque unicus, neque legitimus, unde vel alium titulum, vel iam civitatem aliam supponit. Deinde sola usurpatio non potest ius conferre et fundamentum civitatis legitimae efficere; secus vis brutalis ius faceret, neque ulla civitas secura atque tuta esset contra usurpatorem; quivis enim potentior posset se eam vi vel astutia subicere. Usurpatio igitur non est ratio propria, fons verus *omnis* civitatis. — Neve dicas, fieri eam titulum legitimum

per consensum subsequentem civium sive expressum sive tacitum, vel per praescriptionem, vel per consuetudinem; nam consensus ille subsequens idem esset ac conventio, quam supra sub a refutavimus tanquam fontem proprium civitatis. Porro praescriptio supponit iam leges positivas ac proinde civitatem *constitutam;* denique consuetudo sola rem illegitimam non facit per se legitimam atque honestam, nisi accedente *auctoritatis publicae* consensu saltem tacito, unde iterum supponitur civitas iam constituta. *Ergo* non restat nisi ut civitas oriatur ex naturae nostrae necessitate morali.

c) Attamen duplici modo civitas ex naturae necessitate oriri posset: *absoluta vel physica* necessitate, sicut organa in corpore humano oriuntur, et *morali* solum necessitate, ita ut vita humana non simpliciter a civitate dependeat, neque ad eam sit *totaliter* ordinata, sed solum eius perfectio naturalis. *Atqui* necessitas civitatis non est absoluta et physica; secus non essent iura privata ante et extra civitatem e. g. in familia vel etiam in primis parentibus, in homine solitario, et homo prorsus a civitate dependens fieret, tanquam medium a fine suo, quum tamen civitas potius sit medium et homo ipse sc. eius perfectio naturalis finis sit ipsius societatis, id quod ex eo maxime apparet, quod homo habet finem supramundanum aeternum in Deo, civitas mere temporalem. *Ergo* societas civilis oritur ex necessitate naturae humanae, non quidem absoluta, sed morali.

II. *Auctoritas civilis a Deo ipso oritur.*

Prob. 1. *Ex origine societatis civilis:* Societas civilis, ut vidimus in parte prima thesis, fundatur in ipsa natura sociali hominis, quae ex se ordinata et etiam inclinata est ad civitatem constituendam; nulla autem civitas sine auctoritate publica esse potest. *Atqui* natura humana socialis a Deo ipso est ita instituta. *Ergo* etiam auctoritas civilis a Deo ipso constitui atque conferri debet.

2. *Ex natura auctoritatis civilis:* Auctoritas civilis nunquam potest cessare, quia civitas ipsa desinere non potest, ne salus hominum pereat; neque potest ab ullo homine recusari; secus iterum civitas dissolvi posset. *Atqui* si oreretur ex voluntate aliqua humana, sive ex conventione civium, sive ex voluntate potenti principis, posset etiam per eandem voluntatem humanam iterum dissolvi. *Ergo* orta est ex voluntate divina.

3. *Ex eius potestate:* Auctoritas civilis habet potestatem summam tum in proprietatem tum in libertatem et vitam ipsam civium, si salus publica hoc postulaverit e. g. ius belli, ad puniendum sceleratum, ad bona sequestranda propter necessitatem publicam; porro decreta iusta auctoritatis civilis etiam in conscientia obligant. *Atqui* nulla voluntas humana talem conferre potest potestatem: *Non voluntas*

ipsorum civium, siquidem nullus eam — ne inchoatam quidem — habet; ergo neque omnes simul. Accedit, quod potestas publica genere suo alia est ac singulorum civium, est enim potestas *iurisdictionis*, non proprietatis sive dominii proprii, quod cives retinent. *Non voluntas principis*, qui ut homo non habet potestatem [maiorem, quam alii, et solus Deus potest in conscientia nos obligare, quam voluntas sola humana attingere nequit. *Ergo* potestas illa summa civitatis in principe residens non est mere humana, sed a Deo derivata.

4. *Ex paritate:* Auctoritas civilis se habet ad civitatem simili modo atque auctoritas paterna ad familiam; utraque enim est a natura instituta et moraliter necessaria. *Atqui* auctoritas paterna a Deo ipso confertur eo ipso quod pater constituitur, non derivatur a voluntate libera uxoris vel liberorum. *Ergo* etiam auctoritas civilis est a Deo ipso immediate collata (cfr. Rom. 13, 1—7; I Petr. 2, 13)[1].

At nonne haec theoria de origine et natura auctoritatis civilis est potius „theologica", quam philosophica et auctoritatem politicam cum religione confundit, quasi Deus ipse civitates fundaverit? (Ita Gyzicki, K. Frantz, v. Mohl, Jellenik[2] etc.) — Sed theologia et philosophia sibi non repugnant; distinguitur theologia supernaturalis sive dogmatica et naturalis sive philosophica, quae ultimam omnium rerum ac proinde civitatis rationem in Deo esse ostendit. Numquid ille qui ostendit, ius proprietatis, matrimonii unitatem et indissolubilitatem a Dei voluntate esse repetenda, solum theologum facit, non philosophum quoque? Neque timenda est confusio rei politicae cum religione, siquidem obiectum utriusque tum materiale tum formale differt. Neque per hoc auctoritas civilis ecclesiasticae subditur, imo eius dignitas atque vis augetur, quia eius origo est in Deo, fonte omnis religionis.

At nonne per hanc doctrinam auctoritas publica nimis augetur, ita ut absolutismo via pateat atque gloria quasi divina principibus tribuatur, sicut antiquorum imperatoribus (sic Lasson, Bluntschli, Rob. v. Mohl aliique[3])? — Sed confunditur ipsa auctoritas publica abstracte considerata cum eius subiecto concrete spectato. Deus non ipse civitates creat, sicut theocratiam veteris testamenti, neque ipse reges immediate constituit, sicut olim Saulum et Davidem elegit. Neque haec auctoritas civilis, licet a Deo sit, eo ipso est illimitata atque absoluta, sed iure naturali et divino, necnon ecclesiastico limitibus circumscribitur, ne in despotismum et tyrannidem excrescat.

B. *De origine civitatum in specie.*

Ex eo quod societas civilis per se sit necessaria, nondum sequitur, hanc vel illam determinatam civitatem debere oriri vel exsistere et adhuc minus Deum aliquam condere vel condidisse civitatem

[1]) Cfr. Encycl. P. P. Leonis XIII: Immortale Dei, 1. Nov. 1885, ubi haec doctrina per se philosophica tanquam ecclesiae doctrina proponitur; item in Encycl.: Sapientiae christianae 1890 et Rerum novarum 1891.

[2]) Apud Cathrein, Moralphil., II, p. 469 sq.

[3]) Ibid.

immediate, quia ipse fons est auctoritatis civilis; ita etiam ius proprietatis est a Deo, attamen possessio *actualis* huius vel illius rei per operam quandam humanam facta est; sic potestas mariti et patris a Deo quidem est, attamen Deus ipse non hunc constituit de facto maritum vel patrem. Quaeritur igitur, quae sint facta illa historica, per quae singulae civitates ortae sint. Quum autem in civitate eius materia i. e. multitudo civium et forma saltem extrinseca sc. auctoritas publica considerari possint, duplex habetur quaestio: Quomodo unitas materialis civium effecta est? Quomodo auctoritas publica huic vel illi subiecto collata vel ablata est? Iam explicemus primam quaestionem.

I. *De origine multitudinis civium.*

1. *Factum primarium:* In hac origine materiali civitatis factum aliquod *primarium* habetur et multa alia *secundaria*. Factum illud primarium est *communis origo* ab eodem patre. Prima enim familia per plures generationes sese continue dilatavit excrescens in pagum et stirpem, quae forte initio et agros et greges habebat communes; sed deinde sese separantes quoad habitationem et plura loca et regiones incolentes, retinebant tamen per tempus plus vel minus longum more patriacharum caput familiae originariae commune i. e. patrem, avum, proavum vel eius successores legitimos, et sic tandem gentem constituebant plus vel minus numerosam; erat civitas prima, licet adhuc parva et imperfecta, attamen potestate publica praedita ad pacem internam et externam conservandam. Subiectum autem huius potestatis publicae determinabatur facto generationis protoparentis, qui eo ipso pater, dux, rector et iudex familiae subsequentis constituebatur.

Hanc originem civitatis primitivae nobis ostendit historia sacra veteris Testamenti in primis iam parentibus eorumque filiis (I Mos. 4), quae historia recenter in Babylonia et Aegypto inventis mire illustratur et comprobatur[1]. Praesertim vero haec origo civitatis primitivae apparet in patriarchis Abraham, Isaac et Jacob. Hoc modo, ut vidimus, iam Aristoteles et Cicero originem civitatum explicant necnon factum illud, quod initio ubique reges et regna, non respublicae apparent (cfr. supra p. 441). Historia autem profana veterum gentium non iam pertingit usque ad primam originem, sed ostendit ubique civitates iam formatas. Sic historia vetustissima Aegypti narrat, Menas regnum condidisse post diluvium magnum[2]; in Mesopotamia circa 3000 a. Chr. plura regna exsistebant (Nimrud), postea a rege Hammurabi bello unita in regno magno Babylonico. In Indiam circa 2000 a. Chr. Arii ex

[1]) Cfr. Grimme, Das Gesetz Hammurabis u. Moses, 1903; Nickel, Babel u. Bibel (Volksaufklärung Nr. 61—62).

[2]) Historici de tempore regni eius decem diversas proponunt sententias, quae differunt 3547 annis (Champollion 5867; Wilkinson 2320 a. Chr.).

septentrione invadentes, regnis ibi iam exsistentibus devictis, nova condiderunt. Sinenses primum regem Yao post diluvium regnum condidisse dicunt circa 4000 a. Chr., attamen tempus incertum videtur, quum rex Fu-hi circa 2852 matrimonia et scripturam, rex Huang-ti circa 2704 leges, artes scientiasque induxisse dicitur.

2. *Facta secundaria:* Haec facta multiplicia esse possunt, quibus non tam civitas ipsa constituatur, sed potius iam constituta augeatur atque amplificetur. Primo igitur loco nominanda sunt *bella* exorta inter finitimas civitates sive propter iniurias illatas, sive ex regni dilatandi cupiditate. Tota historia plena est bellis, quibus civitates aliae augebantur, aliae diminuebantur, imo aliae prorsus delebantur. Deinde etiam per *pacta* civitates disgregatae uniebantur sive ad unum imperium (e. g. imperium Germanicum), sive ad confoederationem, e. g. Status Helvetiae, Americae. Porro per internas *discordias* (revolutiones) civitates in se unae in plures discerptae sunt; sic vetus imperium Germanicum in multas civitates hodiernas est divisum. Denique etiam per *emigrationem et colonisationem* primum coloniae dependentes fundatae sunt, quae decursu temporis deficientes a civitate matre, civitates independentes constitutae sunt; sic civitates totius fere Americae.

II. *De acquisitione auctoritatis publicae.*

Duplex hic quaestio resolvenda est: Quomodo subiectum auctoritatis publicae designatum est; quomodo auctoritas ipsa ei collata?

1. Primum subiectum *quasi a natura* ipsa fuit designatum, siquidem vidimus, primam civitatem ex familia fuisse exortam ac proinde patremfamilias *per generationem* et post eum natu maiores vel a patre designatos stirpis et gentis fuisse rectores, duces et iudices (lege I Mos. 49; I Machab. 2, 65 sq.). Ita primi reges per *hereditatem* a patribus regnum accipiebant. Deficientibus vero viris aptis ad regnandum, saepe etiam a populo aliquis vir spectatus sapientia vel potentia vel rebus praeclare gestis *per electionem* princeps creabatur, sicut in vetere imperio Germanico (Wahlreich). Neque raro fiebat, ut vir aliquis praepotens regnandi cupidus *per usurpationem* rerum potitus sit, vel depellendo principem legitimum vel eius regnum suo copulando, vel formam civitatis immutando: regnum in rempublicam, rempublicam in regnum, e. g. Caesar, Augustus, Napoleon, quod facinus deinde consensu populi vel temporis praescriptione ratis habebatur[1]).

2. Auctoritas autem publica, quam diximus a Deo ipso conferri, num *directe* subiecto factis historicis determinato, an *indirecte* ei

[1]) Vide plura Stöckl, Lehrb. III, p. 420 sq.

mediante populo tribuitur? Illud praesertim docebant, imo exaggerabant Occamistae adulantes regem Ludovicum Bavarum, quasi Deus ipse eius personam directe tanquam regem designasset, sicut olim regem Davidem, proinde approbatione Pontificis, imperatores Romanos coronantis, eum non indigere. Similiter postea Reformatores plures, principes saeculares ecclesiae constituentes summos episcopos, quasi a Deo ipso eos electos praedicabant, id quod praesertim Jacobus I, rex Britanniae († 1625) libello propugnavit, ut a Romano Pontifice se etiam in rebus religiosis independentem praedicaret et revolutionibus tunc minitantibus religione obsisteret[1]). — Eos vero oppugnabant, qui cum H. Grotio, Pufendorf, Hobbes, Rousseau etc. non solum censent, civitatem conventione civium ortam esse, sed etiam docent, populum summam potestatem principi conferre. Hoc idem etiam pluros scholastici cum Bellarmino († 1621), Suaresio († 1617), Lessio aliisque sentiebant, docentes, auctoritatem civilem eam quidem ex Deo esse, sed a Deo immediate populo conferri; populum autem, quum illam per se exercere non possit, eam totam principi conferre *debere* neque unquam semel collatam repetere posse. Differunt autem a Grotio eiusque discipulis eo, quod auctoritatem civilem non directe ex pacto, sed directe ex Deo derivant, ita ut pactum non sit eius causa et fons proximus, sed solum conditio sive occasio, qua posita ea acquiratur. Deinde differunt ab Hobbes et Rousseau eorumque sequacibus, quia non statum naturae insocialem, iuribus et officiis omnibus per se carentem supponunt, porro, quia ex societate non omne ius, omnem proprietatem, imo bonum et malum, moralitatem et religionem repetunt; denique quia non absolutismum cum Hobbes, neque principium revolutionis (Volkssouveränität) cum Rousseau statuunt[2]).

[1]) Cfr. Willmann, Gesch. d. Idealismus, 1907, II, p. 632 sq.

[2]) Unde Gothein (Handwörterbuch der Staatswissenschaften, VI², 1901, p. 397 sq.) sententiam Suaresii et scholasticorum in genere non satis recte exponere videtur: „Dass der Staat nur dem menschlichen Belieben seinen Ursprung dankt, dass ihm ein Vertrag zu Grunde liegt, wird als selbstverständlich, als seit Thomas v. Aquino (?) unbestrittene opinio communis hingestellt . . . Auch für die Monarchie gibt es keinen andern Entstehungs- und Rechtsgrund als den Staatsvertrag . . . Der Fürst aber, der das Naturrecht in wesentlichen Stücken hartnäckig verletzt, ist Tyrann und unterliegt der Absetzung, der offenkundige Tyrann ist vogelfrei. Damals war der Königsmord wie der politische Mord überhaupt ein vielfach verwandtes Mittel der Politik, dessen sich auch die Oberhäupter der Kirche (qui? ubi?) nicht enthalten . . . Am unverblümtesten hatte sich Mariana unter ausdrücklicher Lobpreisung (?) der Ermordung Heinrichs III. ausgesprochen. In diesem Punkte trafen die beiden Extreme, die jesuitischen (!) Juristen und die kalvinistischen Monarchomachen zusammen. Dem Papste steht die oberpriesterliche Gewalt zu, daher kann er auch, „soweit ein geistliches Gut in Frage kommt, die Königswürde verändern". Dolendum est, professorem publicum.

Quid in hac re sentiendum est? Prior sententia exaggerat originem divinam potestatis publicae eiusque acquisitionem per subiectum aliquod humanum, concursum ex parte hominum nimium negligens. a) Acquisitio enim auctoritatis publicae est acquisitio possessionis sive iuris alicuius. *Atqui* ad omnem talem acquisitionem duo concurrunt: lex aliqua, qua ius in genere fundatur, et factum aliquod, quo lex ad certam rem possidendam applicatur. Utrumque igitur debet concurrere, ut acquisitio legitima fiat: lex, ut forma; factum, ut materia eius (cfr. supra p. 208 sq.). Iam vero in acquisitione auctoritatis publicae *lex* est voluntas Dei, ut homines societatem civilem constituant seque potestati publicae subiciant; *factum* est multiplex, tum ex parte principis tum ex parte subditorum, ut supra vidimus: auctoritas paterna per generationem in primis parentibus; hereditas, nativitas in regno iam exsistente; bellum iustum et subiectio; pactum, electio, usurpatio cum consensu saltem subsequente populi vel praescriptione etc. *Ergo* ipsa *acquisitio* auctoritatis publicae est factum quidem humanum, quod tamen supponit ius naturae, ita ut auctoritas in se non sit iuris humani, sed divini.

b) Acquisitio potestatis publicae similiter se habet, sicut acquisitio proprietatis vel potestatis paternae vel herilis in familia. *Atqui* haec iura ita acquiruntur, ut natura ipsa vel potius divina voluntas ordinem proprietatis vel familiae constituat, attamen ab hominibus ipsis dependeat, utrum illum ordinem activitate sua realem efficere velint necne (emptione, hereditate, etc.; vel nubendo et generando, vel operam humanam locando et conducendo). *Ergo* etiam acquisitio iurisdictionis regiae in civitate, licet haec in se sit iuris divini, per operam tamen humanam habetur.

c) Profecto, si historiam regnorum consideramus, evidens fit, auctoritatem publicam per operam humanam acquisitam esse, imo saepe per vim et dolum, per iniustitiam et scelera, ita ut s. Augustinus non prorsus immerito dixerit: Quid sunt magna regna, nisi magna latrocinia?

Neque vero sententia opposita plene approbanda est: a) Non sententia Grotii eiusque discipulorum; nam ut ex pacto civium auctoritas publica in principes deferri possit, cives illam iam possidere deberent. Atqui eam nondum possident; nam in civitate demum *constituta* adest. Deinde tale pactum plerumque non adest: non expressum, ut historia docet; non tacitum; nam plerique in civitate iam constituta nascuntur, neque possunt se potestati publicae subtrahere, etsi vellent. b) A fortiori sententiae ab Hobbes et Rousseau propagatae reprobandae sunt, quia praeter argumenta sub a) allata,

virum iurisprudentiae, sententiam scholasticorum et ecclesiae, in libro alias perutili, partim ex ignorantia partim ex tendentia vel falso explicare vel in sensum alienum detorquere. Cfr. Stöckl, Lehrb. III, p. 426 sq.; Geschichte d. Philos., II, p. 106; Cathrein, l. c. II, 480 sq.

alia insuper adsunt sc. status naturae insocialis, quem supponunt; originem omnis iusti et iniusti, boni et mali in sola civitate; absolutismus ab Hobbes, revolutio perpetua a Rousseau proclamata. c) Neque tandem sententia Suaresii eique adhaerentium sufficiens videtur; nam et ipsa supponit, auctoritatem civilem, licet a Deo ortam, immediate tamen in populo residere et ab eo per pactum sive expressum, sive tacitum principi deferri; et hoc ius „innatum" populi vocant, sine quo auctoritas publica acquiri non possit. *Atqui* vidimus, auctoritatem in populo non formaliter residere, secus civitas iam esset constituta; neque igitur cives eam possunt pacto cuiquam tribuere. Neve dicas, populum ita habere illam potestatem, ut eam non possit retinere; nam eo ipso videtur concedi, Deum populo eam non conferre utpote ei inutilem, sed illi, qui eam legitime acquisivit. Deinde si esset ius innatum, nemo eo posset se abdicare; constat tamen, civitate constituta, non iam esse ius ullum potestatem publicam sive conferendi sive repetendi. Denique constat per historiam, pactum non esse unicum, imo ne ordinarium quidem modum principatum deferendi, sed multos alios adesse, praesertim bellum et hereditatem, in quibus nulla ratio pacti adest. Accedit, quod pactum, si solum ut conditio consideratur, non sufficit, sed est causa materialis in potestate acquirenda, ad quam ordinatio divina accedit tanquam forma, et sic tandem acquisitio legitima imperii habetur.

Concludendum igitur est, auctoritatem publicam esse quidem immediate a Deo, non derivari a populo tanquam eius fonte et subiecto proximo; eam autem acquiri per operam humanam idque diversis modis, quae opera humana in potestate suprema acquirenda concurrit non solum tanquam conditio vel solum ut personam designans i. e. subiectum potestatis regiae, sed tanquam titulus iuris, qui simul cum voluntate divina, principio legis et ordinis moralis, ius imperandi actuale constituit. Atque hic est sensus proprius illius dictionis: *„Per Dei gratiam rex vel imperator"* [1]).

III. *De amissione potestatis publicae.*

Rationes potestatis publicae amittendae sunt *primariae* et *secundariae*. Ratio primaria eaque prorsus naturalis est *mors* principis, quae ratio per se evidens est. Rationes autem *secundariae* diversae esse possunt: a) *Abdicatio*, si quis princeps dignitatem suam pondusque regiminis deponit, sicut imperator Carolus V 1556 in monasterium se recipiens aliique principes fecerunt; haec tamen exempla satis rara sunt. b) *Successio* moderatorum reipublicae per leges inducta, sicut consules romani, archontes graeci vel praesidentes rerum publicarum, quae hodie habentur. c) *Depositio* sive per principem potentiorem in bello iusto, sive per populum ex causa iusta.

Scholion I: *De seditione populi.* Quaestio hic oritur, num liceat populo principem legitimum imperio suo privare. Constat apud omnes, hoc non licere, si principes sunt legitimi et munere suo honeste et iuste funguntur. Soli anarchistae et socialistae principes omnes reiciunt, non intelligentes,

[1]) Cfr. Stöckl, Lehrb. d. Phil. II, 434.

ipsis etiam in societate sua futura, si possibilis esset, magistratu opus fore, qui vices principum eorumque munus gerant. Agitur hic de principibus legitimis iis quidem, sed qui abutuntur potestate sua sive ex vana gloria (bellis continuis) sive ex desidia (perdentes salutem publicam) sive ex libidine (mores et religionem *publice* pervertentes) sive ex cupiditate divitiarum (se suosque iniuste ditantes bonis subditorum). Exempla ex historia praesto sunt: Sic Romani anno 540 reges expellebant propter crimina (Tarquinium Superbum); Graeci propter amorem libertatis; sic magnates imperii Romani imperatorem Carolum crassum anno 887 patriam perdentem dignitate privabant; sic Galli Henricum III 1589 et 1793 regem Ludovicum XVI regno et vita spoliabant. Sic Suedi calvinistae reges Ericum XIV, Carolum XII et Gustavum III vita, Sigismundum, Gustavum IV saltem regno depellebant; sic Britanni (Cromwell) anno 1649 Carolum I regno et vita, anno 1688 Jacobum II regno privabant. Licet principes illi non omnes tyrannice regnavissent, populus tamen vel optimates ius sibi arrogabant, eos expellendi ex potestate summa. Quo iure? Qui affirmant, populum esse fontem potestatis publicae hancque principi tradere pacto, consequenter etiam docent, populum eum hac auctoritate iterum spoliare posse; ita expresse Rousseau statuit necnon constitutio gallica conventus 1793 art. 35, si moderator reipublicae iura populi violaverit. Praesertim vero Hussitae et Wicleffitae docebant, principem quovis peccato mortali, inprimis religionem falsam profitentem eo ipso auctoritate suprema in subditos christianos privari ac proinde expelli, imo occidi posse, quam sententiam ecclesia in Concilio Constantiensi expresse damnavit anno 1415. Protestantes autem et inprimis Calvinistae (in Gallia, Hollandia, Helvetia, Ungaria) aperte seditiones contra principes catholicos, minime tyrannos, excitabant eosque, si poterant, expellebant. — Alii ex opposito docent, nunquam licere populo seditione facta principem, ne tyrannum quidem, munere suo privare aliique potestatem conferre, quia populus omni potestate in regem careat; ita praesertim Hobbes, Hegel etc. Etiam nostro tempore fuerunt, qui tale ius populi omnino reicerent; sic F. Walter, Stöckl aliique[1]), docentes, potius iniurias esse patiendas et a Deo auxilium sperandum.

Sed in hac quaestione sedulo distinguendum esse videtur. *Per se* quidem princeps a nemine iudicari potest, siquidem est summus iudex, neque ullum in civitate iudicium fit, nisi eius iussu et auctoritate. Attamen per *accidens* nonnunquam etiam princeps in iudicium vocari potest: a) Si talis est constitutio ab ipso principe initio ratis habita et iuramento sancita, ut subditis ius tribuat deponendi principem, si quaedam delicta contra civitatem vel cives commiserit. Hoc testatur historia de aliquibus principibus (e. g. Carolo calvo 856; Johanne anglo 1215, Andrea ungarico 1222), neque quemquam latet, medio aevo fuisse legem etiam civilem, regem ab ecclesia excommunicatum eo ipso potestate sua privatum fore, nisi infra tempus certum absolutus fuisset (e. g. Henricus IV, Ludovicus Bavarus). b) Si princeps fuerit tyrannus, eius autem tyrannis non prorsus intolerabilis est, non videtur licere seditio, quia haec semper est malum gravissimum, forte gravius quam tyrannis ipsa. Quodsi tyrannis est intolerabilis, ita ut civitati perditionem

[1]) Stöckl, Lehrb. d. Phil. III, 439; cfr. Cathrein l. c. II, p. 674.

et ruinam minitaret, non videtur illicita, modo alia media frustra sint et moderatio et consilium prudens adhibeatur certaque spes salutis adsit. Et in his conditionibus plerique videntur consentire huic sententiae, sic s. Thomas[1]) et post ipsum plerique scholastici[2]), licet alii dissentiant, potissimum innixi propositione 63 syllabi damnata: „Legitimis principibus obedientiam detrectare imo et rebellare licet". Hoc idem sentiebant plerique theologi et iurisprudentes protestantes, ut ipse Luther, Melanchthon, Bucer, Zwingli, Calvin, Hugo Grotius, Gronovius, Thomasius etc.[3]), necnon hodie multi et philosophi et iurisprudentes e. g. Dahlmann, Ahrens, Bluntschli, v. Mohl, Th. Ziegler, Paulsen, Loening; imo et Stahl, licet omnem vim activam contra tyrannum vetare videatur, attamen conscientiae singulorum et iudicio Dei hanc rem permittit[4]).

II. *De occisione tyrannorum:* Duplex tyrannus distinguendus est: *tyrannus usurpationis* et *tyrannus regiminis*. Ille est, qui vi vel dolo principem legitimum potestate sua actualiter privat vel privare conatur. Patet, talem tyrannum cives non solum posse, sed debere occidere, nisi alio modo eum cohibere possint. Debent enim fidelitatem principi suo et innumera forte mala a patria depellunt occisione usurpatoris. Non tamen quilibet civis auctoritate *privata* et *modo quocunque* usurpatorem occidere posse videtur, sed auctoritate publica vel expresse vel tacite accepta (Judith occidens Holofernem). Quodsi usurpator rerum iam potitus est, cives eius decretis in bonum publicum obedire tenentur; hic est enim finis supremus civitatis, possunt tamen principem legitimum adiuvare ad regnum recuperandum, dummodo spes adsit. Quodsi res sint pacatae neque spes certa principis expulsi affulgeat, et ipsi cives et princeps expulsus tenentur pacem conservare, neve maiora mala inde oriantur, quam bona; nam salus reipublicae (non principis sive eius familiae) summa lex est civitatis. Multi censent, ex eadem ratione imperium usurpatoris per praescriptionem tandem firmari[5]), etiamsi deficiat bona fides, ne pax continue forte per saecula turbetur. Licet de hoc principio vix possit esse dubium — secus vix ulla dynastia secura esset — attamen practice de modo et tempore huius praescriptionis controversia esse potest.

Usurpatorem autem regiminis i. e. principem legitimum auctoritate sua graviter abutentem occidere non licet: *Non populo qua tali*, quia sufficit principis depositio, necdum adest auctoritas legitima ad principem condemnan-

[1]) S. Theol. II, II qu. 42 a. 2 ad 3.

[2]) Cfr. Cathrein l. c., p. 670 sq.

[3]) Cfr. Hergenröther, Kathol. Kirche und christl. Staat 1873, p. 393 sq. Duhr, Jesuiten-Fabeln 1891^{2}, p. 360 sq. Siebertz, Gesch.-Führer 1900^{2}, p. 560 sq.

[4]) Cfr. Handwörterb. d. Staatswissensch. 1901^{2} VI, 927 sq. — Sic Paulsen: „Revolution ist also unter *allen Umständen Unrecht*. Damit ist aber nicht zugleich gesagt, dass Revolution nicht unter Umständen historisch notwendig und moralisch gerechtfertigt sein könnte. Wenn Rechtsbruch der einzig mögliche Weg zur Erhaltung eines Volkes ist, so gilt das Prinzip: Das Recht ist um des Volkes, nicht das Volk um des Rechtes willen." (System d. Ethik, II, 554). Quibus verbis initio et in fine auctor sibi ipse contradicere videtur.

[5]) Sic Cathrein l. c., p. 667 saltem pro heredibus usurpatoris; contra Stöckl, Lehrb. d. Philos. III, p. 448 sq.

dum; *non civi cuilibet* sive ex auctoritate publica, quia haec non adest, ut modo vidimus, sive ex auctoritate privata, quod adhuc magis evidens est, quia nunquam ex auctoritate privata quemquam interficere licet, nisi sit aggressor actualis (cfr. supra p. 281). Iam vero si quem tyrannus ipse actualiter iniuste aggreditur, ita ut alio modo vitam et honorem graviter periclitatum suum vel suorum salvare nequeat, licet tyrannum etiam occidere. Atque haec est sententia communis scholasticorum post s. Thomam [1], et Suarez [2].

Fuerunt aliqui, qui docerent, licere populo, imo et cuilibet civi, tyrannum occidere; hoc Johannes de Salisbury († 1180) [3] et post eum Johannes parvus (Jean Petit) ex ordine s. Francisci (circa 1407) docere videntur, quae sententia a Concilio Constantiensi 1415 damnata fuit. Eam tamen Parlamentum et Universitas Parisiensis consentiente magistratu Burdigalensi et Tolosano iterum proponebant, ut depositionem Henrici III regis eiusque occisionem per Clément, fratrem Jacobinum, anno 1589 legitimarent. Praesertim vero *Marianae* († 1624) ex societate Jesu vitio datum est, quod in libro suo 1599 edito „de rege et regis institutione", regi Philippo III dedicato, docuerit, licere cuilibet subdito tyrannum occidere aperta vi (non veneno vel clam), si omnia alia media ad eius violentiam reprimendam deficiunt; exemplum adducit occisionis regis Henrici Galli. Attamen vetat, quemquam „privata auctoritate" hoc facere, sed si „publica vox populi adsit et viri eruditi et graves in consilium adhibeantur" [4]. Neque „facinus" Clementis regem Henricum interficientis simpliciter laudat, sicut multi post Gothein [5]) affirmant, sed alios illud laudare („aeternum Galliae decus, ut plerisque visum est" [6]), alios vituperare dicit. Aquaviva, tunc generalis Societatis Jesu, librum reprobavit illico eiusque emendationem praecepit, si denuo ederetur. Imo annis 1610 et 1614, — parlamentum Parisiense, quod ante 20 annos regem Henricum et auctoritate privaverat et capitis damnaverat, rege Henrico IV anno 1610 a Ravaillac interfecto, librum Marianae comburendum iussit — omnibus scriptoribus Societatis suae imposuit, ne quis unquam doceret, privata auctoritate sub ullo praetextu regem interfici posse, neque ullus scriptor Jesuitarum huius delicti accusari potest, praeter Marianum. — Ceterum ipse Marianus sententiam suam non tanquam ordinis sui proponit, sed expresse ut suam privatam, quam nemini imponere velit. Neque fugit legentem eius librum, auctorem optima intentione magnaque cum animi libertate et sinceritate suam opinionem proferre ad regem iuvenem in iustitia et humanitate erga subditos instituendum, quod et ipsi adversarii fatentur, laudantes virum de historia patriae suae optime meritum [7]. Quid quod sententiâ

---

[1]) Cfr. S. Theol. II II, qu. 96, a. 4. Duhr, l. c., p. 365 sq.; cfr. Cathrein l. c.

[2]) Defens. fidei, l. c. n., 6, 4, 2 sq.

[3]) Polycraticus III, 14. [4]) De rege I, 6. [5]) Cfr. supra p. 451.

[6]) Editio „Moguntina" 1605 et 1611 a *calvinistis* editoribus (Aubri-Wechel) Francofurti publicata haec omisit. Cur? Nonne odii et calumniandi causa?

[7]) Historiae de rebus Hispaniae libri 30, opus classicum saepius editum, quo auctor nomen „Livii Hispanici" meruit. Cfr. Kirchenlexikon, Art. Mariana; Pilatus, Der Jesuitismus 1905, p. 195 sq.

in Mariana Jesuita tam acriter reprehensâ auctores protestantes multo severiorem publice docuerunt? Ita Lutherus [1]), Melanchthon, Zwingli, Calvin, Butzer, calvinistae Jean Bodin, C. Dumoulin, Pareus, Milton, Knox, Buchanan, porro H. Grotius, Leibnitz, de Wette aliique [2]). Neque profecto ex doctrina Marianae tot illa attentata in principes, praesertim in regnis et rebus publicis non catholicis, hisce ultimis saeculis orta sunt [3]).

Sect. III. De iuribus et officiis civitatis.

1. *Principia:* Quum finis civitatis sit eius ratio formalis i. e. ratio cur exsistat et fons potestatis publicae (cfr. supra p. 426 sq.), etiam iura et officia civitatis ex eo fonte fluunt; finis igitur civitatis est eorum non solum *fons*, sed etiam *mensura* et *terminus*. Potestas igitur publica, quae est organum potissimum civitatis, id fere quod cerebrum est in homine, omnia statuere potest vel etiam debet, quae bonum publicum requirit. Deficit igitur moderator civitatis idque per *defectum*, si sive ex negligentia, sive ex timiditate, sive ex partium studio, sive ex utilitate privata saluti publicae non satis prospicit; deficit *per excessum*, si salutem publicam exaggerat, nimis restringendo libertatem vel proprietatem subditorum, solum spectans potentiam vel honorem civitatis qua talis (Machiavelli, Despotismus).

2. *Divisio:* Quum bonum civitatis distinguatur *primarium* sc. tutela iurium subditorum praesertim libertatis et proprietatis, et *secundarium*, quod est promotio „culturae", inde etiam plures species iurium et officiorum sive plures potestates civiles nascuntur: Potestas *legislativa, iudicativa, administrativa*, de quibus singulis quaedam dicenda sunt.

I. *De potestate legislativa.*

1. *Necessitas:* Civitati inest ius et officium leges statuendi easque applicandi, ut *iustitia commutativa* inter subditos conservetur, vel ut laesa restituatur; inde codex civilis et poenalis necnon potestas legislativa et coercitiva (iudiciaria) singularum civitatum oritur. Duplex igitur error vitandus est: Primus error eorum, qui cum Machiavelli, Hobbes et aliquibus recentioribus potestatem publicam

---

[1]) „Wenn die Bürger und Untertanen seine (des Tyrannen) Gewalt und Tyrannei länger nicht dulden noch leiden könnten, so möchten sie ihn umbringen, wie einen andern Mörder und Strassenräuber." Cfr. Duhr l. c., p. 370; Cathrein l. c., p. 672 sq.

[2]) Duhr, p. 370 sq.

[3]) Ibid. p. 396 sq. De occisione tyranni quid auctores recentiores senserint, vide apud Koch, Moraltheologie, p. 489; Lossen, Die Lehre vom Tyrannenmord in der christl. Zeit 1894; Böhme, Der Tyrannenmord nach der Lehre der kath. Kirche 1905; Hainer, Die Jesuiten u. ihre Gegner 1906; Duhr, Jesuitenfabeln 1904⁴. Michael, Die Jesuiten und der Tyrannenmord (Innsb. Zeitschrift f. Kath. Theol.) 1892, 556 ff.

exaggerant, quasi principibus omnia in cives licerent et quidquid statuerint, etiam in re religiosa et morali, bonum esse et iustum, ita ut subditis nunquam resistentia, ne passiva quidem, concedenda sit. Decalogo enim, ut quidam dicebant, neque politicam ad extra et intra fieri, neque vias ferreas construi posse. — Alter error eorum est, qui cum Rousseau et Socialistis leges publicas nimis deprimunt, quasi nullam vim habeant, nisi populo consentiente, et ab ipso semper abrogari posse.

2. *Qualitates legis:* Ut leges statui et obligare possint, debent esse *honestae, iustae, possibiles* (physice et moraliter), ut supra p. 125 sq. ostendimus; quodsi his qualitatibus praeditae sunt, subditos obligant in conscientia, quia vim et auctoritatem suam ex iure naturali habent, ut supra p. 114 probavimus. a) *Inhonestae* sunt, si iuri divino et naturali repugnant, et tunc non solum licet eis resistere, sed ad hoc tenemur. Duplex autem resistentia distinguenda est *interna* et *externa*. Interna consistit in voluntatis dissensu, qui si externe manifestatur signis quibusdam sive actibus, eo ipso fit resistentia externa. Patet, resistentiam contra leges inhonestas in primis esse internam. Numquid etiam externa? Haec iterum duplex esse potest: *activa* et *passiva*. Activa est, si quis legi actibus externis positive repugnat, et haec resistentia iterum esse potest *legalis*, quae per leges ipsas licet e. g. oratione, scripto, suffragiis; sic catholici olim resistebant legibus contra religionem decretis; alia est *armata*, quando vis publica legem exsequens vi privata (armis, seditione) repellitur, sicut recenter saepius in Russia factum est. Haec autem resistentia activa armata contra auctoritatem legitimam non licet, quia pax publica turbatur, quae est bonum maius, quam privatum nostrum, neque resistentia activa vix unquam effectum habet secundum. — *Passiva* resistentia in eo est, ut quis potius mala: privationem libertatis, honoris, bonorum, imo vitae ipsius patiatur quam legem divinam vel naturalem violare; sic martyres et confessores christiani omni tempore legibus iniquis resistebant (cfr. supra p. 127).

b) *Iniustae* sunt leges, quae iura subditorum laedunt, quin ratio boni communis necessaria adsit. Hoc autem directe et indirecte fieri potest; directe fit, si leges bona subditorum: libertatem, integritatem, proprietatem, vel etiam iura politica legitime possessa violant, e. g. si bona ecclesiastica sequestrantur, ut toties factum est, proprietas Hibernis olim vi erepta. Indirecte fit, si leges subditis non eodem modo imponuntur, si quaedam classes civium aliis sine ratione legitima praeferuntur (aristocratia, plutocratia), si igitur munera vel onera non pro merito de civitate, sed ex studio partium distribuuntur; si tribunalia non aequo modo iudicia ferunt, sed per studium partium

vel per influxum potestatis sive etiam opinionis publicae sunt corrupta. Primo modo leges iniustae peccant *contra iustitiam commutativam*; altero modo contra *iustitiam distributivam* sive remunerativam sive vindicativam, in quibus *iura privata* civium potissimum fundantur. — Numquid his legibus resistere licet, et quomodo? Quum nemo teneatur, uti iure suo, patet unumquemque his legibus obedire posse, licet sint iniustae; non tamen licet, eis active vi adhibita resistere, quum hoc ne contra inhonestas quidem leges, intrinsecus malas, permittatur. Potest tamen eis active modo legali et passive resisti, modo ne graviora inde mala oriantur sive pro civitate, sive pro se et suis; sic certe stulte ageret, qui potius magnum damnum, imo carceres incurreret, quam tributa forte nimis gravia solveret.

c) *Impossibiles* sunt leges, quae aliquid imponunt, quod subditi vel physice vel saltem moraliter i. e. propter nimiam difficultatem praestare non possunt, et sic leges peccant contra *iustitiam legalem*, quae relationes civium ad ipsam civitatem ordinant, in qua relatione potissimum *iura publica* civium fundantur. Sic physice impossibilis esset lex tributorum, si cives privaret necessariis ad vitam honeste sustentandam; sic moraliter et forte etiam physice impossibile forent leges in statu perfecte socialistico, in quo quilibet quaevis negotia alternatim exercere, quamlibet uxorem pro tempore ducere et liberis ex matrimonio generatis in bonum publicum renuntiare deberet. Impossibilis esset lex, quam Plato pro statu „ideali“ proponit et quam repetunt aliqui Darwinistae recentes, innixi „dogmate suo“ de electione sexuali ad genus humanum perficiendum, lex inquam, qua civitas ipsa deberet eligere viros et uxores aptissimas et ad matrimonium cogere, siquidem consensus internus, in quo est essentia matrimonii, praecipi nequit. Neque possibilis est lex, quam Aristoteles proponit, ut virgo nubens 18 fere annos habeat, iuvenis autem uxorem ducens 37 annos, neve ultra 55 annos liberos procreet [1]. Sic etiam impossibilis esset lex civitatis, quae actus pure internos praescriberet, quia tales actus extorquere non potest e. g. actum fidei, actum amoris patriae. Profecto, lex praecipiens *ex amore* tributa solvere esset ridicula neque unquam exaudita. Quamvis enim coercibilitas actualis non constituat essentiam legis, est tamen eius proprietas necessaria, ita ut lex civilis, quae non *ex natura sua*, ac proinde nunquam cogi possit, necessario careat sanctione sua ac proinde effectu suo certo.

Coroll. Est sententia communis, societatem civilem non posse nisi actiones externas praecipere, quae solae ab ea observari et cogi possunt (cfr. supra p. 363). Lex igitur civilis per se non respicit intentionem internam neque motivum actionis civium, sed eius effectum actualem. Unde etiamsi quis

[1] Polit. VII, 16.

cum interna resistentia tributa solvit vel sententiam tribunalis exsequitur, non peccat contra legem civilem, dummodo faciat, quod praeceperit. Peccaret autem quis contra legem naturalem e. g. castitatis, si solum externe ab opere, non autem interne abstineret ab affectu carnali. Et hoc est fundamentum praecipuum eorum, qui statuunt leges mere *poenales*, eas saltem, quae non necessariam cum fine civitatis habent relationem ac proinde ad ipsas leges naturales non pertinent; sic a multis leges magistratus de ordine publico, de tributis et vectigalibus, de venatione etc. (Polizei-, Steuer-, Zoll-, Jagdgesetze) mere poenales habentur. Dicunt enim: α) Leges civiles non maiorem obligationem imponere posse, quam quae sufficiat ad earum effectum et finem obtinendum. *Atqui* sufficit obligatio ad actum vel ad poenam pro omissione actus. *Ergo* sufficit haec obligatio neque requiritur obligatio in conscientia. β) Imo lex civilis non potest obligare ad illud, quod nunquam extorquere potest. Atqui lex civilis ex se nunquam actum internum conscientiae extorquere potest. *Ergo* neque per se obligare potest in conscientia. γ) Accedit, quod vix unquam legislator civilis intentionem habeat, sub peccato obligandi, sed sub poena. Atqui ab eius intentione natura et vis obligationis dependet, quotiescunque lex non iam ex natura et fine suo est necessaria ac proinde pars ipsius legis moralis, sicut praecepta decalogi, quae tum ad leges civiles tum ad leges naturales pertinent, excepto tertio de Sabbato sanctificando. *Ergo* lex civilis ex se sola non videtur in conscientia obligare.

At nonne inde deducendum esset, tunc nullam legem civilem in conscientia obligare, ac proinde nullam esse iustitiam legalem? Nequaquam; nam licet leges civiles non vi sua obligent in conscientia, obligant vel saltem obligare possunt vi legis naturalis [1]), in qua fundari debent; secus enim nullam vim haberent (vide supra p. 114). Deinde distinguendae sunt leges civiles *fundamentales* et *organicae*, quae cum fine civitatis habent relationem plus minus necessariam ac proinde sicut civitas ipsa ex iure naturae fluunt; et leges ex illis *deductae* et ad diversa obiecta *applicatae*. Patet autem, has leges *deductas* earumque applicationes saepe plus vel minus arbitrarias esse, unde externa observatio videtur sufficere. Denique licet leges multae civiles *per se* non in conscientia obligarent, possent tamen obligare et plerumque revera obligant *per accidens* in conscientia, quia transgressor non solum poenam incurreret, sed forte etiam scandalum aliis exhiberet [2]), vel se suosque in periculum adduceret, vel iura aliena violaret e. g. venando, piscando, ubi alius ius acquisiceret, vel iura aliena violaret e. g. venando, piscando, ubi alius ius acquisivit; sic defraudando vectigalia vel tributa alii plus debito solvere deberent ad necessitates publicas explendas; peccaret igitur contra caritatem vel etiam contra iustitiam commutativam [3]). Licet igitur de motivo legis civilis

---

[1]) Cfr. S. Theol. I. II, qu. 96 a. 4.

[2]) Cfr. exemplum Christi ad scandalum vitandum tributa solventis (Matth. 17, 26).

[3]) Cfr. supra p. 116 sq. Plura de hac quaestione valde controversa vide van Gestel, De iustitia et lege civili [2] p. 186, 190 sq. Lehmkuhl, Das bürgerl. Gesetzbuch etc., p. 33 sq. Haine, Theol. moral. 1906, I, 126, 151, 158: contra quem Koch, Liter. Rundschau, 1907, p. 570; Lehrb. d. Moraltheologie 1907 [2], p. 761 sq.

implendae nonnunquam possit esse disputatio *theoretica*, de lege tamen ipsa *practice* implenda vix est controversia, siquidem vel ex conscientiae obligatione, vel saltem propter externam coactionem semper observanda est, quotiescunque non *evidenter* constat, eam repugnare legi divinae vel naturali. At nonne apostolus (Rom. 13, 5–6) dicit: „Subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo enim et tributa praestatis?“ (Cfr. 1 Petr. 2, 13). — Sed distinguenda est obligatio *positiva*, quae christianis ad perfectionem evangelii vocatis incumbit, et *naturalis*, quae ex iure naturae oritur, de qua sola hic agitur. Deinde certum est etiam ex iure naturali, nos potestati publicae in genere in conscientia subditos esse, sed non certo constat, quousque ex solo iure naturae haec obligatio se extendat; unde facile de hoc obiecto disputatio esse potest, e. g. num etiam quis ex mandato magistratus in conscientia sit obligatus ad plateam mundandam, ad canem alligandum, ad laternam nocte vel nomen currui affigendum, ita ut peccet, mandatis his neglectis. Unde relatio rei praeceptae ad finem civitatis plus vel minus *necessaria* semper est respicienda ut norma praecepti.

II. *De potestate iudicativa.*

Non sufficit, ut leges statuantur, sed oportet sit etiam potestas leges exsequens et ad singulos casus applicans; atque haec vocatur *iudicativa*. Supremus iudex est ipse moderator civitatis, sed eius nomine potestas exercetur per iudices ad hoc constitutos, quorum est *debitam scientiam* iurium acquirere et sine *ullo partium studio* leges applicare. Hoc autem duplici modo fit: a) Componendis de iuribus proprietatis litibus, quae in multitudine hominum propter liberam voluntatem et cupiditates nobis inditas nimis saepe oriuntur, vocatur *iustitia civilis*, quae innititur potissimum codice legis civilis; b) legis transgressionibus, necnon delictis et criminibus puniendis, et vocatur *iustitia criminalis*, quae fundatur in legibus codicis poenalis. Tribunalia igitur constituuntur pro necessitate, et constant vel ex solis iurisprudentibus vel etiam partim ex civibus ad hoc deputatis, (Geschworenen-Schöffengerichte), ut iurisdictio pleniorem fidem apud populum habeat, licet de hac specie tribunalium saepius controversia fiat. Numquid sententiis tribunalis obediendum est, sive litem dirimat sive poenam pro delicto statuat? Profecto, non licet activa vi eis resistere, licet tamen a sententia unius tribunalis ad superius appellare, si quis censet, se immerito esse condemnatum. Quodsi supremum tribunal rem definierit, acquiescendum est; ad summum resistentia passiva licet i. e. damnum ex sententia ortum vel poena sustinenda sunt. Num etiam in conscientia et ex corde sententiae tribunalis consentiendum est? Certe, nimium esset, hoc ab hominibus postulare, unde sufficit obedientia externa, quia per hanc fini legis satis fit, qui est pax litigantium vel restitutio ordinis publici Potest etiam obligatio in conscientia adesse, attamen, ut supra ex-

posuimus (p. 459), non praecise ex sententia iudicis, sed potius per accidens, ne pax publica perturbetur neve maius damnum et sibi et suis fiat.

Scholion: De poenis. Poena vocatur malum, quod propter delictum infligitur. Malum potest esse *physicum:* privatio libertatis, nutrimenti et vestimenti soliti, bonorum, verbera, mors; et *morale:* privatio honoris, muneris etc. — Quaeritur, quae sit ratio finisque poenae.

1. Multi finem poenae negantes, *theoriam absolutam* statuunt: Alii cum Kant docent, delictum ex *natura* sua esse puniendum, esse imperativum categoricum; alii cum Hegel, poenam esse „negationem negationis" (criminis); alii cum Beccaria et Fichte eam sequi ex pacto primitivo societatis autumant. — Sed haec theoria est reicienda, quia iam ex falsis suppositis systematis Kantii, Fichtei, Heglii etc. sequitur; deinde poena evidenter propter *finem aliquem socialem* adhibetur, ut infra dicemus.

2. Plerique *finem* poenae statuunt: a) Alii ut crimina *praecaveantur;* hoc sentiunt praesertim Lombroso et Liszt eorumque asseclae. Negant enim libertatem ac proinde etiam responsabilitatem malefactorum, sed eorum crimina Lombroso explicat ex quadam degeneratione cerebri (anomalia, atavismus) sive ipsius *individui* delinquentis sive eius parentum. Liszt ea explicat potius ex influxu societatis (milieu social), quo delinquens ex dispositione sua individuali psychopathica ad crimen excitatur. Quare malefactores potius ut insani curandi, non puniendi sunt, ne iam pro futuro delinquant[1]). — Patet, hanc sententiam omnino esse reprobandam, quia negat hominis libertatem eiusque responsabilitatem; hominem cum bestia comparat, quae instinctui suo necessitate interna obedit; tribunalia igitur et carceres essent abolendi et domus insanorum eorum loco erigendae. Unde comitia criminalia anthropologica Parisiis 1889, Bruxellae 1892, Romae 1894 habita sententiam Lombrosi reiciebant ut factis physiologicis ipsis repugnantem, et plerique iurisprudentes etiam opinionem a Liszt propositam ut scientiae iuridicae omnino inimicam oppugnant, ducibus scholae „classicae": Binding, Birkmeyer, Wach, Lammasch etc.[2]).

b) Alii finem poenae reponunt in delinquente *convertendo;* hic finis potest quidem tanquam partialis admitti, non tamen tanquam universalis; alioquin malefactor induratus non iam esset puniendus, neque quisquam poena mortis afficiendus esset.

c) Alii finem poena in *societate tuenda* contra aggressionem delinquentis collocant; sed immerito; nam malefactor non in ipsa aggressione actuali, sed *post eam* punitur; et etiamsi nulla iam aggressio ab eo esset timenda, poena tamen afficitur.

d) Alii finem poenae in delinquente et aliis a crimine *deterrendis* inesse censent; sed licet hic sit vel possit esse aliquis finis poenae, non tamen est unicus neque praecipuus; nam punitur nocens, etiamsi hic finis non adsit neque intendatur; neque tunc remissio peccati esse posset per condonationem principis.

[1]) Liszt: „Sein Verbrechen ist die notwendige, unvermeidliche Wirkung der gegebenen Bedingungen und so entfällt . . . der Schuldbegriff und mit ihm der Begriff der Vergeltung" (apud Cathrein l. c., p. 643 sq. Cfr. vol. II, 372, nota 1). [2]) Cfr. Cathrein l. c. p. 645 sq.

e) Alii in *satisfactione* pro crimine et *restitutione* ordinis moralis laesi finem collocant. Certe omnis poena hunc quoque finem spectat, sed neque est unicus, quia multi alii concurrunt; neque est praecipuus, quia satisfactio et restitutio ordinis etiam alio modo sc. per liberam delinquentis conversionem haberi posset. Accedit, quod haec satisfactio et restitutio per poenam civilem effecta non sit nisi externa, quia potestas civilis actus internos per se attingere nequit; hoc solus Deus potest.

f) Theoria igitur *necessitatis socialis* statuenda est, quae docet, ex fine societatis civilis, sicut totam eius potestatem, ita etiam potestatem coercitivam per poenas esse repetendam. Poena igitur necessaria est ad ordinem et pacem socialem conservandam, ut homines ad leges observandas impellantur et a criminibus deterreantur. Haec igitur theoria omnes priores quodammodo in se continet. Quum autem status socialis civitatum valde differat, necnon mores et dispositio animi subditorum, patet, poenas etiam pro iisdem criminibus non semper et ubique easdem esse posse, ut effectum suum producant. Sic apud veteres *ius talionis* saepe vigebat e. g. in codice Hammurabi (§§ 116, 127, 136, 196, 197, 200, 210, 219, 229, 230, 235, 245, 263) necnon in veteri Testamento (II. Mos. 21, 23 sq.; III Mos. 24, 19 sq.; V Mos. 19, 21); Hammurabi pro 34 criminibus poenam mortis constituit, saepeque sub forma crudeli[1]) (qualifizierte Todesstrafe) idque etiam pro furto gravi; codex autem noster poenalis. saltem pro civibus, nonnisi 4 crimina, pro militibus 18 delicta morte punit; in multis autem civitatibus poena mortis prorsus abolita est, utique ex falsa quadam „humanitate". Idem dicendum est de verberatione, quae olim tum publice tum secreto adhibebatur ad quaedam scelera, praesertim inhonesta, castiganda, quae poena nescio an hodie non utilissima esset ad mores collapsos corrigendos. — Ex frequentia delictorum certae speciei moralitas publica apparet, quae tamen etiam ex rationibus oeconomicis magna ex parte explicanda est. Sic paupertas populationis vel calamitas messis sive industriae plerumque etiam causa est furti frequentioris, luxuria causa est criminum contra bonos mores, irreligio causa delictorum contra personas tum privatas tum publicas. Sic statistica[2]) docet, in *imperio Germanico* (1900 = 56 367 178 incolae) punitos esse:

	Summa	adolescentes 12—18 annos	viri	mulieres
anno 1882	329 968 = 1040 ‰[3])	30 719 = 568 ‰	267 353 = 1667 ‰	62 615 = 379 ‰
„ 1892	422 327 = 1202 ‰	46 496 = 729 ‰	347 050 = 1955 ‰	75 276 = 411 ‰
„ 1901	497 310 = 1256 ‰	49 675 = 740 ‰	419 592 = 2138 ‰	77 718 = 378 ‰

Crimina commissa a 100 000 personis supra 12 annos:

I. Contra religionem et civitatem:

	Summa	Contra relig.	Periur.	Seditio	Contra magistr.	Maiest. laesa
anno 1882/1891	180	0,86	4,7	129	42	1,4
„ 1892/1901	213	0,96	4,0	156	49	1,3

[1]) Cfr. Jeremias, Moses und Hammurabi 1903, p. 25; Grimme, Das Gesetz Hammurabis und Moses, 1903, p. 17 sq.

[2]) Cfr. Herder, Konversationslexikon: Art. Kriminalstatistik.

[3]) Id est ex 100 000 habitantibus supra 12 annos 1040 puniti.

II. Contra personas privatas:

	Summa	Contra castitat.	Iniuriae	Vulneratio	Neces	Duella
anno 1882/1891	403	22	130	227	4,0	0,33
„ 1892/1901	522	29	144	313	4,1	0,28

III. Contra proprietatem:

	Summa	Furta	Fraudes	Falsificationes	Banca rotta	Damna rerum	Damna person.
anno 1882/1891	499	332	51	10,0	2,3	39	30
„ 1892/1901	512	315	68	14,0	2,6	47	28

Anno 1904: 516976 = 1242 % condemnati, 179 propter ordinem publicum, 426 propter personas, 392 propter proprietatem, 30 propter magistratus laesos. — Ex condemnatis 842 % viri, 158 % mulieres; plerique condemnati erant 18—40 annos nati[1]).

In *Austria*, quae 1900 habebat 26150708 (Ungaria 19254559) cives, condemnati sunt[2]).

	Summa	propter crimina
annis 1881/1885	527933	31468
„ 1886/1890	580067	28833
„ 1891/1895	568904	29328
„ 1896/1900	591671	32042
„ 1901	652404	36305

Anno 1901 ex 100000 civibus propter crimina puniti sunt:

aetas	summa	aetas	summa
14-16	113	30—40	226
16—20	296	40—50	153
20—25	387	50—60	90
25—30	320	60 ultra	40
			1625 %

Mulieres igitur 5—9ies pauciores quam viri condemnati.

In *Gallia*, quae 1901 habebat 38961945 cives, iuxta statisticam a *Joly* (Revue des deux Mondes) publicatam[3]), condemnati erant anno 1900 = 517000; 1905 = 546000 (criminum 107000 solo anno 1905 non fuerunt auctores detecti). Crimina in proprietatem commissa a 787 (pro *10000* habitantibus) ad 1020, contra personas a 1037 ad 1216 ascendebant his quatuor annis. Anno 1906 fere 36000 infra 16 annos condemnati sunt.

II. *De poena mortis:* Tum apud veteres tum apud plerasque nationes recentes poena mortis pro quibusdam criminibus maximis, praesertim pro caede perpetrata in usu erat. Quaeritur, num haec poena ex iure naturae *liceat*, et num *efficax* sit. Ac quoad primam quaestionem iam est argumentum gravissimum, illam poenam antiquitus apud omnes gentes adhibitam esse; sic, ut supra iam innuimus, Babylonii saepius sceleratos morte puniebant, praesertim sicarios et praedones necnon adulteros; similiter Israelitae ex lege Mosaica. Etiam gentes christianae omnes certa facinora immania mortis poena afficiebant; sic apud nos caedes praemeditata hominis et etiam attentata in principe morte punitur. Ratio huius poenae gravissimae est *necessitas socialis*, siquidem vita civium est bonum temporale summum; quisquis igitur hanc vitam aliis eripit, ipse meretur mortem, primum ex lege aequalitatis et ordinis restituendi, secundo ut ipse physice, alii autem moraliter i. e. timore incusso impediantur, quominus tale crimen perpetrent et

[1]) Cfr. Elster, Wörterb. etc., II² (1907) p. 327.
[2]) Cfr. Herder l. c. [3]) Cfr. Trier. Ldsztg. 1908, N. 20.

ordinem publicum gravissime turbent. — Ex iisdem rationibus etiam apparet, poenam mortis efficacem esse. Quum enim vita omnium bonorum sit maximum, mortis timor medium est efficacissimum, quod etiam procacissimos homines a crimine retineat. — Neve dicas, multos homines mortem ipsam e. g. suicidio vel in bello libenter subire; aliud enim est, se ipsum malis gravibus liberare vel mortem gloriosam subire, quam sub manibus carnificis cum infamia in conspectu hominum exspirare. Unde auctores scholastici unanimiter mortis poenam pro gravissimis delictis approbant, duce s. Thoma, adducente exemplum medici, qui membrum corporis insanabile totique corpori periculosum abscindit, ut totum hominem salvet[1]).

Primum *Beccaria* italus († 1794), amicus Encyclopaedistarum Galliae, deinde *Sonnenfels* († 1817) cum Schleiermacher († 1834) mortis poenam impugnavit, quia societas ex contractu orta esset, nemo autem potestatem in vitam suam aliis concedere voluisset vel potuisset, quae ratio cum fundamento suo, contractu sociali tanquam fonte civitatis, ruit. Postea vero ex falso humanismo poena mortis (post 1848) in pluribus civitatibus abrogata est: in Rumaenia 1864, in Lusitania (Portugal) 1867, in Batavia (Holland) 1870, in Italia 1889; in Helvetia solum pro criminibus *politicis* non licet ex anno 1874/1879, in Germania et Austria et pluribus statibus Americae licet, attamen rarius applicatur idque intra muros carceris coram paucis testibus vel securi vel electricitate vel proiectili (Erschiessen). Etiam nostro tempore sunt, qui cum Holtzendorff, Ahrens, Geyer poenam mortis reprobent, ex rationibus omnino futilibus[2]). Quamvis approbandum sit et statui culturae nostrae conveniat, quod scelerati non publice, neque tormentis exquisitis, ut saepe apud veteres, capite plectantur, attamen eventus ipse ostendit, nullam poenam adeo a scelere deterrere quam vitae privationem, quum etiam incarceratio per totam vitam sceleratos neque emendet, neque satis absterreat, semper sperantes dimissionem vel condonationem. Hoc praesertim in Italia apparet, ubi anno elapso (1907) 3106 caedes et 93368 vulnerationes ex mala intentione perpetratae sunt (= 10 pro 100000 civibus; eodem tempore in Germania solum 1,88; in Britannia 0,42; in Scotia 0,37; in Hispania 5,31).

III. *De condonatione principum.* Apud omnes gentes principes ius sibi vindicabant, condemnatos ad poenas, praesertim propter crimina politica, ex speciali gratia a poena liberare, quae liberatio si pluribus simul conceditur e. g. in inthronisatione principis, in die festo patriotico etc., vocatur *amnestia*. Quum hoc principis privilegium ubique terrarum et omni tempore inveniatur, signum est manifestum, in iure naturae fundari, in quantum princeps ad bonum publicum eo utitur; in hac enim ratione in eaque sola ius condonationis fundatur. Potest enim esse, ut leges poenales paulo durius crimen aliquod puniant, vel ut postea circumstantiae culpam dimi-

[1]) Cfr. S. Theol. II, II, qu. 64, a. 2; de malo qu. 1, a. 5 ad 12; contra gentiles III, 146.

[2]) Cfr. Cathrein, l. c. II, 657. Ipse Paulsen fatetur (System d. Ethik, II⁵, 139): „Ich gestehe, dass es mir immer als ein Anzeichen der grossen Entfremdung der liberalen Partei vom wirklichen Volksleben erschienen ist, dass sie die Abschaffung der Todesstrafe für ein wichtiges politisches Ziel halten konnte."

nuentes appareant, vel ut condemnatus spem fundatam correctionis praebeat; tunc iustitia vel aequitas videtur medium aliquod postulare, quo et civitatis et individuorum saluti satis provideatur, et hoc medium aptum condonatio esse videtur. Est tamen caute neque in omni casu adhibendum, ne iustitia vindicativa illusoria fiat; potissimum autem adhibetur, ut poena mortis in captivitatem perpetuam mutetur.

III. *De potestate administrativa* [1]).

Tract. I. In genere.

Civitati non solum incumbit officium iura civium tuendi, licet hic finis sit primarius, sed etiam bonum publicum promovere debet; hic enim est finis secundarius civitatis [2]). Qua in re duo errores vitandi sunt: a) Ne auctoritas publica fines suos transgrediatur, nimia iura et officia sibi arrogans et privatorum negotia quasi absorbens, ut *socialistae* volunt. Tunc enim privatorum industria et libertas nimis impediretur et moderator civitatis quasi solus proprietarius, negotiator, imo paterfamilias fieret. Non igitur civitatis est, singulorum civium industriam absorbere, sed potius *excitare et adiuvare* in eis, ad quae vires privatorum non sufficiunt; neque igitur directe, sed potius *indirecte* singulorum bona per civitatem procuranda sunt, *in quantum in bono publico continentur.* Licet igitur civitatis intersit, cives sanos esse ac bene nutritos, coniugatos aptos esse ad filios procreandos, patres familiae res suas bene administrare, omnes laborem sibi congruentem habere, non tamen spectat ad auctoritatem publicam praescribere, quid singuli manducent, quomodo vivant, qui matrimonia ineant, quot liberos generent, quomodo bona familiae administrentur, quid singuli laborent; esset enim servitus inaudita et insupportabilis, sicut in ergastulis invenitur, neque sic progressus haberetur. Ut igitur auctoritas publica rebus gerendis intersit, requiritur, ut sit ad bonum commune, ut agatur de bono plus minus necessario, ut privata activitas ad hoc non sufficiat, ut bonum ex activitate civitatis resultans multo maius sit, quam mala inde forte orta e. g. ruina negotii aliquorum privatorum.

b) Neve auctoritas publica *parum* bonum publicum procuret, exhibendo [3]) solum tutelam iurium singulorum, ut olim Physiocrati (Quesnel, Gournay) necnon liberales Oeconomistae (Smith, Ricardo, Say; Manchesterschule) docebant. Tunc enim viribus infirmiores facile opprimuntur per liberam concurrentiam, id quod historia evolutionis oeconomicae ultimis hisce saeculis luculenter ostendit; inde

[1]) Cfr. S. Theol. I, II, qu. 96 tota.
[2]) Cfr. H. Pesch, Die soziale Frage I, 1, p. 117 sq. I, 2, p. 419 sq.
[3]) Cfr. Lehmkuhl, Die soziale Frage u. d. staatliche Gewalt, 1896[3].

enim ex una parte pauperismus et proletarismus, ex alia parte plutocratismus paucorum ortus est [1]). Auctoritas igitur publica civitatem ita temperare atque administrare debet, ut infirmiores adiuventur sive legibus quibusdam constitutis, quibus „libera concurrentia", in qua potentior semper vincit, iustis limitibus coerceatur, sive mediis publicis, quibus indigentes sustententur vel promoveantur. Hoc modo auctoritati publicae non solum officia *iustitiae strictae,* quae absolutam omnium aequalitatem in usu libertatis et proprietatis respicit, exercenda sunt, sed etiam quaedam officia *iustitiae distributivae,* quae, si opus videtur, pro necessitate sociali [2]) et dignitate personarum sive classium civitatis succurrit ponendo conditiones (leges, instituta opera publica etc.), sub quibus omnes, si voluerint, non solum necessaria, sed etiam statui suo congrua procurare possint. Imo etiam officia *caritatis* ab auctoritate publica non negligenda esse videntur, praesertim si haec officia erga egentes ab aliis non satis exercentur, vel exerceri possunt [3]), quum civitas quasi personam moralem constituat, cui etiam officia personae incumbant, inter quae officia caritatis praestant [4]). Qua in re advertendum est, civitatis activitatem ultra id, quod necessitas publica postulat, sese extendere non debere, praesertim si aliis civibus onera imponenda sunt, ne iniuste graventur et utilitati singulorum plus iusto provideatur detrimento aliorum vel ex partium studio [5]). Neque obstat, quod auctoritas publica ad infirmiores e. g. operarios adiuvandos per leges suas libertatem aliorum (e. g. in contractibus faciendis) paulisper temperare vel per tributa media sibi necessaria a ditioribus procurare debeat; secus omnino neque leges neque tributa imponere posset, quibus vel libertas vel possessio subditorum restringitur ad bonum commune; salus autem rei publicae est suprema lex. Haec autem salus haberi nequit, si multi miseri in civitate insunt, quemadmodum corpus non potest bene se habere, si plura membra doloribus afficiuntur. Porro necessitas sive salus publica non solum intelligenda est *absoluta,* sine qua

[1]) Cfr. H. Pesch, l. c. I, 2, p. 426 sq. [2]) Errat enim Schmoller, si fundamentum et mensuram iustitiae distributivae in solo *merito* de civitate collocat; tunc enim liberi erga parentes vel pauperes et perpetuo aegroti et derelicti nullum ius haberent, imo civitas non posset eis succurrere, neque tueri possessionem, quam quis non pro civitate adhiberet, cfr. H. Pesch, l. c. I, 1, p. 163 sq.

[3]) Ibid. I, 2, p. 466. [4]) Cfr. S. Theol. I, II, qu. 96, a. 3: „Nulla virtus est, de cuius actibus lex praecipere non possit."

[5]) Exemplum sit spoliatio bonorum ecclesiae diversis temporibus et apud diversas gentes, quae, ut historia docet, nunquam pauperibus, sed privatis quibusdam in utilitatem cedebat. Cfr. Kirchenlexikon[2], Art. Kirchenvermögen; Siebertz, Gesch.-Führer, 1900[2], p. 507 sq. Lege, quomodo nuper in Gallia bona ecclesiae dissipata et spes operariorum promissaque eis facta delusa sint; cfr. ‚Trier. Ldztg.' 1907, Nr. 280, 289; 1908, Nr. 9 et 62a.

civitas *omnino* exsistere nequit, sed etiam *moralis*, sine qua *bene* exsistere non potest.

Sane difficile est, determinare, qui in hac re iusti sint limites, quare non mirum est, etiam eos, qui eadem principia de potestate civili profitentur, saepe hos limites plus vel minus extendere pro opinionum diversitate vel pro tendentia auctoritatis publicae, quae hac potestate facile abuti possit; sed abusus non tollit usum rei. Sic fuerunt et sunt etiam viri catholici, qui in hac re civitatis iura nimis coarctare videntur, timentes periculum status socialistici, negantes ei potestatem mercedis minimae, pensionis aegroti, impotentis et invalidi operarii definiendae etc., haec omnia caritati christianae reservantes. Ita sentit schola quae dicitur „Andegavensis" (Schule von Angers), ducibus Freppel, Turinaz episcopis, Jannet, Forbes, Roussel, de Besse, Caudron, Périn, Woeste, necnon fautores doctrinae a Le Play propositae (Unions de la paix sociale et Association des patrons du Nord). Recenter etiam Tillmanns et Oehmen (per folium „Ständeordnung") similem sententiam tuentur. — Plerique tamen viri catholici et Galliae (Langénieux cardinalis, Mgr. de Cabrières, Comes de Mun, Marquis de La-Tour du Pin, Comes de Ségur, de Pascal, Antoine, œuvre des cercles catholiques et l'Association catholique), et Belgicae (Doutreloux, episcopus Leodiensis — inde „schola Leodiensis", Pottier, Helleputte, Verhaegen, Beernaert etc.), et Italiae (Liberatore, periodicum Civiltà cattolica) et Germaniae fere omnes (v. Hertling, Hitze, Weiss, v. Vogelsang, princeps Lichtenstein, Biederlack, Cathrein, H. Pesch aliique multi) [1]. — Praemissis hisce principiis de potestate administrativa civitatis, iam eius iura et officia in specie consideremus.

Tract. II. In specie.

I. *De iuribus et officiis civitatis respectu religionis.*

Relationem civitatis ad religionem duplici modo considerare possumus: ad *religionem in genere;* ad religionem *christianam* vel *catholicam* in specie.

A. *De relatione civitatis ad religionem in genere.*

1. *Principia:* Si religio *in genere* spectatur, dicendum est, civitatem qua talem debere esse religiosam i. e. religionem, quae in Dei veneratione et cultu consistit, magni aestimare atque fovere: a) ratione *Dei*, quia Deus est auctor civitatis eamque tuetur atque promovet; b) ratione *ipsius civitatis*, quia totam auctoritatem suam in cives, praesertim ius vitae et mortis, a Deo ipso habet; c) ratione *subditorum*, quia summa obligatio hominis est Deum colere hicque est finis ultimus, cui omnia alia iura et officia subordinari debent. Auctoritas igitur publica religionem respectans eo ipso etiam civium fiduciam sibi conciliat, neque facile in despotismum ruit.

[1]) Cfr. H. Pesch, l. c. I, 1, p. 136 et I, 2, p. 480 sq.

Inde est, quod omnes veterum civitates religionem et cultum divinum tanquam officium publicum habuerint (cfr. supra p. 437), quod templa et sacerdotium instituerint idque publicis sumptibus, quod festa quaedam religiosa decreverint et sacrificia ceremoniasque certas in publicis negotiis sive calamitatibus adhibuerint, ita ut Aristoteles [1]) curam deorum primam civitatis esse, necnon Plato [2]) eum qui deos negavisset, poenis gravissimis afficiendum esse dixerit, et Plutarchus „facilius urbem condi sine solo posse putaverit quam, opinione de diis penitus sublata, civitatem coire aut constare" [3]). Est igitur sententia prorsus falsa „Liberalismi" civitatem debere esse atheam et singulis civibus religionem relinquere. Profecto veteres multo magis religiosi erant, quam isti homines, quibus tamen lux evangelii apparuit, unde verba Christi eis applicanda sunt (Matth. 11, 22; 12, 42).

2. *Conclusiones:* Si igitur quaeritur, quae iura et officia civitas circa religionem exercere deberet — abstrahimus hic a religione christiana, neque consideramus nisi statum naturalem — dicendum videtur: a) auctoritatem publicam quà talem non posse certas veritates religiosas ut firmiter credendas proponere, siquidem non est magistra, nedum infallibilis, veritatis religiosae, ut ratio ipsa docet et historia testatur.

Abusi igitur sunt potestate sua imperatores Romani fidem christianam persequentes et idololatriam eis praescribentes. Multo magis errabant „reformatores" principibus summum episcopatum tribuentes, unde axioma illud et rationi et libertati humanae necnon verae religioni tam iniuriosum: Cuius regio, eius religio. Imo etiam Hobbes et Rousseau eo progressi sunt, ut ille principi, hic reipublicae ius tribueret, quandam religionem „status" constituendi, a qua qui deficeret puniendus, imo ex patria expellendus esset.

b) Neque auctoritati publicae licet actus singulos religionis praescribere, siquidem actus internos extorquere non potest; actus autem religiosi mere externi non sunt actus vere morales sive religiosi. Quare non licet, gentes paganas vi et armis ad quandam religionem cogere, sed magistris constitutis eis fidem libere suscipiendam proponere.

Sic Mohammedani gentes vi brutali „convertebant", neque laudandum est, si quidam principes christiani vi et armis utebantur ad paganos convertendos et multo minus licebat principibus protestantibus, subditos catholicos omnino pacificos ad religionem Lutheri vel Calvani vel Zwingli vi et dolo cogere; in provincia Palatina Rhenana subditi quinquies religionem suam (catholicam — lutheranam — calvinianam) iussu principis mutare debebant. Attamen certe licebat eis, magistros et praedicatores fidei mittere necnon templa aedificare, quae si gentes barbarae destruebant, vel si ministros fidei persequebantur, vel si obedientiam detrectabant principi legitimo, ut plerumque factum est, ratio sufficiens aderat eos castigandi. Sic res se habebat e. g. tempore Caroli Magni quoad Saxones convertendos; sic medio aevo saec. 13, quando ordo teutonicus Borussos barbaros domabat; sic Galli calvinistas,

[1]) Polit. VII, 8. [2]) De republ. 1, 2, 7; de leg. c. 9. [3]) Cfr. vol. II, p. 529.

teste Buckle historico protestante[1]), semper contra legitimum imperium rebellantes ex patria eiciebant (edicto Nannetensi abolito 1685)[2]); sic Hispani Mauros et Iudaeos semper paci publicae insidiantes, nisi fide catholica accepta, ex patria expellebant, inquisitione instituta (cfr. supra p. 278), licet omnia ex motivis illis religiosis et plerumque multo magis politicis perpetrata approbare neque velimus neque possimus.

c) Licet autem auctoritati publicae, imo tenetur, liberum religionis exercitium tum societatis religiosae tum singulorum tueri, modo ne haec religio eiusque exercitium iuri potiori alterius vel paci publicae obstet; tunc auctoritas publica saltem externum religionis huius exercitium sive cultum impedire potest. Sic cultus quarundam sectarum propter periculum tumultus vel inhonestatis publicae (e. g. Bachanalia) reprimendus erat; sic civitates recentes sectam Mormonum propter polygamiam publice interdicunt.

d) Valde expedit, ut civitas cultum religiosum sumptibus publicis promoveat, *si societas religiosa ipsa ex se ad hoc non sufficiat neque aliis inde damnum emergat;* idem dicendum est de templis construendis, festis publicis instituendis.

Quapropter civitates veterum religionem publice ordinabant, sacerdotio, cultu, sacrificiis, festis, templis constitutis, templis personalitatem iuridicam ad legata et donationes recipiendas concedebant eaque et sacerdotes publicis sumptibus sustentabant et oneribus publicis (tributis) liberabant. Ita Aristoteles expresse praescribit, ut „sumptus in deos et deorum religiones totius civitatis sint communes . . . et *altera pars* (agri publici) in piorum munerum functiones et cultus deorum conferatur“ (cfr. supra p. 437). Sic etiam religio christiana decursu temporis et principum liberalitate et fidelium donationibus dives effecta est, ita ut nonnunquam, praesertim tempore belli vel calamitatis publicae, necessitatibus communibus succurrere potuerit. Reformatione vero exorta, principes bona ecclesiae et monasteriorum sequestrare incipiebant, idque etiam in nationibus catholicis factum est, usque dum revolutio gallica omnia bona ecclesiae surriperet et cum eis regna quoque destrueret. Non tamen bona ecclesiae sequestrata in bonum publicum redundabant (e. g. in Lusitania — Pombal — Hispania, Italia, Gallia etc.), siquidem ubique debita publica civitatum continuo crescebant, neque unquam tanta fuerunt, quanta sunt hodie.

Disputatur, quae fuerit relatio civitatis ad religionem in statu purae naturae, sc. utrum civitatis ipsius ius et officium directum fuerit, ordinem religiosum instituere, an hoc fuerit munus societatis religiosae naturaliter ortae, siquidem religio sit homini naturaliter necessaria, sicut etiam vita socia-

[1]) Cfr. Siebertz, Gesch.-Führer[2], p. 358 sq.

[2]) P. P. Innocentius XI et Fénélon reprobabant hanc abolitionem. Cfr. Hohoff, Die Revolution seit dem 16. Jhrh., p. 484; Siebertz, Gesch.-Führer, p. 359. — Occisio autem Calvinistarum in vigilia S. Bartholomaei (1572) minime ex motivis religiosis, sed politicis a regina Katharina de Medici facta est (cfr. Siebertz l. c. p. 53 sq.). De Calvinistarum (Hugenotten) semper rebellium facinoribus vide ibid., p. 178 sq.

lis; ita tamen ut auctoritas publica potestatem quasi indirectam haberet, ut supra exposuimus. Probabilior videtur sententia, quam Cathrein[1]) cum Suarez contra Molinam aliosque defendit, in statu purae naturae i. e. abstractione facta a revelatione divina et religione christiana, auctoritatem publicam simul etiam summam potestatem quoad ordinem religiosum instituendum habuisse, siquidem religio certe pertinet ad officia naturalia hominis et est fundamentum morale etiam civitatis i. e. ordinis publici. Propterea apud veteres auctoritas publica semper in religione ordinanda versabatur et reges et imperatores saepe summi pontifices habebantur, licet munera et functiones ipsas per sacerdotes ad hoc constitutos exercendas curarent.

B. *De relatione inter civitatem et ecclesiam christianam in specie.*

1. *Principia:* Ecclesia catholica est societas religiosa eaque perfecta a Christo Deo ipso instituta ad homines docendos, dirigendos, coercendos atque sanctificandos (Lehr-, Hirten-, Priester-Amt). Est igitur: a) *societas,* quia est plurium hominum unio ad finem communem; b) est societas *religiosa,* quia finis communis est vita aeterna consequenda per Dei cultum et propriam sanctificationem hac in terra; c) est societas *perfecta,* quia habet *finem* sibi proprium, nulli alii subordinatum: vita aeterna eaque supernaturalis consequenda, et *media* ad hoc ordinata: *interna,* quae sunt gratiae supernaturales illustrationis et inspirationis a Deo ipso conferendae; *externa,* quae sunt munera et officia a Christo instituta: munus docendi per doctrinam, pascendi per leges et instituta, sanctificandi fideles per sacramenta, et ad haec munera exercenda ecclesiae ipsius constitutio et organisatio per ordinem sacerdotum, episcoporum et summi pontificis (cfr. Matth. 16, 18; 18, 17; 28, 19; Marc. 16, 15—20; Luc. 22, 19; Joh. 14, 26; 20, 23; Act. 15, 28. d) Adest *auctoritas* ab ipso Christo instituta omnibus nota atque visibilis, tanquam forma externa ecclesiae et subiectum totius potestatis legislativae, iudicativae, administrativae (Lehr-, Priester-, Hirtenamt) sc. ordo episcopalis cum apice suo Pontifice Romano, successores apostolorum eorumque principis Petri apostoli. e) Ex dictis iam apparet, ecclesiam ut societatem *a Christo ipso* esse institutam in *se unam, sanctam, apostolicam* et *catholicam,* i. e. *pro omnibus hominibus et pro omni tempore* idque *sub poena damnationis aeternae*[2]). (Matth. 16, 18; 18, 17, 28, 19; Marc. 16, 15—20. Cfr. Pii X Syll. die 3. 7. 1907.

[1]) Moralphil. II, 550; idem S. Thomas sentire videtur (de regim. princ. I, 16).

[2]) Plura de hac re vide Mazzella, de religione et ecclesia 1880, p. 439 usque 466. Tarquini, Juris eccl. publ. institutiones 1892[14]; Taparelli, Saggio teoret. di diritto naturale, 1840/45, 2 vol. Liberatore, Lo stato et la chiesa. Marx, Das Kirchenvermögensrecht 1897, p. 19 sq., v. Hammerstein, Kirche u. Staat 1883; Hergenröther, Kath. Kirche und christl. Staat, 1873. Haring, Kirche u. Staat, 1907.

prop. 52—56. Encycl. „Pascendi dominici gregis" 1907; vide eius claram expositionem in libello, Lemius (Stehlo) 1908: Der Modernismus, § 4, p. 39—41.)

2. *Conclusiones*. a) *Ius libertatis et proprietatis ecclesiae:* Ecclesia igitur, quum sit perfecta societas, *in ordine suo independens* est ab auctoritate civili, quippe quae prorsus alium finem habeat aliaque media. Inde sequitur, eam etiam in muneribus suis exercendis liberam esse debere; quare non licet civitati inhibere doctrinam ecclesiae vel eam a sua approbatione dependentem facere (Placetum regium); idem dicendum est de legibus disciplinaribus ecclesiae et de sacramentis dispensandis. Deinde ecclesia, ut organismum suum constituere atque tueri possit, indiget mediis quibusdam temporalibus; habet igitur ius proprietatis, ut bona acquirere et possidere possit. Quodsi eius media non sufficiunt, vel si eius potestas non satis est ad disciplinam suam tuendam et perversos cohibendos, civitas tenetur ecclesiae succurrere; ita medio aevo, ubi ecclesia et civitas amico foedere consociabantur, auctoritas civilis decreta ecclesiae exsequebatur.

Imo valde conveniens apparet, ecclesiae principem etiam vi temporali quadam esse praeditum, ut melius necessitatibus ecclesiae succurrere possit et magis independens sit a potestate civili, id quod et ecclesiae et civitati ipsi maxime prodest, ut domicilium Avignonense Pontificum testatur. Inde factum est, ut Ecclesia Romana a principibus et fidelibus in honorem s. Petri, principis Apostolorum, iam a primis saeculis praediis dotata, ut edicto Milanesi anno 313 a Constantino tanquam persona iuristica ad bona possidenda et acquirenda recognita et postea temporum necessitate et fidelium amore re vera suprema auctoritate in territorio Romano aliisque ei in Italia adiunctis praedita sit, inprimis donatione Luitprandi, regis Longobardorum (727) et Pipini, regis Francorum (754)[1]. Imo multi principes libere se in ditionem ecclesiae Romanae dederunt et a Romanis Pontificibus regna sua tanquam precaria (Lehnsreiche) receperunt e. g. regna Siciliae, Sardiniae, Aragoniae, Angliae, Scotiae, Suediae, Poloniae etc.[2]. Quae summorum Pontificum potestas civilis in statibus Pontificiis tam legitime acquisita, tam iuste et prudenter administrata, per plus quam 1000 annos sacrata, anno 1870 prorsus illegitime destructa est. Politica quidem et civilis independentia Pontificis et Vaticani a nationibus omnibus fuit recognita atque stabilita, quae tamen neque dignitati summi Pontificis neque necessitatibus ecclesiae sufficere videtur[3]).

[1]) Unde Alfred v. Reumont protestans (Geschichte d. Stadt Rom II, 105): „Nicht rechtlose Gewalt, nicht ehrgeizige Kämpfe und Selbstsucht legten den Grund zu dieser Herrschaft, sondern die freiwillig entgegenkommende Zustimmung der Völker in Anerkennung wirksamen Schutzes, standhafter Pflichterfüllung, ungebeugten Mutes, festen Glaubens, heiligen Wandels".

[2]) Cfr. Hergenröther, Kath. Kirche und christl. Staat, 1873, p. 301 sq.: „Die Päpste und die Vasallenreiche." [3]) Cfr. Kirchenlexikon, Art. Kirchenstaat; Siebertz, l. c. p. 266—295. Kathol. Flugschriften (Germania) Nr. 155: Geschichte und Notwendigkeit des Kirchenstaates.

Errant igitur, qui cum Apostolicis, Waldensibus, Wicleffitis, Fraticellis (Occam), Reformatoribus ius proprietatis Ecclesiae negant vel ex concessione legis civilis et principum derivant. Ecclesia enim ut societas perfecta et universalis et *dignitate* et *necessitate* et *tempore* omnes antecedit civitates exsistentes, quare eius iura praecedunt ius et potestatem civilem. Deinde quum possessio aliqua Ecclesiae necessaria sit, tum ad divinum officium peragendum, tum ad clericos sustentandos, tum ad pauperes alendos et scholas, quae usque ad reformationem ab ecclesia instituebantur, habendas, iam ex divina eius institutione sequitur, ei ab auctore suo divino ius proprietatis, licet non certae atque determinatae, attamen in genere esse collatum idque independenter ab auctoritate civili. Haec enim facile mutatur, nascitur et perit, diversa est apud diversas gentes, nunc bene nunc male affecta erga ecclesiam; ecclesia autem ex voluntate Christi in se una est, eadem ubique, sancta et catholica, ut ministra salutis aeternae magis hominibus necessaria quam civitas; quare etiam eius administratio interna, ad quam potissimum ius proprietatis spectat, a potestate civili independens esse debet. Itaque leges imperatorum et Romanorum et Germanorum ecclesiae ius proprietatis tuebantur, et ecclesia semper restitit principibus, qui hoc ius restringere conabantur, poenis ecclesiasticis eos coercens (cfr. Conc. Trid. sess. 22, c. 11, de reform. Pii IX Const. „Apostol. sedis", 1869. Syllab. [1864] thes. 26, 27, 39)

Neve cum Sohm, Jellinek etc.[1]) obicias, ecclesiam esse societatem spiritualem ac proinde proprietatem materialem non requirere. Nonne Christus ipse dixit: Regnum meum non est de hoc mundo? (Joh. 18, 36.) Est quidem spiritualis societas, si eius finis et media principalia considerantur; attamen eius subiecta i. e. homines et media proxima, porro ecclesiae visibilis organisatio non sunt mere spiritualia, quare etiam media materialia et temporalia adhibenda sunt, sicut etiam homo ipse, licet eius anima sit spiritualis eiusque finis aeternus, indiget bonis materialibus et temporalibus. Utique regnum Christi non est *de* hoc mundo, sed est *in* hoc mundo, unde a rebus mundanis non prorsus abstrahere potest. Supponunt isti falsum conceptum ecclesiae Christi, quam reformatores habebant societatem invisibilem et pure spiritualem. — Neve cum Wundt[2]) et Paulsen[3]) obicias, repugnare independentiae (Souveränität) auctoritatis civilis, aliam i. e. ecclesiasticam praeter eam in eisdem subiectis humanis admitti. Nam 1° isti auctores supponunt auctoritatem civilem omnino absolutam i. e. nullis limitibus circumscriptam, neque esse ius nisi in civitate et per civitatem, id quod falsum esse ostendimus (supra p. 224)[4]). 2° Repugnaret, auctoritatem civilem et ecclesiasticam esse summam et independentem in iisdem subiectis, si esset *de eadem* re; sed finis et media christianae ecclesiae prorsus differunt a fine et mediis societatis civilis, ut supra vidimus, unde non est repugnantia, sed utraque societas est independens et perfecta *in suo quaeque ordine*.

b) *De conflictu inter potestatem ecclesiasticam et civilem:* Sed quid, quando inter ecclesiam et civitatem conflictus oritur? Tales

[1]) Cfr. Cathrein, l. c. p. 551.

[2]) Logik 1893², II, 2, p. 545.

[3]) System d. Ethik II, p. 514.

[4]) Cfr. Mazzella l. c., p. 445, 463 sq. Marx, l. c., p. 26 sq.

enim conflictus possunt esse, quia ecclesia ex iisdem hominibus constat, quibus civitas, et etiam de iisdem rebus et actionibus nonnulla statuere potest e. g. de personis ad munera ecclesiastica promovendis, de doctrina scholarum, de matrimonio ineundo, de proprietate ecclesiarum, de patrimonio s. Petri etc. Historia docet, tales conflictus saepius ortos esse et maxima nonnunquam damna et civitatibus et ecclesiae creasse, e. g. discordiae inter pontifices Romanos et imperatores Germanos (Fridericum I et II, Henricum IV et V, Ludovicum Bavarum) vel reges Galliae, (Robertum, Philippum I, II et IV)[1]. — Hae igitur controversiae componendae sunt respectu finis utriusque societatis; nam cuiusvis societatis natura et potestas ex eius fine est diiudicanda. Societas igitur illa, quae habet finem magis dignum, magis necessarium, magis universalem, debet praevalere alteri, haecque se ei subordinari. *Atqui* non potest esse dubium, quin finis ecclesiae sub triplici illo respectu superior sit fine societatis civilis; haec enim habet finem salutem publicam temporalem non omnino necessariam, diversam apud singulas gentes; ecclesia autem finem habet salutem aeternam omnium subditorum, eamque omnibus absolute necessariam et pro omnibus hominibus eandem. *Ergo* ubi conflictus inter ecclesiam et civitatem adest, per se et ex natura sua haec se illi subordinare deberet.

Quamobrem auctores ecclesiae tribuunt potestatem in res saeculares „indirectam“. Triplex enim haec potestas in res temporales distinguitur: *Directa, indirecta* et *directiva*[2]). α) Directa adest, quando ecclesia res temporales sive suas sive civitatis per se solam posset diiudicare et administrare independenter a civitate, sive ita ut potestas civilis teneretur, omnia decreta potestatis ecclesiasticae exsequi. Pauci fuerunt, qui hanc potestatem directam ecclesiae tribuerent; ita Joh. Salisburgensis (1159), August. Triumphus (1320), Alvarus Pelagius (1340) aliique pauci. Nullus autem Pontifex Romanus hanc sententiam suam fecit, ne Bonifacius VIII quidem in celebri bulla sua „Unam Sanctam“ anno 1302 contra Philippum II regem Galliae edita[3]).

[1]) Cfr. Hergenröther, l. c., Abh. VI—XIII.

[2]) Hergenröther, l. c., p. 377 sq.

[3]) Docet quidem, „subesse Romano Pontifici esse omni humanae creaturae ... de necessitate salutis“. Attamen hoc directe affirmat de rebus fidei, indirecte autem „ratione peccati“ de rebus etiam temporalibus. Castigat enim regem Galliae, qui proprietatem ecclesiae iniuste tanquam ex regia sua potestate violaverat. Unde Bonifacius in sua Bulla docet: „Uterque ergo gladius (cfr. Luc. 22, 38) est in potestate Ecclesiae, spiritualis scilicet et materialis. Sed is quidem *pro* Ecclesia, ille vero *ab* Ecclesia exercendus. Ille *sacerdotis*, is manu *regum et militum*, sed ad nutum et patientiam sacerdotis. ... Oportet autem gladium esse sub gladio et temporalem auctoritatem spirituali subici potestati . . . Potestas (igitur) spiritualis terrenam instituere (i. e. docere) habet et iudicare, si *bona non fuerit*“. (Cfr. Mazzella, l. c., p. 453; Hergenröther, l. c., p. 332; Marx, Lehrb. d. Kirchengesch. 1906[2-3], p. 390 sq.)

Imo Concilium Later. IV anno 1215 sub Innocentio III decernit (cap. 42): „Sicut volumus, ut iura clericorum non usurpent laici, ita velle debemus, ne clerici iura sibi vindicent laicorum. Quocirca universis clericis interdicimus, ne quis praetextu ecclesiasticae libertatis suam de cetero extendat iurisdictionem in praeiudicium iustitiae saecularis, sed contentus exsistat constitutionibus scriptis et consuetudinibus hactenus approbatis, ut, quae sunt Caesaris, reddantur Caesari, et quae sunt Dei, Deo recta distributione reddantur“[1]). Innocentius III, qui in summa potestate et ecclesiastica et civili constitutus fuisse dicitur, anno 1202 scribit Guilelmo principi Montispessulano (Montpellier), postulanti legitimationem filiorum suorum ratione successionis in principatu, alludens ad similem dispensationem sive legitimationem filiorum Philippi, regis Galliae: „Quum rex ipse *superiorem in temporalibus minime recognoscat*, sine iuris alterius laesione in eo se iurisdictioni nostrae subicere potuit . . . Tu autem aliis nosceris *subiacere* (sc. regi Galliae et ratione terrae Magalonensis etiam Pontifici ut domino temporali); unde sine ipsorum forsan iniuria, *nisi praestarent assensum*, nobis in hoc subdere te non posses“[2]).

β) Potestas *indirecta* in eo est, ut auctoritas ecclesiastica se rebus temporalibus immisceat, in quantum nexum habent cum rebus spiritualibus i. e. cum salute animarum. Sic leges civiles de matrimonio reprobat, si naturae sacramenti repugnant; sic decreta principum reicit, quae iura ecclesiae vel privatorum violant; sic olim bella impedire vel finire nitebatur per leges ecclesiae (treuga Dei); sic subditos fidelitate erga principes absolvebat, qui potestate sua in detrimentum animarum abutebantur. Hanc auctoritatem indirectam ecclesia semper sibi vindicabat, quia cura animarum ei commissa est a Deo et quia etiam principes catholici — nam de his solis ecclesia auctoritatem sibi vindicat — praeceptis ecclesiae de salute animarum subsunt. Theoretice hanc potestatem ecclesiae indirectam inprimis defendebat Bellarminus[3]), Suarez et plerique theologi cum ipsis; etiam Leibnitzius eam tuetur[4]). Eam impugnabant iam Fraticelli, duce Occamo, iura ecclesiae in temporalibus a principibus derivantes, imprimis vero Reformatores, omnem potestatem, etiam spiritualem, principibus tribuentes; deinde Gallicani[5]), Jansenistae, Febroniani et Josephini[6]), necnon hodie „Modernistae“[7]), omnem ecclesiae potestatem circa temporalia sive directam sive indirectam negantes. Haec

[1]) Cfr. Chr. Pesch, Die christliche Staatslehre 1887, p. 90 sq.

[2]) Migne Patr. lat. tom. 214, col. 1132. Falsa igitur et iniuriosa sunt, quae Gothein (cfr. supra p. 451) sine ulla probatione affirmat (Handwörterb. der Staatswissenschaften, VI[2], 1901, p. 391): „Wenn man trotzdem den Geistlichen rät, sich in einzelnen Stücken der weltlichen Gerichtsbarkeit zu fügen, namentlich auch Steuer zu zahlen, so geschieht dies mit der Rechtsverwahrung, dass der Staat keinen Rechtsanspruch darauf habe.“

[3]) De potestate summi Pontificis contra Guil. Barclaium (iurisprudentem, qui potestatem papalem nimis coarctaverat) 1610. [4]) Cfr. Cathrein l. c. p. 562.

[5]) Anno 1682 quatuor articuli Gallicani, consentiente Bossuet, constituti sunt, quorum primus negat, Pontificem directam vel indirectam potestatem in rebus temporalibus Galliae habere.

[6]) Cfr. Marx, Kirchengesch., p. 476 et p. 714 sq.

[7]) Cfr. Encycl. Pii X „Pascendi“ 1907; vide eius expositionem in libello perutili: Lemius (Stehle), Der Modernismus 1908, § 5, nn. 118—141.

autem doctrina de potestate indirecta ecclesiae in res temporales potest haberi tanquam communis, imo prop. 24 syllabi a Pio IX constituti damnata est: „Ecclesia vis inferendae potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam“.

γ) Potestas *directiva* in eo est, ut Ecclesia non positiva decreta de rebus temporalibus emittere possit, sed ut solum *doceat*, hanc vel illam legem civilem vel decretum principis iniustum esse ac proinde in conscientia non obligare; hunc vel illum principem abuti sua potestate, quare ex iure naturae vel positivo destitui possit. Hanc sententiam praesertim Gerson, Fénélon aliique defendebant; sed nimis potestatem ecclesiae positivam restringere videtur, unde practice saltem vel in sententiam potestatis indirectae vel in sententiam Gallicanismi recidit [1].

Multi hodie sunt, qui exprobrent ecclesiae et praesertim summis pontificibus, quod potestatem civilem sibi arrogaverint, quod imperium mundi anhelaverint, imperatores et reges ad nutum deposuerint (e. g. Henricum IV, Fredericum II, Ludovicum Bavarum etc.). Nostrum non est, omnia quae ab ecclesiae episcopis et pontificibus facta sunt, diiudicare vel approbare; homines enim erant. Attamen 1^0 a nemine negari potest in eorum numero tot fuisse viros et virtutibus doctrinaque insignes et de humano genere bene meritos, quot in nullo alio hominum coetu. Si igitur in qua re erraverint, eorum intentio spectanda est. 2^0 Plerique non satis distinguunt inter iura, quae ecclesiae et summis Pontificibus ex iure divino vel ecclesiastico, et quae eis ex iuribus civilibus nationum medii aevi competebant. Sic non ex iure divino, sed certe ex iure positivo illorum temporum eis ius erat confirmandi imperatorem Germaniae, quippe quae dignitas a Pontifice Romano Carolo M. anno 800 collata fuerit; ita etiam ius ab omnibus recognitum deponendi imperatorem penes pontificem Romanum erat, si imperator a iuramento suo deficiebat. Saepe etiam per leges, potissimum in regnis „vasallis“ ecclesiae Romanae, ei potestas regem creandi vel confirmandi competebat. Possessio autem ecclesiarum et monasteriorum necnon munera episcopatus per leges civiles et ecclesiasticas tunc potestati directae ecclesiae, ultime autem summo pontifici suberant, ita ut personae vel leges iura ecclesiae violantes poenis et civilibus et ecclesiasticis afficerentur. Si vero princeps erat violator, ecclesiae saepe aliud medium non aderat nisi excommunicatio ipsius principis vel interdictum eius territorii. Haec autem iura ecclesiae etiam principes medii aevi, imo iam imperatores primi christiani agnoscebant atque tuebantur, ut Constantinus M., Valentinianus I, Honorius, Valentinus III, Theodosius, Carolus M. [2]. 3^0 Pontifices tunc solum potestatem suam spiritualem in rebus temporalibus adhibebant, quando agebatur de gravibus delictis vel de iuribus graviter laesis, in quibus casibus ratione salutis animarum certe potestatem *indirectam* vel *directivam* habebant, e. g. de matrimonio legitimo a principe violato, de possessione ecclesiae iniuste usurpata, de episcopatibus vel abbatiis illegitime administratis vel oppressis, de iniuriis civibus illatis, de regimine principis tyrannico, vel de bellis iniustis sedandis. 4^0 Haec potestas illo tempore ab omnibus tribuebatur pontificibus; leges enim ecclesiasticae etiam ut leges civiles a principibus habebantur et episcopi cum

[1]) Hergenröther, l. c. 388 sq. [2]) Cfr. Mazzella, l. c. p. 445.

magnatibus regni concilia principum constituebant. Iam vero leges ipsae statuebant, ut princeps, si potestate sua abuteretur, ea privaretur, et summo pontifici hanc potestatem deferebant. Imo princeps, excommunicatione propter crimina punitus, nisi infra certum tempus absolutionem recepisset, eo ipso auctoritate sua orbatus erat, cuius signum erat, quod pontifex eius subditos iuramento fidelitatis liberaret. 5^0 Haec potestas spiritualis moderate et solum in causa necessitatis adhibita ferocitatem principum medii aevi domabat, ne gentes christianae despotismo orientali opprimerentur [1]. Profecto saepius principes potestatem ecclesiasticam sibi arrogabant, quam pontifices temporalem, merito iam s. Ambrosio dicente, „cupidiores esse imperatores sacerdotii, quam sacerdotes imperii“ [2]. Neque quemquam latet, „concordata“, quae a summis Pontificibus nomine Ecclesiae cum principibus facta sunt, licet plerumque in favorem potestatis civilis, nunquam ab Ecclesia, sed fere semper a civitatibus vi vel dolo esse immutata vel rescissa. Exemplo sit Napoleon, qui per articulos suos „organicos“ concordatum in multis prorsus immutavit, et vix ulla civitas est, quae non multa bona ecclesiae auctoritate propria usurpaverit.

c) *De harmonia inter statum et ecclesiam* [3]): Relatio, quae inter statum et ecclesiam esse debet, tunc adest, quando quaevis societas fines potestatis suae non transgreditur, si igitur auctoritas ecclesiastica in rebus pure temporalibus, auctoritas civilis in rebus pure spiritualibus se non immiscet. „Deus enim,“ ita Leo XIII, „humani

[1]) Gregorovius protestans, licet inimicus Romanorum Pontificum, fatetur: „Die Geschichte hat nicht Heroentitel genug, um mit ihnen die weltumfassende Wirksamkeit, die grossen schöpferischen Taten, den unvergleichlichen Ruhm der Päpste auch nur annähernd zu bezeichnen. Wenn in einem kommenden Jahrhundert die leidenschaftlichen Kämpfe mit der Hierarchie erloschen sind, dann erst wird sich ihrer Erinnerung die volle Bewunderung der Menschheit wieder zuwenden, und ihre lange Reihe wird am Himmel der Kulturgeschichte ein System bilden, dessen Glanz alle andern Reiche von Fürsten und Regenten der Zeiten überstrahlen muss“ (Gesch. der Stadt Rom im Mittelalter, VIII, p. 653). Similiter Huebler, professor Berolinensis, in praelectione 16. Nov. 1894: „Das Pontifikat ist eines der grossartigsten Erscheinungen, die je in die Welt gekommen. Ohne das Papsttum wäre das Mittelalter eine Beute der Barbarei geworden. Noch heute würde ohne das Papsttum die Völkerfreiheit auf das äusserste gefährdet sein. Es ist das beste Gegengewicht gegen die omnipotente Staatsgewalt. Wäre es nicht da, man müsste es erfinden.“ Item Herder: „Ohne die römische Hierarchie wäre Europa wahrscheinlich ein Raub der Despoten, ein Schauplatz ewiger Zwietracht oder gar eine mongolische Wüste geworden“. Similiter dicunt protestantes Schiller, Lessing, Lavater, Louis Blanc, Novalis, Leo, Lord Macaulay, Gabriel Monod et nuper Harnack (Wesen des Christentums, 1900, p. 153). Cfr. Volksaufklärung, Opitz, Nr. 37; Katholische Flugschriften, Germania, Nr. 155.

[2]) Epist. ad sororem.

[3]) Cfr. Encyclicas Leonis XIII de hac re praeclaras: Inscrut. Dei consilio 1878 (21. 4); Quod Apost. muneris 1878 (28. 12); Diuturnum illud 1881 (29. 7) Immortale Dei 1885 (1. 11); Sapientiae christ. 1890 (10. 1).

generis procurationem inter duas potestates partitus est sc. ecclesiasticam et civilem, alteram quidem divinis, alteram humanis rebus praepositam. Utraque est in suo genere maxima: habet utraque certos, quibus contineatur terminos: Neutra paret alteri" [1]). — Quodsi de qua re spirituali, quacum temporalis, vel de re temporali, quacum spiritualis coniuncta est, controversia oritur, pactum sive concordatum inter utramque potestatem ineundum est, quo res componatur. „In iis," ita idem Leo XIII, „quorum iudicium, diversam licet ob causam, ad sacram civilemque pertinet potestatem, vult (Ecclesia) inter utramque exsistere concordiam, cuius beneficio funestae utrique contentiones devitantur" [2]). Neque timendum est, ne quid damni inde in civitatem civilem redundet, quum teste historia ecclesia semper plus det quam recipit, et concordia haec et status florens ecclesiae semper civitati quoque maximae sit saluti; neque enim fundamentum firmius regnorum et publicae honestatis habetur quam virtus christiana, neque vinculum fortius unitatis et prosperitatis, quam timor Dei et obedientia erga superiores ecclesiasticos et civiles a Deo constitutos. Ipsa historia nostrae temporis docet, pacem et salutem publicam ubique periclitari, si fides christiana, innixa auctoritate ecclesiae, labefactatur [3]).

Itaque decursu temporis multa concordata fuerunt constituta, ut dissensiones inter potestatem ecclesiasticam et civilem praecaverentur vel finirentur. Notissimum illud est concordatum, quod Calixtus II cum imperatore Henrico V anno 1122 (inde pactum Calixtinum) Wormatiae statuit, quo controversia, per 50 annos acerrime armis bellisque agitata, praesertim de episcopis nominandis composita est eo, quod episcopi praesentibus delegatis imperatoris libere a capitulis eligendi et a Pontifice confirmandi essent, anulo et baculo

[1]) Enc. „Sapientiae christ.". [2]) Encyl. „Diuturnum".

[3]) Merito Paulsen (System der Ethik, 1900^5, II, p. 212: „Alle grossen Revolutionen in der Welt der Einrichtungen sind von Revolutionen in der Gedankenwelt ausgegangen. Nirgends ist die Sache deutlicher, als in dem jüngsten Abschnitt der Geschichte der europäischen Völker. Die lange Reihe von Revolutionen, die den Inhalt der modernen Geschichte ausmachen, sind eine Nachwirkung der Veränderungen in der Welt der Vorstellungen, durch welche seit dem 15. Jhrh. die in der Kirchenlehre systematisierte Weltanschauung des Mittelalters aus den Angeln gehoben wurde. Renaissance und Reformation stehen am Anfang aller der Umwälzungen, die bis auf diesen Tag das Leben der europäischen Völkerwelt erschüttert haben." Similiter idem Paulsen, Geschichte des gelehrten Unterrichtes, 1896, p. 173. — Plura de hac re testimonia vide Siebertz, Gesch.-Führer, p. 448—507 („Reformation" war Revolution, „Segnungen" der Reformation). Hohoff, Die Revolution seit dem sechzehnten Jahrhundert, 1887. Encyclica Leonis XIII: „Inscrutabili Dei consilio" 1878 (21. 4). Iure igitur imperator Guilelmus I post attentatam ei mortem anno 1878 indixit, religionem populo esse conservandam; neque immerito hymnus noster nationalis monet reges: „Nicht Ross, nicht Reissige sichern die steile Höh', wo Fürsten stehn."

traditis, signis muneris spiritualis, ab imperatore autem sceptro adhibito beneficio temporali investiendi essent. Sic celeberrima sunt concordata a S. Sede cum Napoleone 1801, cum regno Bavarico 1818, cum regno Borussico 1821, cum Austria 1855 et 1881, cum Hispania 1851, cum Russia 1848 et 1880, cum pluribus statibus Americae australis annis 1853 et 1863 [1]). Atque haec concordata, licet gravia saepe ecclesiae imponerent onera, ab ipsa tamen semper sancte custodita sunt, plerumque tamen a civitatibus fuerunt neglecta vel immutata vel pro arbitrio rescissa. — Quaeritur, utrum concordata revera sint pacta bilateralia, an solum unilateralia. Prior sententia est communis inter canonistas catholicos; altera statuitur vel a protestantibus, qui concordata habent privilegia a civitate concessa ac proinde ab ea pro lubitu denuntianda, siquidem ecclesia ex se nullum ius habeat [2]); vel statuitur a nonnullis auctoribus catholicis, duce Tarquini, qui docent concordata, saltem si agunt de iuribus ecclesiae e. g. de beneficio conferendo, de episcopis nominandis, ab ecclesia civitatibus concessa ac proinde revocabilia, quando ecclesiae bonum hoc exigere videtur; ea obligare quidem ex fidelitate, non autem ex iustitia. Sed haec sententia, ut dixi, minime est communis, neque conformis est ipsis Pontificum Romanorum declarationibus, et de facto ecclesia semper concordatis stetit tanquam pactis utramque partem obligantibus [3]).

d) *De civitate athea vel interconfessionali:* Civitas athea illa vocatur, quae per se nullam rationem religionis subditorum habet ipsisque permittit credere et facere, quidquid voluerint, modo ne ordinem publicum turbent. Civitas interconfessionalis ea est, quae religionem *christianam* eam quidem in genere veram habet eamque solam tolerat saltem legibus suis, attamen omnes professiones christianas coram legibus aequales habet. Patet, *per se* civitatem atheam esse non posse, quia iure naturae tenetur et ipsa Deum colere; idem *per se* dicendum est de civitate interconfessionali; nam nonnisi una professio fidei christianae vera esse potest, neque licet errorem quatalem tueri (Matth. 16, 18 sq. 18, 17; I Tim. 3, 15; cfr. supra p. 471). Attamen *per accidens* permitti potest, ut civitas saltem directe neque religionis in genere, neque professionis christianae in specie curam habeat, quia bonum *temporale* directe ad ipsam spectat, non cura vitae aeternae, quia civitas veritatem religionis definire nequit, denique quia, si multi certam religionem profitentur, facile pax publica turbaretur, quando civitas eos persequeretur. — Si vero sermo est de civitate catholica, haec sine gravi necessitate

[1]) Cfr. Werns, Ius decretalium (1898—1904) I, 189 sq. Kirchenlexikon, Art. Koncordate. „Staatslexikon": Konkordate (Kreuzwald).

[2]) Ita Sohm: „Die Konkordate sind nicht völkerrechtliche Verträge, sondern nur der Ausdruck eines juristisch irrelevanten Konsenses der Kirche zu einem staatlichen Gesetzgebungsakt".

[3]) Cfr. Werns l. c., p. 218. Kirchenlexikon, l. c., p. 817 sq. Cathrein, Moralphil. II, 706 sq. Sic concordatum, a Leone P. P. X et Francisco, rege Galliae, 1516 stabilitum et a Pio VII et Ludovico XVIII renovatum concluditur: „Haec concordata vim habent veri contractus utrimque obligantis".

religionem falsam *publice* admittere nequit, ita ut iuribus aequalibus gaudeat ac vera religio per leges recognita. Ex hoc autem minime sequitur, cultum *privatum* religionis falsae, imo et ipsos non catholicos persequendos vel ad religionem catholicam cogendos esse; unde tolerantia *personalis* semper adesse debet, non tamen civilis *dogmatica* et *religiosa*, docente s. Augustino: „Corrigi eos cupimus, non necari“ [1]). Attamen si multi sunt subditi non catholici, — et hoc hodie fere ubique locum habet — etiam civitas catholica tolerantiam *publicam* sive *civilem* concedere potest, imo debet, si secus graves discordiae orerentur et pax publica turbaretur. Hoc idem s. Thomas sentit [2]) et Leo XIII, licet tolerantiam falsae religionis reprobet, aperte docet: „Ecclesia non damnat tamen rerum publicarum moderatores, qui magni alicuius aut adipiscendi boni aut prohibendi causa mali, moribus atque usu patienter ferunt, ut (divini cultus varia genera) habeant singula in civitate locum“ [3]). Quamvis igitur tolerantia dogmatica et religiosa per se non liceat (cfr. Syll. Pii IX prop. 55, 77—79), quia perfectam separationem civitatis et ecclesiae supponit tanquam *statum normalem*, ut falsus Liberalismus, cum Locke, St. Mill, necnon multi „modernistae“ nostri temporis docent [4]), licet tamen civitati tolerantiam habere civilem, imo nonnunquam necessaria est [5]) ad maiora mala vitanda.

Separatio perfecta societatis civilis et ecclesiasticae in Statibus unitis Americae septemtrionalis habetur; attamen mormonismus propter polygamiam immoralem non toleratur et scholae catholicae nonnunquam vexantur. In Anglia per se habetur paritas cultus, ita tamen ut sola ecclesia anglicana privilegiis publicis gaudeat. In aliis civitatibus Europae principium

[1]) Epist. 100 alii 127.

[2]) S. Theol. II, II, qu. 10 art. 11.

[3]) Encycl.: „Immortale Dei.“

[4]) Ita Encycl. Pii X „Pascendi“: „Status ergo ab Ecclesia dissociandus, sicut etiam catholicus a cive. Quamobrem catholicus quilibet, qua etiam civis, ius atque officium habet, Ecclesiae auctoritate neglecta, eius optatis, consiliis praeceptisque posthabitis, spretis immo reprehensionibus, ea persequendi, quae civitatis utilitati conducere arbitretur. Viam ad agendum civi praescribere praetextu quolibet, abusus ecclesiasticae potestatis est, toto nisu reiciendus.“ Modernistae igitur, sicut separant statum ab ecclesia, catholicum a cive, ita etiam fidem a scientia: illam dicunt ex cordis affectu primitivo oriri, nulla praecedente cognitione rationali (cfr. supra p. 227 nota 3), et Deum ipsum modo confuso exhibere (Immanentismus); hanc autem rerum phaenomena scrutari, neque Deum veritatesque religionis certo cognoscere posse (Agnosticismus); affectum autem religiosum primitivum successive tum in singulis hominibus tum in genere humano se evolvere, unde diversae religiones ortae sint (Evolutionismus), pro suo quaeque tempore verae. (Cfr. Chr. Pesch, Theolog. Zeitfragen, 4 Folge, 1907; L. Stimmen, 1908, p. 1 sq.)

[5]) Cfr. Kirchenlexikon, Art. Toleranz (Pohle), ubi plura de hac re invenies. Heiner, Syllabus, 1905.

quidem paritatis cultus adoptatur, paritas autem in praxi nullibi plene habetur, siquidem viri vere catholici, praesertim autem ordines et congregationes religiosae, fere ubique vi vel fraude libertate actionis vel etiam iuribus publicis privantur. In civitatibus autem hodiernis, in quibus religio catholica adhuc religio publica habetur, ut in Italia, Hispania, in Lusitania, in Statibus Americae meridionalis et australis [1]), alii cultus ubique tolerantur, imo maiore nonnunquam gaudent libertate, quam religio catholica!

Immerito quidam religioni catholicae exprobrant, quod medio aevo alios cultus persecuta fuerit, imo eorum fautores morte punierit (Inquisitio, Albigenses, Giordano Bruno etc.). Illo enim tempore religio catholica erat ipsa religio civitatis et ab omnibus tanquam vera habebatur, ita ut haeresis etiam ut crimen civile haberetur, multo gravius et periculosius, quam alia crimina, quae tunc morte puniebantur. (Cfr. supra p. 278). Accedit, quod ipsa ecclesia poenam mortis neque decernebat, neque exsequebatur, sed solum sententiam de haeresi *formali* pronuntiabat, quo facto haereticus „brachio saeculari“ i. e. potestati civili tradebatur iuxta eius leges puniendus. Denique addendum est, haereticos medii aevi saepe pacem publicam turbasse vel cultum vel proprietatem catholicorum violantes, ut Albigenses, necnon Hussitae et Wicleffitae docentes, principes peccato gravi obnoxios eo ipso potestate sua in homines christianos privari, neque ecclesiam ius proprietatis habere.

Neque in hac re aliud sentiebant haeretici, qui si poterant, catholicos crudeliter persequebantur. Idem dicendum est de Reformatoribus, praesertim de Calvinistis et Puritanis, qui catholicos vi exstirpare conabantur (e. g. Calvinistae in Helvetia, in Gallia, in Batavia). Lutherus ipse in sanguine episcoporum manus lavandas esse praedicat; imo protestantes hoc nomen anno 1529 acceperunt, quando contra diaetae Spirensis decretum, catholicos sub ditione principum lutheranorum degentes propter fidem et cultum suum non esse molestandos sed tolerandos, protestabantur, et doctrinae suae de libertate fidei — ergo etiam catholicae — ex *sola* s. Scriptura formandae obliti, principium statuebant: „Cuius regio, eius religio“. Quis nescit, quomodo Catholici in Batavia, Suedia, Dania, Norwegia, in multis partibus Germaniae, in Britannia et Hibernia [2]) quasi usque ad internecionem vexati vel expulsi sint. Neque hodie, quamvis principium paritatis et tolerantiae ubique per leges proclametur, vera paritas catholicis in rebus civilibus conceditur. Praesertim protestantes in Germania continuo contra catholicos excitantur associationibus quibusdam ad hoc excitatis (Evangelischer Bund 1886; Protestanten-Verein 1863; Gustav-Adolf-Verein 1832), et postulatio tolerantiae (Toleranzantrag), iam anno 1900 a deputatis catholicis in diaeta imperii facta, ut cultus religionis catholicae in omnibus partibus imperii libere exerceri, ecclesiae aedificari, libertas actionis haberi et societates religiosae (praesertim

[1]) Praeter rempublicam Brasiliensem ex anno 1899, in qua status et ecclesia separata sunt, ita tamen ut pax et concordia inter utramque partem sit; in Gallia autem respublica ecclesiam opprimit atque persequitur.

[2]) Hiberni propter fidem suam maxima parte territorii sui (9/10 fere: 10000000 iugera agri) spoliabantur, ita ut plerique fame perirent vel emigrarent.

soc. Jesu) olim expulsae redire possint, usque hodie a gubernio non concessa est, quamvis plerique deputati huic postulationi consenserint.

II. *De iuribus et officiis civitatis respectu moralitatis.*

Principia: Iam ostendimus (supra p. 436 sq.), bonos mores civium esse fundamentum salutis publicae. Profecto, quomodo civitas salva et sana esse posset, si cives sunt inobedientes, intemperantes, insolentes, impudentes? Multum igitur interest civitatis, moralitatem civium promovere. Hoc autem fieri potest directe et indirecte.

1. *Directe* fieret, si auctoritas publica ipsum exercitium virtutis e. g. temperantiae, modestiae, castitatis, amoris proximi legibus praescriberet et peccata omnia contra illas virtutes castigaret. Patet, hoc non esse munus auctoritatis publicae; nam a) eius finis est salus *publica* eaque *externa* et *temporalis*. *Atqui* exercitium virtutis est quidem officium cuiusque civis, attamen *privatum*, non publicum; est bonum nobis *internum*, quod vitam *aeternam* spectat. b) Deinde auctoritas publica directe non imponere potest, quod nullo modo vi extorquere valet (cfr. supra p. 363). *Atqui* virtus est actus internus voluntatis liberae, qui actus nunquam extorqueri neque per se ab ullo homine attingi potest. — Neve dicas, saltem exercitium externum virtutis ab auctoritate publica praecipi et extorqueri posse; nam actus externus per se solus non est moralis, sed totam moralitatem suam ab actu libero voluntatis recipit; et periculum tunc hypocrisis adesset, quae esset maxima corruptio, neque unquam civitas fuit, quae etiam virtutes illas privatas civium praescripserit. *Ergo* non est officium directum civitatis qua talis, mores civium vitamque privatam legibus ordinare.

2. *Indirecte* auctoritas publica mores et virtutes civium promovet: a) si religionem, praesertim christianam, cuius munus est, directe salutem aeternam et media ad eam sc. virtutes procurare, adiuvat tuendo eius doctrinam et cultum contra iniurias adversariorum, promovendo eius auctoritatem et activitatem in civibus etc. Attamen in hac tutela et cooperatione praestanda auctoritas civilis cavere debet, ne libertatem ipsam ecclesiae opprimat seseque quasi eius loco ponere velit; tunc enim influxus ecclesiae spiritualis pessumdatur, ut historia ecclesiae orientalis (Byzantinismus) necnon Russiae et sectarum protestantium, imo etiam ecclesiae catholicae (Gallicanismus, Josephinismus) testatur. b) Auctoritatis civilis est, violationem morum publicam i. e. scandala reprimere, ne insolentia et intemperantia impunita alios seducat, quum mala exempla magis alliciant quam bona. Debet igitur auctoritas civilis vetare et punire clamores vel iniurias hominum insolentium et ebriorum in publico, vestitum inhonestum contra bonos mores, imagines et statuas obscoenas

publice expositas, theatra obscoena; debet invigilare in cauponas, ne earum numerus nimis excrescat neve artificiis quibusdam illicitis (servarum procacitate, tempore vetito, nocte vel durante officio divino etc.) viros ad ebrietatem et luxuriam pelliceant. Quibus in rebus magistratus hodie — pro dolor — nimis indulgentes sunt (Varieté, Tingeltangel); quid mirum, quod tot viri ebrietati et luxuriae dediti sint et familiarum et civitatis detrimento (cfr. supra 257, 288). c) Tandem auctoritas publica etiam libros debet prohibere, qui aperte religionem christianam, imo et naturalem, necnon bonos mores corrumpunt, quidquid aliqui vociferantur, quasi progressus scientiarum inde impediatur [1]). Religione enim et moralitate destructa, fundamentum ruit civitatis, neque illud potest esse verum neque progressus ullus, quod religioni christianae et bonis moribus repugnat. Libertas igitur scientiae intra limites veritatis et moralitatis christianae omnino iusta est atque concedenda; non autem libertas absoluta, quae non est humana, sed effrenata licentia [2]). Etiam hac in re auctoritas publica nimis connivens esse videtur, praesertim respectu eorum, quos ipsa magistros iuventutis constituit, ita ut Bebel socialista publice in diaeta affirmare potuerit, se illud idem docere, quod professores ab ipsa civitate instituti.

Coroll.: De prostitutione. Specialis quaestio est de prostitutione, malo illo ingenti omnium civitatum omniumque temporum, quod sanitatem et corporis et animae pessumdat. Hoc vitium in eo consistit, ut mulieres quaedam non una vel altera vice contra castitatem peccent — haec enim esset fornicaria; neque in eo, ut cum certo individuo sine coniugio convivat — haec enim esset concubina; sed in eo est, ut mulier victum sibi comparet (gewerbsmässig) omnibus viris sese offerens vel tradens ad peccatum. Romae olim tempore imperatorum 46 lupanaria et 20 templa Veneris „luteae" fuisse dicuntur [3]); anno 1900 in Germania 200000 fere mulieres prostitutae erant [4]). Duplex distinguitur: legalis et clandestina. *Legalis* est, quae ab auctoritate publica permittitur, vel ita, ut nulli inspectioni ex parte magistratus subsit,

[1]) Vetat quidem codex noster poenalis (§ 166) „contumeliam" verbis vel scriptis religioni christianae illatam; sed haec contumelia pro opinione iudicum diversa accipitur et plerumque strictissime declaratur. Dolendum autem est, quod plerique auctores, praesertim multi professores ab ipsa civitate instituti, impune exsistentiam Dei personalis, animae rationalis, immortalis et veritates fundamentales religionis christianae „scientifice" negare atque impugnare possint. Idem dicendum est de § 184, quo libri et imagines obscoenae prohibentur, sed valde differunt de interpretatione vocis abscoenae et sub praetextu artificii obscoenitates saepe excusantur. Inde illa lex „Heinze" anno 1900 a Roeren proposita necnon uniones illae virorum et mulierum nuper factae ad immoralitatem publicam reprimendam. (Cfr. Marx, Der Kampf gegen die öffentliche Unsittlichkeit 1907 [Charitasschrift Nr. 18]. Roeren, lex Heinze, 1901; die Sittlichkeitsgesetzgebung der Kulturstaaten 1907). [2]) Cfr. supra p. 277 sq.

[3]) Grupp, l. c. I, p. 323. [4]) Roesler l. c. p. 485; cfr. supra p. 260 et 288.

vel ita ut prostitutae debeant inscribi in catalogo, ut inspectioni magistratus ratione morum et sanitatis subsint, ne nimis viros alliciant et forte morbo venereo afficiant. Propterea nonnunquam a medico inspiciuntur saepeque eis certum domicilium (Bordell, lupanar) vel saltem certus vicus in terminis civitatis assignatur, quem sine permissione deserere non licet (Reglementierung). — Prostitutio *clandestina* ea est, quae in civitatibus, ubi prostitutio legibus regulatur, locum habet, quin tamen magistratui innotescat. Haec prostitutio clandestina multo frequentior est quam legalis; e. g. Berolini 5000 „legales“, sed 40000 clandestinae esse dicuntur. Magna controversia habetur, utrum auctoritas publica prostitutionem omnino prohibere, an permittere debeat, et si permittit, legibusne eam moderare debeat necne. Apud veteres prostitutio publica non erat vetita. Apud Babylonios iam tempore Hammurabi in templo Dei Marduk feminae prostitutae habebantur tanquam deo sacrae et publicis sumptibus sustentabantur; insuper cauponae, quae a feminis habebantur, totidem lupanaria fuisse videntur. Idem fere dicendum videtur de Romanis, qui praeter lupanaria fornicationis causa etiam cauponas necnon synagogas et templa Isis frequentabant. Athenis quidem prostitutae ab urbe ipsa arcebantur et in suburbiis versari iubebantur, non tamen peccatum neque dedecus habebatur lupanaria frequentare; imo Socrates ipse discipulos ad fornicariam deduxit eam monens, ne tam facile sese prostituat, sed pretiosiorem se atque magis concupitam reddat[1]). Ipse tamen sese abstinuit et ad exemplum suum discipulos hortatur[2]). Non potest esse dubium, quin christiani hoc vitium omnino abominati sint, hortante apostolo, ut templum Dei i. e. corpus suum sanctum habeant (I Cor. 3, 16 sq.; Gal. 5, 19). Inde mulieres prostitutae, teste s. Augustino[3]), ab ecclesia eiciebantur neque reconciliabantur, nisi gravi poenitentia peracta (cfr. Luc. c. 7; Maria peccatrix conversa; meretrices Thais, Pelagia, Afra poenitentes)[4]). Attamen iam s. Augustinus videtur anceps fuisse, utrum praestet, auctoritatem publicam prostitutionem vetare an permittere, quia exstirpari nequeat, ne maius malum i. e. maior huius vitii clandestinitas oriatur. Ita etiam medio aevo pleraeque civitates permittebant prostitutionem, attamen plerumque eam inspectioni publicae obnoxiam, in domus quasdam suburbii relegabant, ubi sub ordine a magistratu constituto laborare debebant, et si in publicum[5]) prodibant, vestibus quibusdam eis praescriptis omnibus notae erant.

Nostro quoque tempore non una est auctorum in hac re sententia neque eadem legum praescripta. In plerisque civitatibus duce Napoleone I prostitutio hodie non prohibetur, sed „regulatur“. Ita lex germanica prae-

[1]) Cfr. Xenophon, Memorabilia Socratis III, 11.
[2]) Cfr. Plato, Symposion, 21—35.
[3]) Cfr. Augustinus, De fide et operibus c. 15, 18.
[4]) Cfr. Roesler, p. 221 sq.
[5]) Ibid. p. 307 sq. Quare ipse Bücher: „Jedenfalls stechen sie (diese Ordnungen des Mittelalters) vorteilhaft ab gegen die Massregeln moderner Sittenpolizei, welche in diesen Dingen noch immer zwischen weitherziger Duldung und radikaler Unterdrückung einen nicht sehr würdigen Eiertanz aufführt.“ Quid ecclesia ad eas convertendas fecerit, vide Roesler ibid. et supra p. 288.

scribit, ut prostituta sub poena detentionis (Haft) debeat catalogo inscribi, ut subsit inspectioni quoad mores et sanitatem, quam si effugit, detentione punitur[1]). Hanc autem „reglementationem“ prostitutionis, praesertim si etiam tributa imponuntur prostitutis pro „lucro“ facto, multi omnino reprobant. Alii condemnant quidem prostitutionem in se, attamen eam legibus non directe, sed solum indirecte, excessibus publicis puniendis, coercendam esse affirmant, primum quia coerceri nequeat, quin clandestina augeatur, deinde quia legibus civitatis quasi cohonestetur, tertio quia mulieres durius tractantur quam viri, qui saltem aeque illis legibus subiciendi essent. Unde associatio quaedam orta est anno 1875, a Josephina Butler fundata (Fédération abolitioniste internationale) et ab Emilie de Morsier, Guillaume-Schack, Bieber-Böhm, Felicitas Buchner, Agnes Mac Laren aliisque propagata, quae congressibus internationalibus (Genf, Paris, Dresden) opinionem publicam sibi conciliare conatur. Alii legibus prostitutionem omnino prohibendam esse censent utpote saluti publicae maxime nocivam; ita praesertim sentit associatio a Bieber-Böhm 1889 excitata („Jugendschutz“). — Quamvis pro utraque sententia graves rationes adduci possint, prior tamen videtur praeferenda, cui etiam viri ecclesiastici multi favent, e. g. Leo XIII et Pius X[2]). In eo autem deficiunt multi — est enim illa societas per se interconfessionalis — quod in hac quaestione solvenda parum religioni tribuunt, sed ut mulieres „progressae“ omnimodam aequalitatem oeconomicam civilem et politicam virorum et mulierum postulant, inde moralem regenerationem sexus muliebris sperantes. Verum est, multas feminas sese prostitui necessitatis causa, attamen pleraeque hoc faciunt propter libidinem lucrumque facile, quare motivis potius religiosis et moralibus corrigendae sunt, sicut Ecclesia catholica hoc per multa saecula, praesertim in institutis suis, iam fecit (cfr. supra p. 288). — Ex anno 1886 in Britannia leges civiles de prostitutione i. e. „reglementatio“ abrogata est, et effectus inde secuti videntur esse boni; est fructus confoederationis abolitionisticae, cui etiam aliae societates mulierum necnon associatio internationalis contra puellarum emptores (Mädchenschutzverein) accedunt[3]).

III. *De iuribus et officiis civitatis respectu scientiarum et artium.*

1. *Principia:* Quum scientiae artesque, quibus etiam institutionem liberorum in scholis primariis adnumeramus, non solum decori sint civitati, sed etiam saluti publicae prosint — inde enim omnis fere progressus „culturae“ externae habetur —, patet, etiam civitatis interesse, scientias artesque, quantum possit, promovere. Iam vero duplici modo hoc fieri potest: *directe* et *indirecte*. a) *Directe* fit, si auctoritas publica ipsa scholas erigit, doctrinam definit, magistros instituit et omnes vel certos quosdam subditos cogit scientias illas artesque addiscere. Haec est sententia socialismi, neque vete-

[1]) Cfr. StGB. § 361, 6.
[2]) Cfr. Roesler, p. 489.
[3]) Cfr. de tota hac quaestione Roesler l. c. p. 150, 307, 452 sq.

res, societati nimis tribuentes, satis ab hac sententia aberant[1]). Patet, hoc nullo modo pertinere ad auctoritatem publicam, primum quia doctrinam veram ac certam per se definire nequit; neque enim est infallibilis neque tanquam magistra veritatis constituta; deinde quia hoc modo periret libertas civium et privata subditorum industria atque sollertia. b) *Indirecte* autem auctoritas publica scientias artesque promovet, si industriam et sollertiam privatam adiuvat, ut excitetur et melius finem suum consequatur.

Neve dicas, scientias artesque esse bona temporalia et pertinere ad salutem publicam ac proinde esse obiectum directum auctoritatis publicae. Neque enim omne bonum temporale neque quidquid aliquo modo cum salute publica cohaeret, est obiectum *directum* auctoritatis civilis; alioquin ea omnia bona etiam privata administrare deberet. Sic etiam pertinet ad publicam salutem, ut paterfamilias bona familiae bene administret, ut personae aptae matrimonium ineant, ut liberi bene nutriantur, ut fabricarum, fodinarum vel bancarum directores rem bene gerant, attamen nemo civitati tribuit munus iusque illa negotia directe administrandi; sunt enim munera privata, quae etiam industriâ privatâ melius geruntur quam publicâ. — Neve obicias, scientias et artes *necessarias* esse ad culturam externam promovendam, quae ad civitatis sphaeram pertinet. Nam a) non verum est, scientias et artes saltem perfectiore gradu simpliciter necessarias esse civitati; sunt enim et erant multae civitates, quae non omni quidem scientia et arte, attamen gradu perfectiore carebant e. g. gentes, quae dicuntur barbarae, quae tamen omnia ad statum necessaria habent. b) Verum quidem est, civitatem non habere culturam in gradu perfectiore, nisi scientiae artesque certo modo floreant. Attamen ad hunc gradum culturae i. e. scientiae et artium obtinendum non requiritur civitatis directa administratio, siquidem alia saepe media progressus per privatam industriam adsunt, plerumque aptiora ad *verum* progressum promovendum, quam organa auctoritatis publicae. Sic cultura externa Graecorum, Romanorum, Babyloniorum, Aegyptiorum per industriam privatam magna erat et in multis admirabilis, quin tamen civitas ipsa scholas publicas instituerit, sicut hodie apud nos. Sic medio aevo scientiae artesque florebant, multaeque scholae et inferiores et superiores aderant, quas tamen auctoritas civilis minime curabat, sed industria privata et praesertim auctoritas ecclesiae.

[1]) Cfr. Arist. Polit., VIII, 1: „Quoniam finis unus omni civitati praepositus est, perspicuum est, etiam unam et eandem omnium necessario esse disciplinam, quemadmodum *nunc sui cuique filii curae sunt et privatim, et privatam disciplinam*, quam cuique visum fuerit docere, suis filiis tradenti. ... Leges igitur de disciplina et institutione esse scribendas. Atque hanc *communem et publicam esse oportere* perspicuum est.“ Communis igitur haec institutio, quam Aristoteles desiderat, ipso fatente, tunc i. e. tempore culturae summae non habebatur Athenis, neque antea neque postea; neque ipse Aristoteles hanc postulat nisi pro liberis civium, non servorum et libertinorum, neque pro puellis. Ceterum constat, Aristotelem munus finemque civitatis exaggeravisse (cfr. supra p. 430), neque ulla veterum civitas talem disciplinam communem instituit — exceptis forte Lacedaemoniis solius rei militaris studiosis.

2. *Conclusiones:* Ex hac potestate indirecta civitatis sequitur: a) eam posse, imo debere omnem doctrinam artemque supprimere, quae aperte principiis evidentibus verae religionis et moralitatis repugnat. Sunt enim quaedam veritates naturales certae atque evidentes, et fides christiana certo docet, quae sit vera religio veraque moralitas. Inde factum est, ut imperatores et reges christiani omnem doctrinam haereticam vetarent. Imo etiam civitas hodierna, licet „interconfessionalis“, non omnem admittit doctrinam, e. g. sectam Mormonum, doctrinam „dissidentium“, praesertim vero omnem theoriam socialisticam reprobat. b) Positive autem scientias artesque promovere potest: α) eo quod certam scientiam ab eis postulat, qui *munere publico fungi* desiderant, ipsis permittens, utrum privatim an in schola aliqua privata vel publica scientiam hanc acquirant. Ad hunc autem effectum certo obtinendum licet auctoritati publicae examen praescribere, quin etiam quaedam de materia et ordine discendi et docendi in scholis privatis statuere, modo ne libertas doctrinae scholarum nimis restringatur. β) Porro licet auctoritati civili scholas tum elementares, tum superiores instituere, si tales vel non vel non sufficientes exsistunt, ut omnibus occasio et incitamentum institutionis praebeatur. Attamen per hoc libertas civium non est restringenda, ita ut scholae privatae praeter publicas prohibeantur sive directe per legem, sive indirecte, eis tanta onera (inspectionem odiosam, exceptiones quoad discipulos vel doctrinam vel tempus) imponendo, ut non possint exsistere. Ita enim omnis concurrentia excluderetur, auctoritas publica revera unica magistra veritatis infallibilis haberetur, et vita spiritualis et moralis totius nationis dirigeretur, prout quisque minister cultus sive instructionis publicae id decreverit[1]), ad instar formalismi Sinensium (cfr. supra p. 486).

[1]) Non immerito, licet paulisper exaggerans, *Schopenhauer:* „Mit der Universitätsphilosophie ist es in der Regel blosse Spiegelfechterei: Der wirkliche Zweck derselben ist, den Studenten im tiefsten Grunde ihres Denkens diejenige Geistesrichtung zu geben, welche das die Professuren besetzende Ministerium seinen Absichten angemessen hält. Darin mag dieses, in staatsmännischem Sinne, auch ganz recht haben, nur folgt daraus, dass solche Kathederphilosophie ein nervis alienis mobile lignum und nicht für ernstliche, sondern für Spassphilosophie gelten kann.“ (Die Welt als Wille und Vorstellung, II, 180.) Similiter *Cauer* et ipse protestans et rei scholaris peritus: „Der Gedanke, dass der Staat durch positives Eingreifen die Wirkung einer geistigen Macht, wie die Schule ist, erhöhen und beleben könne ... ist der Grund alles Übels. ... Dezentralisation ist das A et O unserer Wünsche“ (Apud Cathrein, l. c. p. 571). Similiter Rein, paedagogus celeber necnon Th. Ziegler, professor philosophiae et paedagogiae Argentorati, uterque minime „ultramontanus“ (cfr. Scholastikus, Die geistliche Schulaufsicht, 1904, p. 44 sq.). Et Willmann, inter philosophos et paedagogos celeberrimus: „Die Schulen sind nicht Einrichtungen des Staates, und die Bildungsarbeit

Sic recenter in Gallia scholae Congregationum religiosarum tam frequentatae publicisque et disciplina et doctrina plerumque superiores suppressae sunt[1]). Neque apud nos libertas illa institutionis servatur, quae per ipsam nostram constitutionem conceditur vel saltem promittitur[2].)

γ) Non videtur extra ambitum auctoritatis publicae esse, etiam *omnibus civibus* quaedam praescribere, quae ad minimum discenda sunt, utpote necessaria *pro statu hodiernae civilisationis* e. g. legere, scribere, calculare — id quod iam primo anno trivii medio aevo discebatur. Sed hoc iam parentibus incumbit, haec necessaria liberis vel per se ipsos vel per alios tradere. Quodsi constat, parentes hoc officium negligere, videtur esse munus auctoritatis publicae eos ad hoc cogere (Lernzwang). Scholae autem primariae a communitatibus civilibus (Civilgemeinden) instituendae sunt, quae, nisi ad hoc sufficiunt, tota civitas succurrere debet, ut de facto apud nos locum habet.

Non tamen apparet ulla necessitas sive utilitas, tot rebus memoriam liberorum onustare, quot hodie praescribuntur, ita ut necessaria saepe minus quam olim inculcentur. Auctoritas autem publica limites potestatis suae excedere videtur, si parentes cogit, liberos omnes sine discrimine per certum numerum annorum scholis iisque publicis a civitate institutis tradere, praesertim si parentibus vix ullus influxus in magistris eligendis et modo docendi conceditur; videtur esse laesio quam maxima libertatis familiae et iurium parentum, imo expropriatio summi boni, quod familia possidet. (Schulzwang und Staatsschule)[3]).

ist nicht von ihm in Gang gesetzt, er hat jene und diese vorgefunden und fortgeführt. Der Staat ist nicht der Bilder des Volkes, sondern wenn er seine Aufgabe recht erfasst, nur der Verwalter des dem Volk gehörigen Bildungskapitales" (Didaktik 1889, II, 482). Cfr. Staatslexikon, Art. Staatskirchentum (Biederlack).

[1]) Cfr. Hammerstein, Die Schulfrage 1877², p. 81 sq. Schulmann, Die Volksschule vor und nach Luther 1903, p. 91—105.

[2]) Constitutio (de die 31 Jan. 1850) art. 22 statuit: „Unterricht zu erteilen und Unterrichtsanstalten zu gründen und zu leiten, *steht jedem frei*, wenn er seine sittliche, wissenschaftliche und technische Befähigung den betreffenden Staatsbehörden nachgewiesen hat." Hic autem articulus vere liberalis per art. 112 suspenditur, usquedum lex generalis de institutione mox edenda statuta sit. Haec autem lex usque modo exspectatur. Licet nova lex de die 28 Julii 1906 scholam primariam confessionalem retineat et multa de scholis primariis ordinandis statuat, lex tamen generalis promissa nondum facta est et libertas influxusque auctoritatis ecclesiasticae magis adhuc restringitur. (Cfr. Rintelen, Die Volksschule Preussens in ihrem Verhältnis zu Staat und Kirche 1908, p. 291 sq. Scholastikus, Die geistliche Schulaufsicht 1904).

[3]) Cfr. v. Hammerstein, Das preussische Schulmonopol 1893. Jansen, De facultate docendi, Parisiis 1885. Pierret, L'esprit moderne 1903, p. 183 sq., liber perutilis in hac quaestione ad legendum, quia statum tristissimum scholae „laicae" tum primariae tum secundariae in Gallia describit.

Hae scholae ab auctoritate publica institutae, saltem primariae, debent esse *confessionales* i. e. neque atheae neque simultaneae neque sine ulla religionis institutione: *Non atheae*, quia neque civitas ipsa potest esse athea et abstrahere ab omni religione; neque liberi solum instruendi, sed educandi sunt, quia quivis homo debet Deum colere hocque ab infantia sua. — *Non simultaneae*, quia si liberi diversae confessionis simul instruuntur, etiamsi doctrina christiana eis separatim traditur, tamen teste experientia pax inter confessiones facile turbatur, quia neque magistri neque liberi fidem suam prorsus simulare vel seponere possunt, praesertim in rebus historicis et scientiis naturalibus; et si fidem suam seponunt, fides non iam est viva et mox perit vel indifferentismus inde sequitur. — Non *sine religione ulla*, quia fere idem est atque schola athea, quum religio et moralitas aliqua communis, quae neque catholica neque protestantica sit, potius nulla est ac prorsus inefficax, ut numerus continuo crescens delictorum aetate minorum praesertim in Gallia docet, si comparatur cum numero delictorum discipulorum scholarum vere christianarum[1]). Non igitur mirum, quod „liberales" et religionis christianae inimici scholam non confessionalem postulant, omnes autem viri vere christiani tum catholici tum protestantes scholas confessionales[2]), quippe quum ex doctrina scholarum primitivarum plerumque mores animique generationis futurae dependeant[3]).

At nonne scholae superiores, gymnasia et academiae plerumque sunt simultaneae? Cur igitur non primariae? Respondeo: α) Profecto, valde desiderandum esset, etiam scholas superiores esse confessionales pacis et educationis causa; unde catholici, ubi possunt, tales scholas instituunt. Sed si auctoritas publica, praesertim in populatione mixta, eas vel non permittit, vel solas simultaneas instituit, hoc malum potest et debet admitti, ut doctrina ad officia publica necessaria ibi acquiratur, modo ne religio et boni mores pereant. β) Non est paritas inter scholas primarias et superiores, quia in illis discipuli non solum docendi, sed etiam educandi sunt, qua in re religio est maximi momenti; in his autem discipuli plerumque iam satis sunt educati, unde potius in doctrinis variis docendi sunt. γ) Denique discipuli scholarum superiorum ipsi iam sciunt ratiocinari, unde facilius contra pericula praemuniri atque confortari possunt.

Scholae publicae non ita instituendae sunt, ut quivis civis obligetur, liberos suos eis tradendi, ne libertas parentum in hac re tam gravi omnino tollatur (Staatschule- und Schulzwang), praesertim si magistri vel modus doctrinae parentibus displicent (konfessionslose, Simultanschulen); esset enim despotismus quam maxime detestabilis. Quare etiam scholae privatae admittendae sunt tum primariae tum superiores, id quod mutuam aemulationem ac proinde progressum scholarum excitat. Hoc praesertim in Britannia et America locum habet; in Gallia vero nuper haec libertas institutionis a republicanis et liberalibus abolita est maximo et doctrinae et moralitatis

[1]) Cfr. Nilkes, Schutz- und Trutzwaffen, 1901⁵, p. 15 sq.

[2]) Kriege, Die Simultanschule im Lichte der Wahrheit, 1906.

[3]) Lege, quid Diesterweg antesignanus paedagogorum „liberalium" de hac re fateatur, apud Cathrein p. 584.

damno; potest autem civitati ius concedi, scholas privatas inspiciendi et examinandi, modo hoc fiat animo sincero et sine partium studio et civitas his scholis succurrat, si opus fuerit, ut fit in Britannia et Belgica.

De relatione ecclesiae christianae ad scholas.

Haec relatio considerari potest ex iure naturae, ex iure positivo christiano, ex historia. a) Si *ius naturae* spectatur, ecclesia christiana, praesertim catholica, ut coetus hominum legibus et institutis quibusdam ordinatus atque organisatus, naturalem potestatem habet scholas instituendi, siquidem haec libertas a iure naturae cuique inest; vidimus enim, auctoritatem publicam debere scholas privatas admittere libertatis et progressus gratia, praesertim quum non sit eius munus directum scholas instituendi. Iniuriam igitur infert ecclesiae, si eam prohibet a scholis erigendis, id quod hodie sub falso nomine libertatis et progressus scientiarum in plurimis civitatibus fit. b) Si vero *ius positivum christianum* spectatur, ecclesiae debetur ius multiplex in scholas: α) *Ius directum*[1]) in doctrinam *religionis et morum*, siquidem ipsa sola tanquam magistra fidei et dux ad vitam aeternam constituta est. Hoc autem ius potissimum in scholis primariis exercendum est, in quibus liberi non solum docendi, sed etiam educandi sunt. Inde scholae simultaneae et „laicae" i. e. atheistae primariae prorsus reiciendae sunt, quia in ipsis religionis vel nulla vel non sufficiens ratio habetur. Hoc ius directum in scholas *vi religionis et morum* ecclesia etiam in scholis superioribus habere debet, unde in his scholis inspectio ex parte ecclesiae respectu librorum, magistrorum, doctrinae religionis et morum exercenda est. β) *Ius indirectum* etiam quoad alias doctrinas, in quantum cum rebus fidei et morum cohaerent. Quum autem, omnibus paedagogis fatentibus[2]), in scholis *primariis* (Volksschulen) tota doctrina atque institutio finem educationis respicere ac proinde in ipsa religione inniti debeat, inspectio aliqua in totam institutionem primariam ecclesiae est concedenda, vel ita ut parochi sint inspectores scholarum parochialium (geistliche Schulinspektion), vel ita ut saltem in schola administranda, in magistris eligendis, in examinibus habendis (Schul-

[1]) Cfr. Cathrein, Kirche und Schule mit besonderer Berücksichtigung Preussens, 1896. Cfr. eundem auctorem L. Stimmen, 1908, p. 256 sq.: Zur Schulaufsichtsfrage in Preussen; porro: Histor.-polit. Blätter, 1908, p. 42 sq.

[2]) Ita Rein, paedagogus protestans, hodie a multis laudatus: „Alles Wissen, alles Können, welches der erziehende Unterricht gibt, muss zugleich der *sittlich-religiösen* Charakterbildung dienen" (cfr. Scholastikus, Die geistl. Schulaufsicht, 1904, p. 13, ubi etiam aliorum testimonia adducuntur: Kellner, Kehrein-Keller, Heilmann, Willmann). Rein tamen, sibi non constans, utpote protestans, inspectionem ecclesiae in scholis primariis reicit.

vorstand oder Schuldeputation) partem habeat — id de quo apud nos nunc magna habetur controversia[1]). — Eadem ratio valet etiam pro scholis superioribus, ita ut auctoritati ecclesiasticae in eis quoque inspiciendis vel administrandis locus concedendus sit; attamen quum plerique cives scholas superiores non adeant, neque educatio sive progressus in fide et moribus, sed in scientiis artibusque mundanis in eis per se intendatur, non tanta est pro eis necessitas inspectionis ecclesiasticae, quanta in primariis. Non autem dubium est, quin hodie parum auctoritatis hac in re ecclesiae tribuatur, quod certe non in profectum, sed potius in damnum scholarum redundat, praesertim respectu moralitatis (cfr. supra p. 258). Neque periculum inde scientiarum pertimescendum est, ut multi praetendunt, siquidem fides vera veritati repugnare non potest, imo certitudine sua fit stella rectrix inquisitionis scientificae (cfr. vol. I, p. 5 sq.)[2]). c) *Iure historico* auctoritas ecclesiastica inspectionem scholarum habuit vel habet; ipsa enim olim scholas christianas tum inferiores tum superiores instituit suis impensis. Apud veteres enim vix erant scholae publicae et solis liberis civium sive ingenuorum patebant neque ulla erat obligatio scholas frequentandi.

Aristoteles, morem sui temporis describens, pueros (puellae rarius scholis intererant) dicit a magistris privatis, plerumque servis vel libertinis in arte grammatica, gymnastica, musica et pictura esse edocendos[3]). Religio vero christiana, doctrinam fidei animis inculcandi studiosa, scholas praesertim parochiales iam primis saeculis excitabat; quas Carolus Magnus pro regno suo in synodo anno 789 Aquisgrani habita praescribit et Ecclesia in Conciliis Lateranensibus annis 1179 et 1215 habitis ubique institui iussit. Ad scholas parochiales accedebant scholae permultae a monasteriis necnon medio aevo a magistratibus urbium erectae, quae tamen non solum doctrinam elementarem (legere, scribere, psalmos cantare), sed etiam mediam et superiorem (*trivium:* grammatica, rhetorica, dialectica, et *quadrivium:* arithmetica, geometria, musica, astronomia) *gratis* tradebant, ita ut his studiis peractis, vel negotiis suis operam darent, vel ad universitatem se conferrent, ut s. Theologiae vel iurisprudentiae vel medicinae studerent. Usque ad Reformationem omnes universitates a Pontificibus Romanis vel fundatae vel saltem approbatae sunt, quare Lutherus saepe vehementer in universitates eius doctrinae obstantes invectus est.

[1]) Cfr. Scholasticus l. c.

[2]) Lege, quid Pierret (l'Esprit moderne 1903, p. 183—245) ex ore adversariorum ecclesiae (Ribot, Lavisse, Bérenger, Fouillée etc.) referat de scientiae, disciplinae, moralitatis, imo etiam patriotismi defectu (Hervée) in scholis „laicis" et primariis et secundariis, expulsis congregationibus scholaribus, quamvis respublica plus 150 000 000 frs. pro scholis laicis expendat; scholae autem congregationum ei nihil constabant — certe, odium religionis excaecat populos.

[3]) Polit. VIII, 3 sq.

Quamvis ecclesiastica auctoritas parentes non cogeret, liberos scholis tradere, teste tamen ipso Luthero [1]), hae scholae valde erant frequentatae, et ecclesia libertatem docendi et scholas instituendi ita tuebatur, ut statueret in Concilio Later. anno 1179, scholasticos, quibus cura et inspectio scholarum incumbebat, sine ratione sufficiente prohibentes magistros idoneos beneficiis suis spoliandos esse, quod decretum ipsi iuri canonico insertum fuit [2]).

Atque hae scholae ab ecclesia potissimum institutae eiusque auctoritati et inspectioni prorsus subditae, per „reformationem" et bella inde orta, praesertim per bellum 30 annorum (1618—1648), fere ubique in Germania perierunt, monasteriis destructis et ecclesiae bonis direptis. Denique principes, quibus Lutherus eiusque asseclae administrationem tum ecclesiarum tum scholarum demandabant, scholas elementares et superiores instituere incipiebant; sic 1559 in Württemberg, 1580 in Saxonia, 1642 in Gotha, 1717 in Borussia, ubi etiam primum parentes cogebantur, liberos in scholam mittere. Atque institutio methodusque harum scholarum per regem Fredericum II anno 1763 denuo ordinata fuit per totam monarchiam [3]), quae ordinatio usque hodie est fundamentum scholae elementaris in Borussia. Eodem tempore scholae et inferiores et superiores, a Concilio Tridentino enixe recommandatae atque praescriptae, etiam in regionibus catholicis multae reformabantur vel novae excitabantur, praesertim opera societatis Jesu (1540), deinde Piaristarum (1597 a Jos. a Calasancio), fratrum scholarum (a Joh. Bapt. de la Salle 1681). Non minus quam 23 congregationes virorum et 74 feminarum, inter quas eminent Ursulinae (1535 a s. Angela Brixiensi) et sorores de Notre Dame (1833), ultimis hisce saeculis ortae sunt ad iuventutem instituendam, idque saepe gratis, quin civitates quidquam conferrent. Etiam paedagogi non catholici et doctrinam et methodum, praesertim vero disiplinam et moralitatem discipulorum scholarum congregationum summis laudibus efferunt, neque raro in examinibus publicis prae aliis scholis praemia recipiebant [4]).

[1]) Anno 1524 scribit: „Es war nicht möglich, dass ihm ein Knabe hätte sollen entlaufen, ohne sonderliche Gotteswunder. . . . Wir erfahren jetzt in deutschen Landen durch und durch, wie man allenthalben die Schulen *zergehen* lässt." Similiter anno 1530 conqueritur de suis: „Da liegen die hohen Schulen Erfurt, Leipzig und andere mehr wüst, sowohl als die Knabenschulen hin und wieder, dass es Jammer zu sehen ist. (Cfr. Schulmann, Die Volksschule vor und nach Luther, 1903, p. 61, 62, 72).

[2]) Decret. Gregor. l. V, tit. 5.

[3]) Cfr. Paulsen, Gesch. d. gelehrten Unterrichtes, 1896 [2]; Specht, Gesch. d. Unterrichtswesens in Deutschland, 1885; Siebertz, Gesch.-Führer, p. 606: Volksunterricht vor der Reformation, p. 319: Mädchenschulen vor der Reformation. Kehrein, Überblick, 1899 [11]; Schulmann, Die Volksschule vor und nach Luther, 1903.

[4]) Cfr. Schulmann, l. c. p. 91 sq., ubi plura invenies de hac re testimonia auctorum etiam non catholicorum. Sic ex plus quam 100 000 discipulis scholarum a Don Bosco Taurinis in Italia institutarum (Salesiani) usque ad mortem institutoris († 1888) ne unus quidem propter delictum punitus fuit; discipuli autem scholarum laicarum propter delicta puniti, teste Garafalo, professore iurisprudentiae Romae, anno 1889 quinta pars omnium punitorum (fere 5000) erant. Item anno 1903 ex 35 000 discipulis eorundem Salesianorum in Gallia nullus erat punitus; sed uno anno 1887 28 000, anno 1906 36 000 minores

Quamvis principes apud nos post Reformationem scholas instituissent, earum tamen inspectionem quasi ex iure nativo et historico parochis tribuebant, usque dum tempore conflictus illius recentis anno 1872 saltem parochi catholici hac inspectione privarentur, quam tamen ex parte anno 1880 recipiebant. Ecclesia igitur etiam apud nos ius quoddam historicum in scholarum inspectionem sive directam sive indirectam habet [1]).

Hodie igitur fere ubique in pagis scholae elementares habentur publicae ab ipsis communitatibus civilibus vel politicis, gubernio concurrente, institutae, in quibus discipuli plerumque ab anno sexto vel septimo usque ad decimum tertium vel quartum *gratis* (excepta Bavaria) docentur. Gubernium et communitates Borussiae fere 350 000 000 M. expendunt quotannis pro scholis elementaribus, i. e. pro quovis discipulo fere 40 M., in Gallia 32 frs., qui sumptus medio aevo quasi soli ecclesiae incumbebant [2]). Anno 1900 apud nos 60 000 scholae primariae erant, in quibus fere 900 000 pueri et puellae a 138 000 magistris instituebantur. Praeterea aderant 1100 gymnasia, in quibus 288 000 adolescentuli a 16 800 docentibus, et 21 academiae, in quibus 46 000 auditores a 2500 professoribus erudiebantur. — Analphabetae, qui neque legere neque scribere sciunt, ultimis annis erant inter 100 adultos (20—30 annos natos) in Germania minus quam 1 %; in Austria, Britannia, Gallia australi plus quam 1—5 %; in Italia superiore 5—20 %, in Italia media et Ungaria 20—40 %; in Italia inferiore et Hispania (excepta urbe et regione Madridi) 40—50 %; in Corsica 50—60 %; in Lusitania et Russia plus quam 60 %. — Noli tamen inde statum adaequatum culturae [3]) diiudicare, modo vera

propter delicta in Gallia diiudicati sunt a tribunalibus; ibidem per statisticam constat, ex 100 minoribus punitis 89 % ex scholis laicis, 11 % ex scholis congreganistarum prodiisse. Anno 1875 5000 minores aetate, anno 1904 9000 minores sibi mortem inferebant, attamen et Salesiani, sicut aliae congregationes, facultate docendi spoliabantur — in republica „libera". In examinibus publicis Hiberniae anno 1897 discipuli scholarum piarum ex 348 praemiis 301 prae discipulis scholarum publicarum i. e. laicarum obtinebant.

[1]) Cfr. Scholasticus l. c. p. 5 sq. Rintelen, Das Verhältnis der Volksschule Preussens zu Staat und Kirche, 1888.

[2]) Schulmann, l. c.

[3]) Quid enim est *cultura?* Cultura (vox primarie ad agros colendos adhibita) opponitur naturae et significat explicationem et transformationem bonorum naturae per industriam humanam ad usum hominum. Distinguitur cultura *externa* et *interna*, prout haec bona naturae transformanda nobis sunt externa e. g. agri, pecora, nutrimenta, vestimenta, supellex, instrumenta, pecunia, status socialis, oeconomicus, industrialis etc., vel interna: intellectus per eius indolem naturalem scientia et artibus explicandam, voluntatis per virtutes perficiendae. Apparet, maximam esse et fuisse hominum differentiam quoad hunc statum culturae; compara homines aetate praehistorica viventes, solo igne et instrumentis rudibus iuventis, cum hominibus nostri temporis, machina vaporis et electricitate utentibus; vel confer etiam hominem rusticum hodiernum cum urbano. Magna tamen differentia est inter culturam externam et internam; illa, quae saepe idque perperam quasi propria et adaequata consideratur, per se non habet valorem moralem, nisi ex interna oriatur vel cum ea coniuncta sit, licet vitam externam commodiorem faciat atque iucundiorem. Interna igitur per se solam habet valorem moralem,

sit cultura, praesertim cordis et moralitatis. Apud nos cognitio litterarum et scientiarum maxime floret, attamen non idem dicendum est de moribus, religione et amore patriae. Vix ulla est gens, in qua socialismus et theoretice et practice, saltem inter protestantes, adeo propagatus sit, quam in Germania. Item alcoholismus, suicidia, divortia, duella necnon peccata contra castitatem apud nos forte latius patent quam apud nationes „romanas“, si Galliam *nostri temporis* excipias. — Similiter in aliis nationibus obligatio exsistit pro liberis publicas scholas saltem per aliquot annos frequentandi; sic in Austria, Gallia, Hispania, Lusitania, Italia, Helvetia, Batavia; (Staatsschule und Schulzwang); in Belgica et Britannia parentes quidem obligantur liberos in scholam mittere, eis tamen permittitur, utrum publicam an privatam praeferant (Unterrichtszwang ohne Schulzwang), et scholae privatae (plerumque confessionales) usque modo tum a gubernio tum a communitatibus adiuvantur. In Statibus unitis Americae nulla est obligatio scholam frequentandi, plerique tamen liberi scholas vel publicas vel privatas adeunt (Schulfreiheit); in Gallia scholis confessionalibus et Congregationibus suppressis de facto liberi coguntur scholas „laicas“ frequentare.

De censura librorum et foliorum.

Libertas libros et folia imprimendi distinguitur *absoluta* et *relativa*. Absoluta adest, quando lex nihil omnino publicandum vetat, etiamsi iustitia, mores, religio violentur. Talis libertas nunquam et nullibi permitti potest, quin ordo socialis perturbetur. Relativa est, si per leges solum certa quaedam publicanda prohibentur; quae censura potest esse minus stricta, si ea tantum lege prohibentur, quae honorem et iustitiam aliorum vel etiam auctoritatem publicam laedunt, non tamen quae moribus et religioni obstant; id quod „liberales“ vel religionis inimici desiderant. Est strictior, si etiam scripta contra bonos mores et religionem vetantur. Haec autem censura potest antecedere ipsa scripta — censura „praeventiva“ — et ea subsequi, ita ut libri vel folia iam publicata supprimantur vel confiscentur.

Olim in omnibus fere civitatibus censura *praeventiva* habebatur, quae tamen ex anno 1848 ubique fere abolita est [1]) et iure meritoque; nam a) hoc physice impossibile esset auctoritati publicae, omnia scripta ante publicationem pervidere; b) ipsa non est iudex veritatis, unde scientia inde impediretur; c) nimis facile, ut historia docet, censura abutitur ex partium studio. Leges tamen civiles ubique quaedam praescribunt de libris et foliis edendis ratione modi et obiecti [2]), et civitati ius reservant scripta contra bonos mores

saltem si consistit in voluntatis nostrae perfectione per virtutes acquisitas. Atque haec sine externa cultura esse potest, quemadmodum externa sine interna. Perfecta igitur et adaequata cultura tunc habetur, quando utraque coniuncta est. Patet autem, culturam internam *cordis* omni alii praeferendam esse, nullamque *veram* sine ea haberi posse (Matth. 7, 15; 23, 27).

[1]) Cfr. Herder, Konversationslexikon, Art. Presse.

[2]) Cfr. Codex poenalis ex anno 1874: Gesetz über die Presse; ut facultas libros vel folia imprimendi et vendendi ab auctoritate publica (Polizeiliche Erlaubnis) concedatur, ibi 31 paragraphis praescribitur, ut nomen et domicilium imprimentis (Drucker) et vendentis (Verleger) in omni scripto non

et religionem vel contra veritatem et honorem civium supprimendi et puniendi; adest igitur censura subsequens [1]). Idque summo iure, siquidem hodie per libros et folia innumera „opinio publica“ formatur i. e. communis aliqua civium persuasio, quae in mores et religionem, necnon in ordinem publicum maxime influit. Memineris, quomodo per Encyclopaedistas (Diderot, d'Adembert, Voltaire, Rousseau etc.) opinio publica formata regnum Galliae olim everterit; quomodo folia socialistica nostro tempore animos pervertant. Neque damnum illud satis aestimari potest, quod praesertim iuventuti hodie ex libris et foliis innumeris imminet respectu religionis et moralitatis, qua in re auctoritas publica saepe parum censurae adhibere videtur [2]). Utinam idem faceret, quod de doctrina socialistica, contra quam censuram i. e. indicem librorum prohibitorum induxit, anno 1882, qui index anno 1884 iam 800 libros continebat, multo plures quam indices ecclesiae Romanae.

Ecclesia catholica duplicem adhibet censuram: *antecedentem* i. e. praeventivam et *subsequentem*. Per *illam* postulat, ut libri de rebus fidei et morum, priusquam publicentur, ecclesiae subsint approbationi, quae „Imprimatur“ vocatur; per *hanc* libri sine illa censura editi reprobantur et prohibentur, ne vendantur et legantur; inde „Index librorum prohibitorum“ ortus est. Ratio, cur ecclesia hanc censuram et antecedentem et consequentem adhibeat et adhibere debeat, obvia est: *Puritas fidei* et *integritas morum*. Haec enim sunt bona omnium summa et necessaria ad vitam aeternam, imo media unica ad salutem. *Atqui* ecclesiae a Deo „depositum fidei“ et vigilantia morum concredita sunt. *Ergo* ecclesia debet habere media sufficientia ad haec bona tuenda. Haec vero media non sunt vis physica adhibenda, quae ecclesiae per se non competit, sed potestas moralis censurae infligendae — Neve dicas, cum multis adversariis necnon aliquibus modernistis, per censuram et indicem progressum scientiarum impediri. Nam agitur aut de scientia fidei et morum, aut de aliis scientiis. *Si primum*, progressus habetur vel eo, quod nova dogmata statuantur vel dogmata iam proposita perfectius cognoscantur atque stabiliantur. Iam vero apud omnes catholicos constat, nonnisi auctoritatem ecclesiasticam, utpote magistram infallibilem veritatis et custodem fidelem depositi fidei (cfr. supra p. 471), novum dogma statuere vel potius veritatem aliquam ad depositum fidei revelatae pertinere declarare posse, quemadmodum solius auctoritatis publicae est, leges constituere. Si vero quis perfectius veritates iam de fide credendas scrutari voluerit, ecclesiae censurae ei errores vitandos manifestant ac proinde vere stella rectrix ei sunt maxime desideranda, sicut iuris prudenti declaratio aliqua legis ab auctoritate facta.

mere privato impresso indicetur, ut auctoritati ipsi exemplar folii periodici, (non scientifici vel industrialis) tradatur, ut simplex rectificatio facti alicuius relati tertiae personae iniuriosi illico publicetur, item publicationes magistratus, et praesertim graves poenae carceris vel pecuniae minitantur pro omni scripto auctoritatis publicae contumelioso vel ad seditionem incitante.

[1]) Ita codex poenalis punit scripta obscoena vel religioni contumeliosa carcere vel pecunia; iubet illa scripta nondum vendita sequestranda esse et typos ipsos destruendos (§ 41, 166, 184).

[2]) Cfr. Marx, Der Kampf gegen die öffentliche Unsittlichkeit 1907, p. 127 sq. (Charitasschriften).

Aliud dicendum est, si agitur de veritatibus ad alias scientias sive naturales sive historicas pertinentibus; tunc auctoritas et censura ecclesiastica de eis *per se* nihil statuunt ac proinde progressum e. g. scientiae physicae, chimicae, biologicae, mathematicae, astronomicae, historicae minime tangunt vel impediunt. Quodsi doctrinae ad has scientias pertinentes *per accidens* cum veritatibus fidei coniunctae, apparent e. g. Materialismus, Pantheismus, Darwinismus, tunc hae doctrinae vel certae sunt vel incertae. Si primum, non potest esse verus, sed ad summum apparens conflictus inter censuram ecclesiasticam et illam doctrinam certo probatam; veritas enim veritati repugnare nequit, et s. Congregatio indicis ex viris et scientia et prudentia tam insignibus constat, ut talis conflictus moraliter impossibilis videatur. — Sin alterum, conflictus non est verus, sed apparens, siquidem veritas ex alterutra parte non certo constat; in hoc autem conflictu periculum fidei certe magis cavendum est, quam periculum erroris in scientia naturali vel historica ad salutem aeternam minime necessaria. Et quoties doctrinae in his scientiis certae habebantur, quae postea tanquam errores deprehensae sunt, et quot *hypotheses* habentur hodie, quae a multis tanquam veritates certae considerantur? Accedit, quod nonnunquam dispositio animarum vel etiam personae doctrinam quandam proponentis, vel modus, quo eam proponunt, tales sint, ut suspicionem creare et doctrinâ etiam verâ propositâ magis nocere, quam prodesse possint — id quod historia Galilei testatur[1]. Neminem enim latet, nonnunquam etiam veritatem imprudenter

[1]) Adversarii semper adducunt exemplum *Galilei* († 1642), cuius sententia hodie ab omnibus admissa de sole immobili centro mundi et de terra circa solem et se ipsam se movente a s. Officio indicis, annuente s. Pontifice Paulo V anno 1616, tanquam „absurda in philosophia et erronea in fide" sit declarata, quod iudicium anno 1633 per s. Inquisitionis sub Urbano P. P. VIII condemnationem Galilei eiusque abiurationem sit confirmatum. — Sed immerito; nam a) ex eo, quod tribunal aliquod sententiam erroneam pronuntiaverit et innocentem condemnaverit, certe nemo tribunalia in genere reicit; tunc enim vel nulla iam delicta puniri possent, vel prorsus arbitrarie hoc fieret. b) Illo tempore et philosophis et physicis veritas sŷstematis Aristotelis et Ptolemaei de sole et terra constabat, licet sententia opposita Copernicana iam fere ex saeculo (1543) tanquam *hypothesis* admissa neque ab ecclesia reprobata fuisset (cfr. vol. I, p. 189). c) S. Congregatio tunc solum in Galilei doctrinam inquisivit, quum ei denuntiata fuisset tanquam s. Scripturae repugnans (Josue 10, 12) et Galilei ipse exegetam agens, sententiam suam s. Scripturae non repugnare, sed hanc potius iuxta scientiam certam interpretandam esse affirmaret. Debuit igitur Congregatio ex *officio* inquisitionem instituere, neque pro statu scientiae illius temporis aliam sententiam ferre *potuit*. d) Neque argumenta a Galilaeo adducta pro sua sententia: Solem immobile esse centrum mundi et terram circa eam et se ipsam moveri, eam probabant (maculae solis, phases Veneris et Martis, venti constantes in regione aequatoris [Passatwinde], fluxus et refluxus maris), imo nonnulla falsa erant; neque argumenta ei opposita (ex motu aëris, ex casu corporum etc.) satis refutare potuit, quare et mathematici et physici multi et praestantes (Descartes, Tycho de Brahe, Cassini, Baco de Verulam, Fabricius, Scheiner etc.) eius sententiam reiciebant. Demum saeculo XIX argumenta certa proposita sunt: Aberratio lucis, parallaxa stellarum, experimenta perpendiculi a Foucault instituta

manifestatam nocere e. g. ratione scandali, si aetate minoribus quaedam dicuntur eis adhuc non revelanda; ratione iustitiae vel caritatis, si secreta vel delicta manifestantur sine gravi ratione. Ecclesiae igitur censura, si talem doctrinam retardat, directe hoc facit ad animos tutandos, indirecte autem confert ad illas doctrinas magis investigandas, ut tandem earum veritas vel falsitas appareat. Verum est, censuram ecclesiasticam librorum ipsam non esse infallibilem[1], attamen est summae auctoritatis, neque cuiquam catholico, imo nulli homini rationali, spernenda, si scientia, dignitas, auctoritas censorum ecclesiasticorum spectatur (cfr. Heiner, Der neue Syllabus 1907, p. 51 et 246 sq.) Quodsi haec censura ecclesiae non competeret, errores omnes impune propagari possent et mox fidem opprimerent, sicut zizania triticum. Quemadmodum igitur auctoritas publica non permittit, ut quibuslibet venena vendantur a pharmacopolis, sed solum legitimatis, ita ecclesia venenum haeresis et erroris fidelibus suis non permittit gustare, nisi quibus scit non nocere.

Merito igitur Ecclesia catholica, ut magistra veritatis infallibilis a Christo constituta (cfr. supra p. 471), ab initio libros haereticorum prohibuit, et impe-

(cfr. vol. I, p. 84). Imo sententia illa ut *complexa*, quam Galilei abiuravit, etiam hodie falsa est, siquidem sol neque est centrum mundi, neque est immobilis, sed cum terra et planetis cursu celerrimo progreditur in universum. e) Accedit, quod Galilei propter commercium cum protestantibus et vitam non satis honestam (habuit tres liberos illegitimos) paulisper suspectus erat et tunc ubique per haereses etiam in Italia fidei pericula minitabantur. f) Galile Romae semper honorifice exceptus et mitissime tractatus, condemnationem anno 1633 propterea potissimum passus est, quia promissis suis anno 1616 datis non stetit; promiserat enim, se non iam ut thesim, sed ut hypothesim sententiam Copernicanam explicaturum esse, et usque eo haec sententia nondum probata et ab ipso Copernico ut hypothesis proposita erat. Galilei autem libro suo: Dialogo . . . sopra i due sistemi del mondo etc., anno 1632 publicato, sententiam Ptolemaei potius deridet in persona Simplicii et approbationem ecclesiasticam per fraudem sibi procuraverat. g) Hanc autem eius condemnationem progressui scientiarum minime obstitisse, iam ex eo apparet, quod Galilei anno 1638 opus suum celeberrimum: Dialoghi delle nuove science, edidit, in quo omnia fere principia mechanica scientiae physicae recentioris constituit. Accedit, quod primatus scientiarum usque ad 19. saeculum apud gentes catholicas: Hispanos, Italos, Gallos fuerit, apud quos censurae Ecclesiae valebant. h) Denique illo tempore et catholici et protestantes, imo hi plus quam illi, theoriam Copernicanam s. Scripturae repugnare putabant, praesertim ipse Luther, Melanchthon aliique multi. Postquam autem certo probata fuit, ecclesia libros tum Copernici tum Galilei ex indice expunxit. Ceterum Galilei pie obiit, 77 annos natus, et in ecclesia s. Crucis Florentiae sepultus est. (Cfr. plura Grisar, Galileistudien, 1882; Schanz, Galilei [Kirchenlexikon], ubi etiam abundantem literaturam invenis; Siebertz, Gesch.-Führer, Art. Galileo Galilei; Kopernikus, Kepler; Müller, Kopernikus, Der Altmeister der neuern Astronomie; Linsmeier, Natur und Offenbarung, 1901, p. 65 sq.: Ricciolis' Stellung im Galileistreit.

[1]) Errat igitur Paulsen, sicut multi alii, scribens: „Als die Kurie die aristotelisch-ptolomäische Kosmologie zum *Glaubensartikel* erklärte, legte sie die Axt an die Wurzeln des Kirchenglaubens; jeder Schlag, der die falsche Theorie traf, traf nun auch die Kirche" (Einleit. in d. Philos., 1906[15], p. 177); cfr. vol. II, p. 189 nota 2, ubi s. Thomae de hac re testimonia invenies.

ratores christiani iam primi: Constantinus, Valentinianus, Theodosius, Arcadius, Justinianus, deinde sequentes medio aevo usque ad Carolum V imperatorem (1521) eos sub poena mortis vel exilii igne concremandos iusserunt. Imo et sacra Scriptura prohibebatur in lingua materna, nisi ab auctoritate ecclesiastica interpretatio approbata et notis explicata fuerit (primum Tolosae 1229 contra Albigenses, errores suos ex falsis s. Scripturae versionibus haurientes). — Primi indices librorum prohibitorum in Britannia ab Henrico VIII, porro a Carolo V in Batavia editi sunt. Deinde a Pontificibus Paulo IV (1559) et Pio V (1564) et multis aliis usque ad nostrum tempus. Postquam Concilium Tridentinum (1545—1563) 10 regulas de libris prohibitis statuit, Pius V Congregationem s. Indicis creavit, quae secundum has regulas libros diiudicaret, quas regulas Benedictus XIV et Leo XIII magis determinabant. Ex libris autem prohibitis sive ex doctrinis periculosis Pontifices saepius quasdam sententias colligebant et tanquam erroneas reprobabant; sic *syllabus* ortus est, quo Pius IX anno 1864 80 sententias reiciebat, necnon novus syllabus, quo Pius X anno 1907 65 errores nostri temporis, praesertim „Modernistarum" tam sapienter quam firmiter reprobat et censuram ecclesiasticam librorum de fide et moribus denuo inculcat. (Cfr. Kirchenlexikon, Art. Index, Syllabus; [Staatslexikon, Art. Syllabus [Biederlack]. Heiner, Der Syllabus in ultramontaner und antiultramontaner Beleuchtung, 1905; Der neue Syllabus, 1907; Hilgers, Der Index der verbotenen Bücher, 1904; Die Bücherverbote in Papstbriefen, 1907; Mausbach, Die kathol. Moral, 1902[2]. Kneib, Wesen u. Bedeutung d. Encyclica geg. den Modernismus, 1908; L. Stimmen, 1907, p. 125, 245: Der neue Syllabus, p. 477.)

IV. *De iuribus et officiis civitatis respectu rerum temporalium.*

1. *Principia:* Administratio rerum temporalium est propria activitas auctoritatis publicae. Qua in re duo potissimum vitanda sunt: primum, ne civitas hanc curam rerum temporalium *exaggeret*, actionem privatorum nimis coarctans, sicut socialistae proponunt; secundum, ne *parum* provideat saluti publicae, nimis concedens „liberae concurrentiae" privatorum, ita ut viribus et opibus infirmiores opprimantur; haec erat sententia „liberalismi". Moderatorum igitur civitatis est, per *iustitiam distributivam* quasi harmoniam omnium virium, ordinem publicum totius activitatis civium efficere, quae harmonia non est in aequalitate omnium efficienda, ut iustitia commutativa inter singulos cives, sed in quadam *proportionalitate* iuxta *meritum* et *necessitatem* tum singulorum civium, tum praesertim singularum classium, ex quibus ordo socialis constituitur. Unde primum munera publica illis sunt conferenda, qui et scientia et morum integritate praestant, neque pro arbitrio quisquam praeferendus est. Deinde classes civium infirmiores adiuvandae sunt, modo civitati sint vel absolute vel relative necessariae. Absolutae necessariae sunt, sine quibus nulla civitas exsistere potest; sic classes illae, quae necessaria vitae producunt, ut agricolae et opifices, sunt

absolute necessariae, sine quibus nunquam civitas exstitit neque ulla exstitit. Relative necessariae sunt, sine quibus civitas aliqua *concrete spectata* non exsistere potest. Sic classis negotiatorum, industrialium eorumque operariorum, militum relative necessaria est civitatibus *nostris*, ut hodie exsistunt[1]). Quum igitur auctoritas publica non statui alicui ideali, sed *suo in praesenti* providere debeat, salutem omnium classium ita procuranda est, ut nulla prae aliis iniuste praeferatur, sed unicuique pro necessitate tum subiectiva i. e. pro indigentia infirmiorum civium, tum obiectiva i. e. pro tota civitate (pro numero et necessitate publica illius classis) succurrendum sit. Neque solum curandum est, ut illae classes simpliciter sint, sed ut etiam, prout possibile est, *bene* sese habeant, quin tamen iniustitia quoad libertatem et proprietatem aliarum classium fiat.

Quare *Mercantilismus* ille reiciendus est, qui cum *Colbert* († 1683), ministro gallico Ludovici XIV, aliisque multis illo tempore in negotiatione praesertim salutem publicam collocant, ita ut plus quam civibus ipsis necessarium sit producentes, rebus venditis et vectigalibus impositis, pecuniam aliarum nationum sibi accumulent; unde agriculturam plus iusto negligebant. — Neque sententia opposita *Physiocratismi* approbanda est, quam *Quesnay* († 1774), medicus regis Ludovici XV, et post ipsum multi alii, praesertim Turgot († 1781), minister gallicus, proponebant, qui fontem omnium divitiarum in agricultura ponebant, omnia abolentes vectigalia (Freihandel). — Neque opinio *Liberalismi* a Smith Say, Ricardo etc. propugnata admittenda est (cfr. supra p. 312); nam ex solo labore i. e. ex industria promovenda salutem publicam et divitias nationis repetunt, liberam concurrentiam postulantes (cfr. supra p. 321). Gubernatores igitur civitatum omnibus classibus debent providere, primum ita, ut nulla ab aliis opprimatur, modo vel absolute vel saltem relative (per numerum suum) civitati sit necessaria. Deinde iis succurrendum est classibus, quae magis auxilio indigent propter temporum iniuriam vel nimiam concurrentiam. Ita agricolis succurrendum erat olim, ut ex statu glebae adscriptorum liberi fierent; nunc vero, si propter messium vel viarum defectum vel propter abundantiam frumenti aliunde importati ex statu suo deficiunt. Quare viae et strata ferrata pro necessitate construenda sunt, pecunia parvo vel nullo foenere eis locanda, tributa remittenda, vectigalia frumento importato imponenda sunt. Ita etiam artificibus succurrendum est, ne per capitalistas et fabricas spolientur; collegia igitur (Innungen) excitanda et examine professionis suae praescribenda (Befähigungsnachweis, Meisterstück, Handwerkerkammern) sunt. Ita mercatoribus succurrendum, ne per societates

[1]) In Germania anno 1890 totius populationis 37,5 % ad agriculturam, 37,4 % ad industriam, 10,6 ad negotiationem pertinebant. In Britannia 10,4; 56,9; 10,8 %. In Austria 64,3; 21, 9; 6,4 %. Cfr. supra p. 318. Tanta pars populi negligi non potest, sine periculo totius civitatis. Accedit quod agricultura in Germania solum pro 75 % populationis frumenta suppeditat, in Britannia tantum pro 10 %, unde industria per sua fabricata expensa pro frumento importato restituere debet, ne divitiae nationales pereant.

actionum et negotia praegrandia (Warenhäuser) ruinam patiantur (Warenhaussteuer, Kaufmannsgerichte). Ita tandem operarii adiuvandi sunt, ut merces iusta et conditiones laboris quoad tempus et tutelam sanitatis et moralitatis necessariae (Fabrikinspektoren) necnon adiumenta tempore morbi et invaliditatis eis praebeantur. Hoc modo efficitur, ut non solum necessaria vitae, imo et iucunda producantur, sed etiam pro rata parte distribuantur. Atque hae functiones sunt omnium potissimae: *productio* sufficiens et *distributio* bonorum secundum iustitiam *distributivam*. Salus enim publica oeconomica non in sola productione sufficienti, imo abundanti est, sed potius in tali rerum productarum *distributione*, ut omnibus sufficiant. Ad quid enim aliqui homines praedivites et massa plebis misera? [1] Quodsi terra aliqua non satis producit, curandum est, ut necessaria vitae facile importari possint, vectigalibus remotis vel temperatis; si vero nimium producitur, superflua exportanda sunt, ad quem effectum iterum quaedam emolumenta sive praemia, si opus fuerit, concedi possunt [2]. (Ausfuhrprämien, Tarifsätze, Differential-Rückzölle.) Bene autem notandum est, in his omnibus auctoritatem publicam industriam privatam non sibi vindicare, sed solum adiuvare et, si necesse fuerit, dirigere debere. Non igitur exemplum veterum, nisi casus

[1]) In fine saeculi 19 quivis (Durchschnitt) Britannus fere 5920 M., Gallus 5200 M., Batavus 3680, Belga et Germanus 3120, Austriacus et Italus 2000, Russiacus 1200 M. possedisse dicitur. — *Possessio nationalis* (Nationalvermögen) Britanniae anno 1896 = 220 000, Galliae 180, Italiae = 40, Austriae = 50, Ungariae = 25, Germaniae (anno 1900) = 250 Milliarden (1 000 000 000) fuisse dicitur. — *Reditus* omnes Germaniae anno 1900 = 31 165; Austriae anno 1893 = 4320; Ungariae = 3000 Mill. (1 000 000) M. aestimabantur. Reditus igitur medii pro persona annis 1890/1900 in Britannia fere 728, in Gallia 520, in Germania (1900) 538, in Austria 167, in Ungaria 158 M, erant. Constat per censum, reditus apud nos continuo crescere idque in omnibus partibus populi, maxime utique in ditioribus. — In America septemtrionali, quamquam divitiae enormes apud privatos inveniuntur (Milliardäre, in Germania nullus), attamen paupertas maior est quam apud nos; ita in civitatibus unitis 10 000 000 = $^1/_7$—$^1/_8$ totius populationis et in magnis civitatibus $^1/_4$ fere necessariis ad vitam carent. — Britanni pro pauperibus sumptibus publicis duplo plus expendere debent, quam nos; pauperes enim fere $^1/_4$ populationis sunt (cfr. supra p. 291.) (Cfr. L. St. 1907, p. 24: H. Pesch, Kennzeichen d. Volkswohlstandes).

[2]) Anno 1905 *exportabantur:* Frumenta = 507 Mill. (= 1 000 000); materia bruta ad fabricata = 1181 Mill.; fabricata = 4043 Mill., libri = 96 Mill., ludi (Spielzeug) = 68 Mill. *Importabantur:* Frumenta = 2344 Mill.; materia ad fabricata (Erze etc.) = 3395 Mill.; fabricata = 1390 Mill., libri = 32 Mill. — Tota summa exportationis fuit = 5842 Mill., importationis = 7436 Mill.; ergo plus *importationis* = 1594 Mill. M. — Noli autem ex hac maiore importatione (*passive* Handelsbilanz) cum Mercantilistis deducere statum oeconomicum tristem patriae nostrae, quum quotannis 1100—1150 Mill. M. redituum ab exteris nationibus nobis proveniant praeter metalla pretiosa. — Sic etiam in Britannia importatio 50 % superat exportationem, attamen status oeconomicus optimus habetur; anno autem 1820 exportatio 50 % superabat importationem ibidem; status tamen hodiernus oeconomicus Britannorum certe non inferior est. — Civitates unitae Americae septemtrionalis anno 1905/06 habebant importationem = 5742, exportationem = 7762 Mill. M.; habent igitur exportationis plus 2020 Mill. M. (*aktive* Handelsbilanz). Differentia igitur inter im-

necessitatis extraordinariae fuerit, in hoc imitandum est, quod civitas ipsa frumentum coemat et civibus distribuat.

2. *Conclusiones:* In hoc statu oeconomico qua meliore procurando [1]) auctoritas publica potestatem habet: a) *libertatem* singulorum civium pro necessitate coarctandi; secus enim libera concurrentia esset admittenda, quae, teste ratione et historia, plurimorum civium et libertati et utilitati obest, e. g. si nullae leges essent, quae laborem in fabricis et relationem inter dominos et operarios regerent; si quivis quodvis negotium suscipere posset, quia tunc homines viribus et opibus praestantes alios sibi subditos facerent. Imo nullae leges fieri possent, nisi liceret libertatem actionis singulorum civium propter utilitatem et necessitatem communem coercere. Qua in re et parum et nimium legum et decretorum ex parte gubernationis est vitandum — res utique difficilis, unde facile diversae in singulis quaestionibus sententiae esse possunt, ut discussiones et dissensiones in parlamentis publicis testantur. b) Imo etiam *proprietatem et utilitatem* singulorum civium licet paulisper coarctari, si *bonum publicum hoc evidenter postulat.* Quid enim tributa et vectigalia aliud sunt, nisi diminutio proprietatis singulorum in utilitatem totius civitatis? Sic certe licet aliquem expropriare agro vel servitute aliqua, si publica salus, e. g. via publica vel ferrea in bonum communitatis est facienda, dummodo pretium iustum solvatur. Sic auctoritas publica posset forte possessores latifundiorum, si agri alio modo a colonis acquiri non possent, cogere, ut latifundia ex parte venderent vel civitati vel colonis, iusto pretio constituto, ut classis agricolarum fieri possit; „latifundia enim, teste Plinio, Latium perdidere"; neque alio modo status liber agricolarum ortus est. Magni enim interest, ut *classis media* populationis bene fundata (Mittelstand) habeatur tanquam firmissimum civitatis fundamentum.

Certe autem non licet auctoritati publicae, ex partium vel religionis studio partem aliquam subditorum opprimere in utilitatem aliorum, sicut olim Hibernos et hodie Polonos; esset enim violatio aperta iustitiae et commutativae et distributivae, quae est fundamentum ipsius civitatis. Porro auctoritati licet, lucrum divitum (patronorum vel societatum actionum) ex fabris et fodinis redundans coarctare, imponendo eis partem expensarum ad operarios aegrotos et invalidos adiuvandos. Nam hi adiuvandi sunt, quia de facto saepe carerent ipsis ad vitam suam et suorum necessariis, ut experientia docet. Etiamsi multi per propriam culpam ex defectu parsimoniae

portationem maiorem et exportationem minorem apud nos et alibi: in Britannia, Gallia, Batavia explenda est per alios reditus ex nationibus exteris, apud quas Germani capitalia (in fodinis, fabricis, vel debitis publicis e. g. in Russia $3^1/_2$ Milliarden) investita habent; tunc enim totalis habetur conspectus status oeconomici (Zahlungsbilanz). (Cfr. L. Stimmen l. c.)

[1]) Cfr. H. Pesch, Die soziale Frage, 1896, I, 2, p. 473 sq.; Lehmkuhl, Die soziale Frage, 6. Heft 1896 [3], p. 56 sq.

inopes sunt, attamen civitas eos fame perire sinere non potest. *Atqui* ad eos adiuvandos non possunt obligari *communitates*, considerato numero et loco natali operariorum ibi undique confluentium; neque *civitas qua talis*; esset enim pondus nimium, neque aequum videtur, hoc onus omnibus civibus imponere; neque *associationes* operariorum solae, quia eorum mercedes in genere ad hoc non sufficiunt [1]); deinde quia tunc *omnes* operarii ad associationes pertinere deberent, id quod sine lege civitatis obligante fieri non posset. Primum igitur collegia medii aevi essent restituenda, quod hodie vix possibile videtur, neque per legem civitatis, saltem in praesenti, fieri potest. Urget autem in praesenti necessitas operarios egentes adiuvandi, neque exspectari potest, usquedum *forte* tempore aliquo futuro eiusmodi collegia fiant. Neque potest appellari ad *charitatem christianam*; haec enim apud multos hodie exstincta est, fide ipsa christiana abiecta; neque sufficeret charitas, siquidem tot sunt succursu egentes; neque operarii hodie charitatem, sed ius suum expostulant. *Ergo* non restat, nisi ut auctoritas publica alia ratione necessitati huic provideat, ita nimirum, ut et operarii et patroni, in quorum utilitatem illi laborant, in communi pro rata parte summam quandam conferant, qua aegroti et invalidi operarii adiuventur.

Neque per hoc patronis ulla iniustitia infertur; nam a) haec pecunia ab eis praestanda potest considerari tanquam pars mercedis operariis dandae et de facto eius ratio habetur in mercede constituenda [2]). b) Civitas potest contractui omni, ergo etiam contractui de mercede, conditiones apponere, modo sint in se honestae neque iniustae. Certe autem nulla est inhonestas in hac conditione a lege imposita contractui mercedis, imo est signum curae paternae et effectus iustitiae distributivae; neque ulla inest iniustitia, siquidem haec praestatio legalis consideratur ut pars aliqua mercedis iustae; per legem autem patroni ex *iustitia legali* iam tenentur, non ex charitate. c) Est principium generale, eum ad plus teneri, qui ex societate plus recipit; sic etiam ii maiora tributa solvunt, qui maiores reditus habent (Progressivsteuer). Atqui patroni ex societate, quae eorum fabricas tuetur et propter confluxum tot hominum maiora expensa habet, plura emolumenta habent, quam alii homines et operarii in eorum utilitatem laborant, ita ut iam ex charitate plus quam alii ad eos adiuvandos tenerentur. *Ergo* nulla eis fit iniuria, si ad operarios egentes sustentandos pro rata parte teneantur [3]). — Dicis, eos hoc ex charitate

[1]) Trades unions in Britannia habent quidem mutuam assecurationem, attamen ad has associationes non pertinent nisi pars minor operariorum eorumque qui meliorem mercedem habent.

[2]) Cfr. Lehmkuhl, Die soziale Frage und die staatl. Gewalt, 1893, p. 34.

[3]) De rentabilitate illorum negotiorum, confer tabellam hic oppositam 460 societatum actionum, quae a bursa Berolini emuntur et venduntur:

Annus negoti	Capitale (100000)	Dividenda (100000)	Per centum	Annus negotii	Capitale (100000)	Dividenda (100000)	Per centum
1895	1576,02	115,57	7,34	1901	2374,22	189,48	7,98
1896	1695,19	152,47	8,89	1902	2433,88	161,57	6,64
1897	1766,72	164,68	9,32	1903	2511,72	180,88	7,20
1898	1748,34	171,81	9,82	1904	2554,15	204,56	8,01
1899	2649,14	263,55	9,94	1905	2680,35	254,07	9,49
1900	2513,31	275,53	10,96	1906	2772,43	291,98	10,53

facere debere. Optime quidem, si essent charitate christiana imbuti. Sed quot patroni sunt tales christiani? Imo si soli deberent hoc praestare, nimium onus eis imponeretur. Neve obicias, civitatem obligationem ex charitate imponere non posse, sed ex sola iustitia; nam civitas ipsa tum ex motivo iustitiae *distributivae*, quae sicut onera pro possibilitate subditorum, ita et emolumenta pro indigentia eorum impartitur, tum etiam ex motivo *charitatis*, auctore s. Thoma (cfr. supra p. 467), indigentibus subvenire potest et debet, ita ut, quemadmodum propinquos vel communitates cogit suos adiuvare, sic etiam patronos operariis suis pro parte sua succurrere iubeat, et si illi non valent, ipsa civitas sumptibus publicis succurrere debet, quemadmodum de facto hospitalia, scholas etc. in communem utilitatem egentium fundat. Patroni autem, lege coacti, non iam ex charitate, sed ex iustitia *legali* tenentur operarios egentes adiuvare. Debet igitur saltem in statu hodierno oeconomico et sociali lex intercedere, quae tum *omnes* patronos, tum etiam *operarios* ad aliquid praestandum cogat necnon modum praestationis, administrationem et distributionem dirigat atque tueatur.

De pretio definiendo.

1. *In genere:* Numquid auctoritas civilis etiam pretia rerum necessariarum et mercedem operariorum constituere potest? Est quaestio multum controversa. Distinguitur pretium iustum *summum*, *medium*, *infimum* (cfr. supra p. 348 sq.). Quaestio potissima est de pretio iusto infimo et summo. Constat, apud veteres necnon medio aevo magistratus, auditis collegiorum praesidibus (Zunftvorsteher), pretium rerum et mercedem statuisse. Unde s. Thomas: „In unoquoque loco ad rectores civitatis pertinet determinare, quae sint iustae mensurae rerum venalium, pensatis conditionibus locorum et rerum. Et ideo has mensuras publica auctoritate vel consuetudine institutas praeterire non licet“ [1]). „Iustum pretium rerum non est punctualiter determinatum, sed magis in quadam aestimatione consistit, ita quod modica additio vel minutio non videtur tollere aequalitatem iustitiae“ [2]). Certe mensura rei vendendae non potuit determinari, nisi etiam pretium huius mensurae erat determinatum. Hodie vero, quum per vias publicas et ferreas, per telegraphos et vapores etiam terrae maxime distantes inter se facile communicare et producta sua ad nos brevi transferre possint, magistratus non iam determinant pretium rerum neque mercedem operariorum, sed liberae concurrentiae sive pacto mutuo hoc permittunt. Pretium igitur regulatur ex copia rerum vendenda et numero desiderioque ementium (Angebot und Nachfrage), quod idem in genere locum habet in labore operariorum locando. Quamdiu igitur hic regulator sufficit, non est auctoritatis publicae intervenire. Si vero necessaria vitae deficiunt, e. g. propter defectum messis, civitatis est intervenire, primum ita ut omnia impedimenta frumenti importandi removeat, diminuendo vel tollendo vectigalia et expensa pro rebus transportandis (Zoll und Fracht); deinde si necessitas maior est, etiam ipsa necessaria coemat et pretio infimo, forte tempore secundiore solvendo, vendat.

[1]) S. Theol. II, II, qu. 72, a. 2 ad sec.

[2]) Ibid. a. 1. ad primum.

Quodsi qui speculationis gratia res necessarias coemerint (frumenta, pecudes etc.), propter salutem publicam auctoritas videtur posse eos cogere, pretio medio vel etiam infimo, licet iusto, res illas vendere. Unde in aliquibus civitatibus eiusmodi societates res necessarias coementes (Trusts) vel etiam horrea ad res importandas constituta (Transitlager) legibus coercebantur, ne res necessariae fierent cariores.

2. *In specie de mercede operariorum.* Numquid et quando auctoritas publica in hac mercede constituenda intervenire potest? Quotiescunque operarii cum patronis ipsi mercedem statuere possunt, pactum mutuum eis secundum leges communes iuris privati faciendum est, quin auctoritas ius habeat interveniendi. Tunc igitur merces et ipsa regulatur per copiam laborem offerentium et quaerentium. Quodsi tanta sit praepotentia et durities patronorum et indigentia operariorum, ut hi cogantur sub pretio infimo iusto, quocum non iam honeste, licet parce, vivere possint, operam suam locare, videtur esse ius et officium civitatis interveniendi, ita ut pretium *iustum infimum* statuatur. Hoc fieri potest ita, ut primum investigetur, quid operarius parcus, considerato rerum necessariarum pretio, opus habeat ad vitam quotidianam[1]; deinde quale lucrum negotium producat, ita ut 4–5 % tanquam normale statuatur (cfr. supra p. 350). Nam si minus lucri adest, negotium cessabit, nisi spes melior fundata pro futuro luceat; vix enim est, qui pecuniam in tali negotio collocare velit, quum idem foenus certum idque sine labore et periculo sortis recipiat, si pecuniam suam alibi collocet. Hoc modo merces infima iusta simul pro illo negotio erit etiam *summa*, quam patroni sine damno proprio concedere possint, quare auctoritas publica etiam hoc ius patronorum tueri potest et debet. Si vero operarii mercedem infimâ meliorem postulaverint, licet patroni eam exhibere possint propter lucrum factum, non tamen per se ius civitatis adesse videtur, hanc operariorum postulationem vi extorquendi, quia nulla iustitia laeditur: *non commutativa,* quia ex pacto mutuo aliquando mercedem statuerunt et libertas tam operariorum quam patronorum servanda est; *non distributiva,* quia ex suppositione merces operariorum est per se sufficiens, licet maior esse possit. Quid tunc? Operarii debent mutuam associationem inire, ut quasi unam personam moralem constituant et sic maiorem influxum exerceant. Duplex nunc via patet: Ut utraque pars, auctoritate aliqua interposita, per modum negotiationis et mutuae concessionis litem componat; vel ut alterutra pars a labore cesset. Certe prior via praeferenda est, donec possibile sit; auctoritas autem illa advocanda ab ipsa civitate instituenda esset in forma tribunalis cuiusdam perpetui (Schiedsgerichte, Einigungsämter, Arbeitskammern)[2], quod patronis et operariis aeque auditis rem ex aequo dirimat. Quodsi iudicium huius tribunalis vim decisivam habet, tota controversia finita est; neque apparet in hac forma iudicii instituendi ulla inconvenientia vel iniustitia, siquidem omnes aliae civium controversiae de pactis sententia iudicis tandem definiuntur, et etiamsi

[1] Cfr. H. Pesch, Die soziale Frage, I, 1, p. 171.

[2] Anno 1887 in Belgica, 1897 in Hollandia, 1891/1900 in Gallia, 1898 in Austria talia munera publica instituta sunt; apud nos adhuc exspectantur (Arbeitskammer) ex patronis et operariis composita.

pars devicta fere semper sententiae repugnet, imo etiamsi pro humana imperfectione non semper plenum ius huic vel alteri parti fiat, attamen omnibus fatentibus tandem acquiescendum est iudicio tribunalis, ne pax perpetuo perturbetur. Talia igitur tribunalia potestate definitiva donata a multis rei oeconomicae peritis proponuntur et aliquibus locis, e. g. in Australia et Britannia bene fungi dicuntur.

Ubi vero talia tribunalia non exsistunt neque intercessiones effectum habent, aut mercedi, licet infimae, acquiescendum et occasio melior exspectanda est, aut a labore cessandum est (Streik), ut damno hoc passo patronus postulationi operariorum obsecundetur. Atque haec „ultima ratio“, quae adhiberi potest, *per se* iustitiae commutativae non repugnat, nisi operarii pactum laboris initum infringant, vel in patronum vel in alios operarios a labore non cessantes vim physicam (e. g. fabricarum vel machinarum demolitione, verberibus etc.) vel moralem (e. g. minis) exerceant, id quod facile fit saepeque factum est, unde iustitia *per accidens* violatur. Insuper fere semper charitas detrimentum patitur, quia cessatione laboris multis aliis operariis, qui ab illorum operatione dependent, damnum saepe gravissimum infertur, siquidem et ipsi a labore cessare coguntur. Accedit, quod a labore cessantes nimis saepe desidiae, intemperantiae aliisque vitiis se dedunt, et ira necnon agitatorum verbis incitati saepe pacem publicam turbant, id quod nostro tempore experientia saepius edocuit. Non igitur mirum, quod Leo XIII operarios a cessatione laboris enixe dehortatur, praesertim quum patroni, et ipsi inter se uniti, plerumque victoriam reportent. Ut autem haec pericula et damna immensa evitentur et pax publica conservetur, certe auctoritati publicae vis inest atque potestas interveniendi, ita ut tribunalia statuat et sententiam eorum definitivam reddat. Salus enim publica est suprema lex civitatis. Quamvis igitur auctoritas publica saltem ex iure naturae directe et per se non possit intervenire in mercede constituenda, potest tamen hoc indirecte et per accidens, quando classis operaria, hodie omnium maxima ac proinde civitati saltem relative necessaria, mercedem iustam infimam non habet; deinde quando agitur de mercede meliore accipienda, statuendo „organum“ aliquod pacis, quod litigantes pacis causa vel possint vel etiam debeant adire; denique si magna damna et pericula rei publicae ex cessatione laboris imminent, potest obligare et operarios et patronos, ut sententiae tribunalis impartialis se subiciant, sicut omnes alii cives litigantes (cfr. supra p. 350 sq.)

De tributis.

1. *Notio:* Tributa sunt quaedam civium praestationes a civitate eis impositae ad communes necessitates explendas. Civitas enim multis indiget copiis, ut muneribus suis multis fungi possit: libertatem et proprietatem tuendi per tribunalia, per custodes securitatis publicae institutos (Polizei), per exercitum constitutum, deinde prosperitatem publicam promovendi per scholas, hospitalia fundata, per auxilia egentibus classibus praestata. Hae igitur copiae habentur inprimis per tributa.

Iuris et rei oeconomicae periti non consentiunt de ratione tributorum [1]. Alii enim ea ex theoria legali deducunt, quasi cives ineuntes civitatem se obligassent ad quaedam „sacrificia" pro communi salute offerenda (Opfertheorie); sed haec opinio innititur falsa theoria de origine civitatis; neque certe haec „sacrificia" tributorum libenter offeruntur. Alii ea explicant ex quadam gratitudine pro beneficiis a civitate receptis (Vergeltungstheorie); sed licet haec sit *aliqua* ratio, non tamen est fundamentalis, neque ex ea sufficiens distributio tributorum explicari posset. Quare theoria *teleologica* sola sufficit, quae tum ex necessitate civitatis tum ex iustitia distributiva tributa explicat: ex illa quidem ius tributa imponendi, ex hac modum et mensuram tributorum [2].

2. *Species:* Tributa distinguuntur potissimum *directa* et *indirecta*; illa eis imponuntur, qui ea solvere debent, unde in genere sunt tributa *personalia*; haec directe rebus imponuntur, et quamvis ab eis solvenda sint, qui rem illam possident i. e. vendunt, revera tamen ab ementibus praestanda sunt (si tributum hereditatis excipias); propterea etiam vocantur tributa *realia*.

Tributa *directa* iterum distinguuntur per obiectum suum et sunt haec potissimum: *fundorum, domorum, negotiorum, redituum, possessionum* (Grund-, Gebäude-, Gewerbe-, Vermögens-, Einkommensteuer). Tributa redituum subdistinguuntur: *proportionalia,* si crescunt arithmetrice pro redituum incremento; *progressiva,* si crescunt geometrice, ita ut pro duplo redituum non duplum, sed duplum et dimidium forte sit solvendum. Rationem huius differentiae ex eo deducunt, quod quo maius sit capitale, eo maiorem fructum in progressione *geometrica* producat. — Aliquid simile habetur quoad tributa fundorum, qui propter situm e. g. in urbe, apud fodinas, fabricas etc. valore crescunt (Grundrente cfr. supra p. 317), unde etiam tributa pro rata parte crescunt (Wertzuwachssteuer), idque iure meritoque [3]. Tributa fundis, domibus et negotiis imponenda apud nos ex anno 1893 non iam civitati, sed singulis communitatibus assignantur.

Tributa *indirecta* quoque per obiecta sua distinguuntur et sunt diversa in diversis civitatibus pro conditione earum sociali, oeconomica, politica. Praesertim vero illis obiectis tributa imponuntur, quae non necessaria sunt ad vitam, licet ab omnibus fere emantur e. g. sal, saccarum, tabaccum, cerevisia, vina distillata etc. [4]).

In aliquibus civitatibus praevalent tributa directa sive proportionalia, sive progressiva (haec in Borussia et Saxonia praesertim), in aliis indirecta e. g. in Austria et Gallia. *Per se* certe directa sunt praeferenda, quia possidentibus potius imponuntur, modo ii excipiantur, qui vix satis redituum ad vitam sustentandam habent (apud nos infra 900 M.). Illud utique inconveniens habetur et saepe pro negotiantibus valde odiosum, quod reditus suos declarare debeant, id quod veteres Romani nonnunquam tortura adhibita efficiebant. Tributa autem indirecta, praesertim si rebus omnino necessariis imponuntur, pauperiores magis gravant, licet minus sentiantur utpote per se minima, per accidens autem maxima. Nonnunquam civitas tributa indirecta quibusdam rebus imponit, vel quia a solis ditioribus emuntur (e. g. vina pretiosa e. g. Schaumweinsteuer), vel ut usus quarundam rerum restringatur, e. g. tributa in vina distillata, in negotia merces omnis generis vendentia (Warenhaussteuer).

3. *Proprietates tributorum:* Tributa *ex parte civitatis* debent esse *sufficientia* et facile *applicabilia*. Tribus autem modis applicantur: a) Ita ut quis praedives a civitate, certa summa soluta, tributa conducat et per portitores suos ea a civibus exigat. Atqui hic modus tributorum apud veteres (cfr. Matth. 9, 9 sq.) habebatur, necnon in Gallia usque ad revolutionem (Pachtsystem) et adhuc hodie in Hispania; ita civitas multis oneribus et sumptibus liberatur, attamen cives nimis saepe a conductoribus vexantur. b) Ita civitas tributa disponit, ut quaevis communitas certam summam a suis concivibus coactam solvere debeat (Steuerrepartition); qui modus apud Romanos [1]) et medio aevo in imperio germanico adhibebatur necnon apud nos in singulis civitatibus imperii ad necessitates eius communes explendas (Matrikularbeiträge) [2]). c) Ita ut civitas ipsa tributa per functionarios suos congerat, qui modus omnibus quidem videtur esse sumptuosior, attamen iustitiae distributivae magis conveniens, unde hodie in plerisque habetur civitatibus (eigene Regie). —

Ex parte civium tributa ita esse debent: a) ut imponantur secundum *iustitiam* eamque *distributivam,* ne pauperiores graventur in utilitatem divitum, id quod praesertim in multis civitatibus ante revolutionem gallicam ex rationibus historicis locum habuit et causa aliqua (non adaequata neque principalis) eversionis rerum fuit. Tributa igitur progressiva vel saltem proportionata sunt imponenda et potius directa quam indirecta.

Non igitur tributa *capitis* (capitatio, Kopfsteuer, Matth. 17, 23), quae veteres Romani et principes Orientis adhuc hodie subditis imponunt pro numero personarum vel bestiarum, sunt approbanda, quia a divitibus et pauperibus aequo modo exiguntur ac proinde laedunt iustitiam distributivam et impediunt foecunditatem familiae. Neque tributa pro numero fenestrarum vel portarum iuxta morem Galliae sunt imponenda, quia domibus bene

[1]) Cfr. Staatslexikon, Art. Steuern (v. Huene); Cathrein, l. c. II, p. 684; H. Pesch, Die soz. Frage, I, 1, p. 144 sq. Elster, Wörterb. etc., Art. Steuer.

[2]) In Borussia tributa 53 %, in Saxonia 56 %, in Bavaria 68 %, in Gallia 92 %, in Britannia 98 % omnium redituum civitatis sunt.

[3]) Cfr. Laach. Stimmen 1907, p. 375: Die Wertzuwachssteuer ubi p. 376 exempla augmenti inopinati fundorum pretii invenis.

[4]) Tributa indirecta in Germania pro persona sunt fere 17 M.

[1]) Cfr. Grupp, Kulturgesch. d. röm. Kaiserzeit, II, p. 206 sq.

[2]) Ad hunc finem eis tributa ex sale, saccaro, cerevisia, vino distillato, tabacco, ex hereditate necnon pars vectigalium (Frankenstein'sche Klausel) pro rata parte assignantur.

aedificandis obstant. Neque possessio qua talis tributis est gravanda (Vermögenssteuer), sed potius reditus (Einkommensteuer), nisi agitur de possessionibus superfluis luxuriosis, licet non foecundis, e. g. palatia, porticus, collectiones imaginum, silvae et prata delectationis gratia (Parkanlagen).

b) Ne *nimia* tributa imponantur, ita ut opes „nationales" inde exhauriantur; esset enim de facto civitas socialistica; sic apud veteres saepe tributa vel nimia imponebantur vel nimis dure exigebantur, ita ut provinciae desererentur et negotia cessarent[1]). Hoc praesertim dicendum est de tributis annuis; tributa autem raro solvenda possunt esse maiora, e. g. tributa hereditatis, diversa tamen pro gradu consanguineitatis vel affinitatis[2]).

De vectigalibus.

1. *Notio:* Vectigalia (Zölle) sunt species quaedam tributorum, quae mercibus quibusdam importandis (Einfuhrzölle) vel exportandis (Ausfuhrzölle) vel perducendis per locum aliquem (Durchgangszölle) imponuntur.

Eiusmodi vectigalia iam apud gentes antiquas (Romanos, Graecos, Aegyptios etc.) vigebant pro mercibus terra marique introducendis, et sicut tributa plerumque singulis praedivitibus locabantur. Medio aevo primum vectigalia erant regi sive imperatori reservata (regalia), attamen mox singulis imperii principibus concedebantur, ita ut tandem (ex saec. XIII) quivis comes et quaevis civitas vectigalia a mercatoribus pro mercibus transportandis vel etiam viatoribus (Brücken-Wegezoll) exigeret. Accedebat, quod ex saec. XIV haec vectigalia locabantur, quod saepe arbitrarie augebantur et dure exigebantur, ita ut mercatura grave damnum pateretur et mercium pretia nimis augerentur. Ex hac historica evolutione i. e. ex abusu iuris vectigalium forte explicandum est, quod moralistae multi ex saec. XV vectigalia *nova* tanquam illicita habuerint, utpote ad principes et urbes solum ditandas inducta, et civilem solam obligationem eis tribuerint (lex poenalis; cfr. supra p. 116 sq.), quamvis ius ipsum vectigalium ab omnibus auctoribus principibus sit tributum et vectigalia *iusta* ex conscientia esse solvenda, imo defraudata restituenda esse censuerint[3]). Primum in Borussia anno 1818 novum systema tributorum et vectigalium inductum est, cuius exemplum aliae plurimae civitates imitatae sunt[4]).

---

[1]) Cfr. Grupp, Kulturgesch. d. röm. Kaiserzeit, II, 1904, p. 276 sq.

[2]) Ex anno 1906 in gradu I consanguineitatis (exceptis descendentibus et coniugibus) 4 %; pro ecclesiis et piis fundationibus 5 %; pro agnatis in II gradu 6 %; pro affinitate in II gradu 8 %; pro aliis 10 %; accedunt augmenta supra 20000 M. usque ad 25 %; hereditas infra 500 M. et legata servis facta usque ad 3000 M. liberata sunt a tributis. (Cfr Elster, l. c. Art. Erbschaftssteuer.

[3]) Cfr. Hamm, Geschichte der Steuermoral in der Kirche (Inaugural-Dissertation) 1907, p. 53 sq.

[4]) Cfr. Herder, Konversationslexikon. Art. Zollwesen.

2. *Species vectigalium:* Vectigalia *ratione finis* distinguuntur *financiaria* (Finanzzölle) *et tuitiva sive prohibitiva* (Schutzzölle). Illa reditus civitatis augere directe tendunt, et sic se habent vectigalia in producta importata, quae tamen in omnium usu sunt e. g. petroleum, thee, caffee etc.; sic etiam vectigalia medio aevo et nostro quoque tempore ab urbibus multis imposita (accisa) nunc finem habent. — Vectigalia autem *prohibitiva* indirecte quidem reditus augent, attamen directe intendunt producta propria et eorum pretium tueri contra concurrentiam mercium importatarum idque duobus modis: a) vel ita ut producta eiusdem speciei ab extra importanda arceantur sive saltem, pretio per vectigal adaucto, difficilius introducantur; hunc finem pleraque habent vectigalia e. g. frumentis, pecudibus, fabricatis imposita; b) vel ita ut producta propria, vectigali imposito, difficilius exportari ac proinde facilius apud nos retineri possint, si eis indigemus; haec vectigalia rarius habentur; a mercantilismo adhibebantur, ut materia bruta fabricationis industrialis in ipsa terra retineretur; annis 1901/06 a Britannis, ne carbones nimis exportarentur. — Porro ratione *obiecti* distinguuntur vectigalia secundum *valorem* (Wertzölle), qui rei pretium spectant; et secundum rei *mensuram* (Tarifzölle), quae hodie frequentius adhibentur. — Porro ratione *civitatum,* quae vectigalia imponunt, distinguuntur vectigalia *autonoma,* quae civitas aliqua lege ita constituit, ut saluti omnium classium (e. g. agricolarum, industrialium, operariorum) provideatur; *conventionalia,* quae pro rerum conditione cum aliis civitatibus fiunt. Hae autem iterum sunt vel *uniformia,* si eadem vectigalia inter civitates imponuntur; *differentialia,* si diversa sunt. Saepe in illis clausula aequalitatis (Meistbegünstigungsrecht) habetur, qua civitati alicui remissio vectigalium aliis concessa eo ipso conceditur.

3. *Necessitas vectigalium:* Vectigalia iam antiquitus multis rebus importatis imponebantur, imo plerumque erant reditus praecipui civitatum, praesertim medio aevo, quia olim tributa directa (praeter decimas ecclesiis solvendas) non tam in usu erant quam nostro tempore. Vectigalia igitur *financiaria* necessaria sunt, si sunt fons praecipuus redituum. Attamen non nimia imponenda sunt, ne negotiatio pessumdetur, neque rebus omnibus necessariis ad vitam, si terra ipsa non satis producit, ne salus publica in periculum vocetur, unde systema Mercantilismi reiciendum est. — Vectigalia autem *prohibitiva* nonnunquam necessaria sunt, ne agricultura vel etiam industria per concurrentiam externam pereant, siquidem conditiones aliarum nationum ad illas res producendas possunt esse multo magis favorabiles, e. g. fertilitas terrae, facilitas transportationis, mercedes inferiores, operarii abundantes, pretium inferius materiae brutae etc. Falsa est igitur opinio Liberalismi de plena libertate negotii, quod hodie omnes fatentur; unde omnes civitates hodie aliqua vectigalia prohibitiva habent. Dependet autem a conditione oeconomica terrae alicuius, num vectigalia prohibitiva et quibus rebus

et quanta imponenda sint. Quodsi alicubi agricultura minimam partem frumentorum subministrare potest, certe vectigalia prohibitiva sunt reicienda, ne vitae necessaria nimis cara fiant. Idem dicendum est de materia bruta fabricationis. Quodsi terra aliqua his abundat, vectigalia prohibitiva inutilia sunt, siquidem illae res non importantur. Vectigalia igitur tunc imponenda sunt, si producta civibus alicuius terrae solum sufficiunt vel quasi sufficiunt; tunc enim illa productio conservanda vel etiam augenda est, iisdem mercibus ab extra impeditis. Ita Britannia, Belgica, Batavia, Dania frumentum importatum vectigali liberant, quia eas terras multum deficit. Germania vero et Austria aliaeque civitates vectigal imponunt, quia producunt quidem multum frumentum, attamen non plene sufficiens civibus[1]). Debent igitur cavere, ne frumentum ex Russia, Rumaenia, praesertim vero ex America (Statibus unitis et Argentinia) importatum pretium frumenti nostri deprimat. Inde factum est, ut in Germania vectigalia, anno 1872 fere abrogata, iterum anno 1879 et frumentis et pecudibus importandis imposita et pluries deinde (1881, 1885, 1887, 1892 et 1902) immutata vel aucta necnon per pacta (Handelsverträge) cum aliis civitatibus fere omnibus (1891/1894 et 1902/1906) in certum numerum annorum stabilita sint[2]).

At nonne vectigalibus vitae necessaria (panis et caro) nimis cara fiunt? Potest esse, ut hoc fiat; sed factis ipsis potest probari, hoc neque necessario fieri neque semper factum esse. Sic 100 kl tritici anno 1877 constabant 25,30 M., 1878 21 M., 1888 17 M., 1907 22 M.; attamen annis 1877 et 1878 nulla erant vectigalia, anno 1888 autem 5 M. et 1907 7 M. vectigal pro 100 kl. — Idem dicendum est de variabilitate pretii pecudum sive carnium. Sic vectigalia 1902—1905 eadem erant, carnes tamen suillae pro 100 kl venibant: 118, 99, 97, 128 M.; imo anno 1906 *ante vectigalia nova inducta* mensibus Ianuario et Februario 145 et 151 M., *post nova vectigalia* mensibus Aprilis et Iunii 127 M.[3]). Pretia enim illa varia sunt pro abundantia messis tum in singulis terris tum in toto mundo hodie per vias communicationis tot et tam faciles coniuncto, porro a machinationibus speculantium, ab aegritudine pecudum etc. Effective autem et speculantes et importantes vectigal solvunt, qui soli ex vectigalibus abolitis utilitatem caperent. — Accedit, quod si e. g. agricultura per concurrentiam perderetur, terra aliqua ab aliis nationibus fieret dependens; porro agricolae, agros deserentes, augerent numerum operariorum eorumque mercedes deprimerent. — Deinde constat, florente agricultura etiam industriam et negotia utilitatem inde capere; est enim adagium nostrum verissimum: „Hat der Bauer Geld, so hat es die ganze Welt". — Neque quemquam latet, quantae sit necessitatis, statum agricolarum conservare florentem et numerosum, siquidem est fundamentum civitatis, religioni suae et patriae deditus moribusque plerumque praestans. — Denique aequum et iustum est, agriculturam tueri vectigalibus, quum industria, quae per se non est tantae necessitatis, maiore adhuc tutela per vectigalia gaudeat[1]); nulla igitur causa adest, quod socialistae adeo clamitent de „pane pauperum" per vectigalia cariore facto.

[1]) Sic in Statibus unitis in America pro persona habetur frumenti (Weizen u. Roggen): 2,9 kl, in Russia 2,9, in Germania 1,9, in Britannia 0,4, in Austria-Ungaria 1,7, in Gallia 2,6, in Hispania 2,4, in Italia 1,3, in Rumaenia 3,6, in Suedia et Norwegia 1,0, in Belgica 1,4, in Dania 2,1, in Batavia 0,9, in Portugalia 0,8, in Helvetia 0,6, in Graecia 0,7.

[2]) Cfr. Herder, Konversationslexikon, Art. Zollwesen, Getreide. — Sic ex anno pro 100 kl tritici 1879 : 1 M., 1885 : 3 M., 1887 : 5 M., 1892 : 3,5 M., 1902 : 7 M. vectigal solvebatur. Vectigal multo maius pecudibus importandis — equi singillatim recensentur — imponitur (ex anno 1906 18 M. pro 100 kl in genere, quod tamen pro singulis civitatibus diminuitur), quia in Germania ipsa cultura pecudum floret et necessitati publicae fere sufficit (1905 carnes consumptae in Germania constabant 5 ½ Milliarden M.; solum ½ Milliarde pro carnibus importatis solvebatur).

[3]) Vide plura Siebertz, Politisch-soziales ABC, 1900, Art. Getreidezölle, Schutzzölle: Pichler, Zentrum und Landwirtschaft, 1898.

De monopoliis.

1. *Notio et divisio:* Monopolium vocatur ius sive potestas, aliquid exclusis aliis producendi vel vendendi vel administrandi. Hoc monopolium potest esse *de iure*, si ipsi civitati competit vel civibus quibusdam a civitate conceditur. Si primum, eius finis plerumque est augmentatio redituum civitatis, et tunc monopolia reducuntur ad tributa indirecta. Nonnunquam etiam finis est ordo vel etiam securitas productionis vel venditionis in rebus necessariis, quae a privatis non tam bene administrari possunt sive propter defectum virium (opum) sive propter defectum auctoritatis.

Sic imperatores Byzantini olim usque ad saec. XI fabricationem sericorum sibi reservabant; sic reges medii aevi ius piscationis, venationis, metalla fodiendi tanquam „regalia" habebant, quae tamen aliis saepe concedebantur; sic omnes civitates ius monetas cudendi sibi vindicant. Ita etiam hodie multae civitates ius quasdam res usus communis vendendi sibi retinent e. g. monopolium vendendi tabaccum, sal, vinum distillatum etc.; praesertim vero monopolium viarum ferrearum, tabellariorum (Post), telegraphorum, telephonorum etc. habent.

Potest vero quibusdam privatis quoque monopolium concedi ad quaedam faciendi e. g. eis, qui aliquid novi invenerunt, ita ut civitas prioritatem tueatur et imitationem infra certum tempus prohibeat (Patent), vel aliquid aliis exclusis vendendi; ita pharmacopolis solis licet, quasdam res vendere. — Aliud est monopolium *de facto*, quod aliqui potentia vel opibus praestantes sibi acquisierunt; ita associationes illae, quae vocantur cartella (trusts), certas res eiusdem speciei e. g. carbones, ferrum, petroleum etc. vel solae producunt vel coemunt, ita ut praeter ipsos nemo fere eas producere vel vendere possit (cfr. supra p. 352 sq.).

2. *Moralitas:* Patet, monopolium, si est legale i. e. de iure, omnino licere, sive finis est augmentatio redituum sive ordo productionis sive venditionis instituendus, dummodo reditus sint necessarii

[1]) Cfr. Siebertz, l. c. p. 511, ubi Ballod citatur ostendens, vectigalia ad industriam protegendam ter maiora esse quam pro agricultura.

neque alio modo melius haberi possint; idem dicendum est de ordine instituendo. Attamen facile fit, ut per monopolia industria privata damnum patiatur et progressus impediatur. Accedit, quod per monopolia cives nimis multi a gubernantibus dependentes fiunt, id quod libertati necnon et religioni saepe detrimentum affert. Quare monopolia ipsius civitatis, quantum fieri possit, reducenda et haec negotia industriae privatae potius demandanda sunt. — Hoc adhuc magis valet pro monopoliis privatis, nisi ratio specialis adsit, ut in inventis (Patent) et medicinis vendendis. — Monopolia autem *de facto* orta ad solum lucrum faciendum in genere saluti publicae valde nocent. Licet monopolistae non peccent contra iustitiam strictam commutativam, attamen charitatem graviter laedere videntur, siquidem res easque usui communi inservientes iusto cariores reddunt multorumque privatorum negotia perdunt, unde legibus civitatis reprimendi sunt, id quod nostro tempore in America saepius factum sive tentatum est (cfr. supra p. 353).

De exercitu.

1. *Notio et historia:* Tum ad quietem internam, tum ad pacem externam conservandam vel restituendam civitati vis quaedam armata opus est, quae pro diversitate temporum vel conditionis civitatis apud singulas gentes diverso modo erat instituta atque organisata.

In gentibus primitivis et barbaris omnes viri, imo nonnunquam et mulieres, pugnae inerant. Apud Aegyptios, Babylonios, Assyrios, Indos certa classis nobilium erat constituta, quibus defensio patriae commissa erat, unde civitatis quoque sumptibus vivebant. Apud Persas, Athenienses, Spartanos, Macedones omnes cives ad militiam tenebantur, si opus erat. Idem locum habebat apud Romanos initio; sed ex anno 107 a. Chr. a Mario exercitus Romanus partim ex civibus conscriptis, partim ex mercede conductis constituebatur (tempore Augusti fere 450 000 milites). Apud Germanos (Merovingios et Francos) quivis liber *suis sumptibus* ad militiam tenebatur, id quod multis propter bella continua ruina fuit, ita ut postea magis initio belli milites mercede conducerentur (Söldner, Landsknechte), qui bello finito dimittebantur; ita praesertim ex saeculo XIV. — Paulatim aliquae civitates, ut semper promptam haberent militiam, milites perpetuos (stehendes Heer) conducebant, id quod saec. XIV primum in Italia, deinde in Gallia (1445) in usu venit, et ex saeculo XVII in tota fere Europa commune fuit. Ita in Borussia anno 1653 exercitus perpetuus formatus est partim ex civibus conscriptis, partim ex mercede conductis, quo Fredericus II victorias suas multas reportavit. Anno autem 1807 a Scharnhorst, Gneisenau etc. haec militia reformabatur, ita ut *omnes* cives ab anno 20—45 ad militiam obligarentur (allgemeine Wehrpflicht) neque externi iam mercede conducerentur, ita tamen, ut tempore pacis solum per aliquos annos (2—3) sub armis essent exercendi causa. Atque hic militiae ordo a plerisque civitatibus plus minus adoptatus est; sic ab Austria 1868, a Gallia 1872, a Russia 1874, ab Italia 1875. Britannia autem et Status uniti Americae adhuc mercede conducunt milites. Helvetia vero non habet exercitum perpetuum; omnes cives aptos obligat quidem ad militiam, sed solum per aliquod tempus anni exercendi causa conveniunt (Volkswehr, Milizsystem). — Tempore pacis Germania habet 605 975, Russia 1 115 000, Gallia 549 828, Austria 300 501, Italia 245 397, Hispania 89 885, Britannia 218 200, Status uniti Americae 68 575 milites; tempore belli Germania 3—4 000 000, Russia 4 000 000, Gallia 2 350 000, Austria 2 580 000, Italia 1 300 000, Hispania 320 045, Britannia 780 000, Status uniti Americae 216 000 (sed tempore necessitatis plus 10 000 000 non exercitatos). — Germania insumit per singulos annos in exercitum fere 600 000 000 i. e. plus quam 1000 M pro quolibet milite; similiter aliae civitates [1]).

2. *Moralitas.* Patet, vim quandam armatam civitati necessariam esse tum ad pacem internam conservandam tum ad hostes repellendos et arcendos. Necessitas igitur sive salus publica est *ratio,* sed etiam *mensura et norma* militiae. Non igitur maior vis armata comparanda est, quam oportet ad duplicem illum finem pacis internae et externae. Nam vis magna armata, praesertim exercitus perpetuus, civitati onera quam maxima imponit, propter sumptus publicos enormes (cfr. modo dicta), propter diminutionem operariorum, propter influxum moralem in milites adolescentes, propter propensionem et pericula inde orta ad bellum gerendum, si promptus est exercitus, propter necessitatem inde pro aliis civitatibus ortam similem exercitum comparandi, id quod hodie praesertim locum habet.

Quamvis iam saepius diminutio exercituum (Abrüstung) sit proposita ad gentes Europae exonerandas, attamen vix spes apparet „pacis armatae“ finiendae propter aemulationem nationum, fines suos extendendi studiosarum; gentes igitur sibi ipsae sunt maxima flagella, quia pleraeque „derelinquerunt Dominum Deum suum“ (Jerem. 2, 13 sq.). Quae quum ita sint, hodie forte per accidens necessitas adest moralis exercitus perpetui tam numerosi; per se autem status perfectior esset civitatis, si non indigeret tanto exercitu. Certe autem non licet, exercitum comparare perpetuum ad civitates tranquillas impugnandas et opprimendas, sicut reges veteres praesertim gloriae cupidi fecerunt; esset enim, ut ait Augustinus, „grande latrocinium“ [2]).

---

[1]) Cfr. Herder, Konversationslexikon, Art. Heerwesen. — H. Pesch (Die soziale Frage, I, 2, p. 471) anno 1895 in Europa dicit 3 500 000 milites fuisse, pro quibus singulis annis 4 782 000 000 M insumendae sint, et si foenera capitalium in utensilibus militiae (armis, canonibus, vestibus, navibus etc.) investitorum simul considerentur, summam 9 133 000 000 M. expendendam esse. — Quamvis maxima pars huius summae in patria ipsa iterum expendatur et permultis operam exhibeat, attamen inde opes „nationales“ non augentur, sicut aqua fontis eadem permanet, si ex una parte exhauritur, ex alia parte iterum infunditur. Maiorem tamen inde utilitatem capiunt negotiantes et fabricantes, non populus ipse qua talis, qui et pecuniam et filios militiae offert. Insuper semper magna pars pecuniae ad alias nationes transmittitur ad materiam brutam utensilium militarium comparandam.

[2]) De civitate Dei, IV, 4 et 6.

Neque vero illis assentiendum est, qui omnem militiam abrogatam velint, ut socialistae, affirmantes, tunc eo ipso bella non iam fore, et gentes aeterna gavisuras esse pace. Nam considerata perversitate naturae humanae semper gloriae et potentiae avidae, hoc nunquam locum habebit. Quamobrem moraliter impossibile videtur saltem hodie, militiam vel etiam exercitum perpetuum dimittere, nisi omnes civitates idem faciant; hoc autem vix quisquam sperabit, ne socialistae quidem, nisi nationes redeant ad religionem et moralitatem plene christianam. Neque eis ex eadem ratione consentimus, exercitus perpetuos dimittendos, et militiam populi, ut in Helvetia, creandam esse; nam conditiones civitatum prorsus diversae sunt, neque sumptus tunc diminuendi, sed forte augendi essent. Neque haec abrogatio fieri posset absoluta, sed valde successiva, ne ruina inde multorum negotiorum et fabricarum rei militiae directe vel indirecte inservientium resultaret. Merito igitur etiam deputati catholici exercitui augendo consentiunt, si necessitas moralis pro conditione civitatis nostrae ab auctoritate civili rite probatur [1]).

De iuribus et officiis internationalibus.

In genere.

1. *Notio:* Multae in mundo inveniuntur civitates, quae teste historia necessario inter se relationes quasdam ineunt sive amicas sive inimicas. Praesertim si statum quendam culturae obtinent, indigent saepe adiumento quodam aliarum gentium, ut bona culturae: opes, artes, scientias etc., saltem perfecte, consequi possint. Quod hodie omnibus patet, siquidem omnes civitates civilisatae inter se communicant terra marique (navibus, viis ferreis, telegraphis etc.), ita ut merces ex terris longinquis transmarinis (Australia, Japonia, Sina, Brasilia, Argentina) in usum nostrum facile adhiberi possint. Patet, has relationes inter gentes et nationes quibusdam normis et legibus fundari debere, ut iura inde et officia mutua oriantur. Hae igitur normae vocantur *ius internationale.*

2. *Divisio:* Duplex autem distinguitur: *Privatum* et *publicum*; illud relationes civium singulorum diversarum civitatum, hoc relationes ipsarum civitatum inter se significat. Ius privatum internationale idem est ac ius privatum commutativum in genere, quod cuique suum tribuendum esse iubet; unde de eo nihil speciale dicendum est. Ius autem publicum internationale subdistinguitur *naturale* et *positivum;* naturale est illud, quod ex iure naturae immediate fluit; positivum, quod ex pactis vel consuetudinibus quarundam civitatum derivatur, et iterum commune et particulare distinguitur, prout apud omnes gentes, saltem civilisatas, vel apud quasdam solas gentes sive *in pace* sive *in bello* viget. Nobis hic non sermo est de iure internationali positivo, sed de naturali, et quaestio praecipua est, num tale ius exsistat et quale sit.

[1]) Cfr. Siebertz, Politisch-soziales Abc-Buch 1900, Art. Militärfragen und Sozialdemokratie, porro Süddeutsche Volkspartei und Zentrum; Milizsystem.

3. *Exsistentia iuris naturalis internationalis:* Prob. a) *Ex paritate:* Civitates possunt considerari tanquam personae morales ad instar personarum physicarum; habent enim quandam independentiam moralem atque iuridicam et subiecta sunt iurium et officiorum. *Atqui* relationes morales et iuridicae inter personas physicas fundantur in lege naturali (cfr. supra p. 218 sq.). *Ergo* et relationes inter civitates supponunt ius naturale internationale.

b) *Ex iure positivo internationali:* Constat, exsistere ius positivum internationale tum generale tum particulare, quod patet iam ex conventionibus et conferentiis internationalibus, quae nostro tempore saepius fiebant e. g. conferentiae internationales Parisiis 1856, Berolini 1878, 1885, Bruxellae 1874, 1890, Hagae 1899 et 1907 etc. habitae. *Atqui* ius positivum semper supponit naturale (cfr. supra p. 219); nam aut a sola voluntate sive pacto civitatum dependet, aut a voluntate civitatibus superiore. Si *primum,* quaevis civitas pro sua voluntate pactum ad libitum rescindere posset, dummodo potentiam habeat — id quod et persuasioni humanae et ipsis civitatum paciscentium declarationibus repugnat; sin *alterum,* conceditur ius naturale, cuius principium obligans est ipsa voluntas Dei (cfr. supra p. 135 sq.). *Ergo* exsistit ius naturale internationale.

c) *Ex naturae humanae inclinatione:* Quemadmodum natura nostra socialis nos inclinat ad familiam et societatem constituendam, ita etiam inclinat civitates, ut inter se unionem ineant ad salutem publicam promovendam; nam et bona ad usum humanum et perfectiones ipsae humanae differunt in singulis nationibus, quae mutua sua coniunctione sese perficiunt, sicut homines in familia et civitate coniuncti. Sic frumenta aliarum terrarum nobis necessaria importantur necnon materia fabricationis, fabricata vero ad alias nationes eis indigentes exportantur; sic operarii alibi superflui nobis necessarii sunt; sic artes alicubi inventae paulatim in omnium gentium utilitatem redundant e. g. machinae texendi, vaporis, electricae, telegraphi etc., et quo maior est cultura et progressus civitatis, eo plures init relationes, praesertim commercii, cum aliis civitatibus, teste historia gentium et veterum et recentium. *Atqui* quod ex naturae inclinatione oritur, pertinet ad naturam humanam, non absolute, sed relative i. e. ratione perfectionis suae spectatam, ac proinde ab auctore naturae nostrae intenditur. *Ergo* relationes gentium internationales fundantur in iure naturali.

d) *Ex absurdis:* Quodsi relationes internationales non in iure naturae fundatae essent, aut a sola *voluntate* aut a *potentia* singu-

larum civitatum dependerent. *Atqui* non *primum;* tunc enim nullum pactum inter gentes certum atque ratum esset, siquidem quaevis civitas, si aliud quid voluisset, pro arbitrio pactum rescinderet; hoc autem persuasioni omnium gentium repugnat, quoniam omnes censent, pacta esse servanda; deinde hoc destrueret omnem fidem internationalem, induceret statum belli continui sive aperti sive latentis, et pacta tunc potius fierent ad alios decipiendos. — Neque *alterum* admitti potest, siquidem tunc civitates potentiores alias sine iniuria opprimere possent, quia iustum tam late pateret, quam potentia. Sed hic status esset potius bestiarum, non hominum; esset pugna omnium contra omnes; neque iam discrimen essentiale interesset inter civitatem et societatem praedonum. Merito igitur pirata ille ab Alexandro rege captus, quum interrogaretur, quo iure mare incertum redderet, respondit, eodem quo tu totum mundum [1]). — Neve dicas, ex fidelitate pacta servanda esse; nam cur fidelitas servanda est? Profecto, non iterum ex pacto neque ex fidelitate, sed ex iure naturae. Deinde si solum ex iure positivo pacta essent servanda, liceret proprietate et libertate privare idque impune et sine iniuria illas gentes, quibuscum nulla pacta fuerunt constituta; quod quamvis multae gentes et veteres et recentes fecerint, non tamen habetur licitum et iustum, e. g. deportatio nigrorum ex patria sua, expropriatio et expulsio Indianorum ex territoriis suis.

e) *Ex consensu hominum:* Verum est, gentes barbaras saepe non iniustum, imo gloriosum habere, alias gentes etiam sine ratione impugnare et proprietate libertateque privare; sed norma agendi moralis non a gentibus barbaris ex statu moralitatis delapsis desumenda est, sicut neque iudicium de statu normali hominis ex homine aegroto vel insano. Verum est, etiam gentes cultas et veteres et recentes saepe iniuste aliis bellum intulisse, attamen ita, ut semper rationem saltem apparenter iustam proposuerint, unde supponunt, non omnia licere et iniustitiam esse velandam. Gentes inter bella iusta et iniusta distinguebant et quaedam ab omnibus servanda esse ex iure naturae sive divino censebant, e. g. legatos esse sacrosanctos, fidem datam etiam hostibus esse servandam (Regulus). Aristoteles vocat ius naturale, „quod ubique gentium idem valet, non quia ita vel decretum sit vel non decretum" [2]). Praesertim vero stoici omnes homines ad idem genus pertinere ac proinde iisdem legibus coerceri docebant, et Cicero, interpres et philosophorum et iurisprudentum necnon opinionis publicae sui temporis affirmat: „Iustitia praecipit parcere omnibus, consulere generi humano" [3]). „In omni

[1]) Augustinus, De civit. Dei, IV, 4.
[2]) Eth. Nic. V, 10 (1134 b 20).
[3]) De republ., III, 12.

honesto . . . nihil est tam illustre nec quod latius pateat quam coniunctio inter homines hominum et quasi quaedam societas et communicatio utilitatum et ipsa caritas generis humani, quae . . . serpit sensim foras . . . totius complexu gentis humanae" [1]). Religio vero christiana, docens omnes homines eandem originem, naturam et destinationem habere, eos ut fratres in Christo sese considerare et diligere iubet et cum statu supernaturali etiam statum iustitiae naturalis restituit. Quare est doctrina unanimis Patrum et Scholasticorum, easdem leges iustitiae et caritatis inter gentes vigere, quae inter cives eiusdem civitatis sunt. Quae doctrina de iure internationali postea expresse a Fr. Victoria, Dom. Soto, Molina, Suarez [2]), Hugo Grotius [3]) proposita atque explicata est [4]).

Coroll. I. *Foedera* igitur, quae inter civitates constituuntur, utramque partem ex iustitia commutativa obligant, sicut pacta inter privatos, modo conditiones necessariae foederis adsint: eius honestas, libertas, possibilitas (cfr. p. 344). Sed quid, si civitas aliqua per metum ad foedus ineundum cogitur? Si metus non iniuste est incussus, foedus certe valet; si autem iniuste incussus est, auctores in genere docent, foedus observandum esse, non quidem ex iustitia, sed ex caritate i. e. ad maius malum vitandum, quia pax in genere maius est bonum publicum, quam damnum aliquod oeconomicum vel commerciale, vel etiam pars relative parva territorii amissa.

II. Ex dictis *patet,* reiciendam esse sententiam positivistarum, qui ius internationale ex sola voluntate, potentia vel utilitate civitatum explicant, ut plurimi recentes et philosophi et iurisprudentes, e. g. E. v. Hartmann, Lasson, Gumplowicz, Stoerk, Geffken, Heffter, Bluntschli, Paulsen aliique multi [5]). Unde alii foedera cum aliis civitatibus moralem dicunt obligationem imponere i. e. ius formale efficere; ita Kaltenborn, Holtzendorff, Geffken, Bulmerincq, Bergbohm, Jellinek etc.; alii forte magis sibi consentanei, reiecto iure naturali, negant foedera ius formale creare; ita sentiunt e. g. Puchta, Lasson, Zorn, Hagens aliique [6]). Quae doctrina Macchiavellistica, si vera esset, quae-

[1]) De finibus, V, 23, 65. [2]) De bello, de legibus. [3]) De iure belli et pacis 1625.

[4]) Cfr. plura Cathrein, l. c. II, 694 et Herder, Konversationslexikon: Völkerrecht, ubi et auctores recentiores de hac quaestione enumerantur: Vattel, Heffter-Geffken, Blunschli, Holtzendorff, Resch, Rivier, Ullmann, Gareis, v. Liszt etc. [5]) Cfr. Cathrein l. c. Sufficiat citare *Paulsen:* „Jeder Staat wird in seinem Verhalten lediglich durch die Rücksicht auf die eigenen Lebensinteressen bestimmt, er wird diese, soweit er es mit Sicherheit tun kann, auch mit Gewalt auf Kosten der andern durchsetzen. Es gibt zwischen Staaten keinen Rechtszustand, der jedem Sicherheit gegen Übergriffe bietet . . . Zwischen den Staaten besteht daher ein beständiger potentieller Kriegszustand" (System d. Ethik, II, 198). Quid quod princeps Bismarck aliquando dicebat, se decalogo diplomatiam agere non posse et eius successor v. Bülow princeps die 26. Martiis 1908 in diaeta declarabat, se in re politica nullum dogma habere?

[6]) Staatslexikon, Art. Völkerrecht (Rulf, qui in secunda editione merito sententiam suam priorem mutavit statuens ius internationale *naturale* tanquam fundamentum iuris internationalis positivi, quod illius est explicatio atque determinatio).

vis civitas pacta rumperet, quotiescunque ei utile videretur, neque ulla esset securitas publica, id quod historia nostri comprobat temporis, quo civitates non iam iustitiâ, sed exercitibus quam maximis se salvas ac tutas esse posse autumant.

In specie.

Quum civitates sint personae morales activitate rationali et independentia praeditae, eis etiam officia personae erga alias civitates praestanda sunt; haec autem sunt duo praecipua: *iustitiae* commutativae et *caritatis*.

Officia *iustitiae* in eo sunt, ut quaevis civitas libertatem, proprietatem (integritatem), bonam famam aliarum respectet necnon fidem in pactis datam praestet; haec enim sunt bona praecipua civitatum. Non igitur licet sine ratione gravissima, alias civitates vi physica (bello) vel morali adhibita (minis) independentia sua privare, sive prorsus annectantur a victore, sive ad confoederationem eis obnoxiam cogantur. Neque licet, alias civitates territoriis quibusdam privare ad proprium territorium undique complendum (Arrondieren). Neque licet, famam alterius civitatis, praesertim de eius conditione oeconomica, iniuste laedere, siquidem magnum saepe inde detrimentum in eam redundat (depressio bursae, defectus fidei in negotiis faciendis). Denique oportet pacta serventur cum aliis civitatibus inita, sicut pacta inter personas physicas privatas facta, modo proprietates, quae ad contractum legitimum pertinent, ratione subiecti, obiecti et formae adsint (cfr. supra p. 344). — Falsa igitur est atque periculosa sententia Positivistarum, qui civitatem in his rebus absolutam nullisque legibus subiectam habent, ita ut pro utilitate sua a pactis recedere possit. Quamvis haec sit praxis „diplomatica", non tamen est iusta neque civitatibus vere utilis sive proficua.

Officium *caritatis* potest negative et positive exerceri: *Negative* exercetur, si nulla civitas alteri ex invidia, aemulatione, vana gloria, regnandi cupiditate difficultates moveat, sive in ipsa civitate excitando vel adiuvando factiones internas contra auctoritatem legitimam, sive apud alias civitates per calumnias vel secretorum manifestationem, sive per commercii impedimenta sine ulla necessitate opposita. Sic Caesar olim factionibus Gallorum abusus est ad Galliam subiugandam (e. g. apud Treviros, de bello gallico l. 5); sic Galli sub ministris Richelieu et Mazarin factiones protestantium in Germania contra imperatorem adiuvabant, necnon Suedos, imo et Turcos excitabant armis et pecunia, ut imperium Germanicum dissolveretur. — Quodsi ab alia civitate periculum imminet propter concurrentiam sive oeconomicam sive politicam, tunc certe licet sive vectigalibus impositis, sive modo „diplomatico" (per interventionem, foedera cum aliis, per minas) illas civitates coercere. Deinde advertendum est, officium caritatis inter civitates multo minus rariusque obligare, quam inter privatos, et gubernatores semper teneri, salutem civitatis suae aliis praeponere.

Positive officium caritatis exercetur, quando civitas aliam a magna calamitate tuetur e. g. tempore famis, pestilentiarum, vel etiam contra hostes protegit, sive bona culturae ei exhibet, sicut olim civitates christianae ad fidem et moralitatem christianam propagandam multum conferebant. Porro potest civitas aliam adiuvare, si discordiae intestinae oriuntur, quae pacem publicam turbant, ita ut etiam vicinis civitatibus periculum immineat, sicut

quivis accurrit ad domum vicini sui ab igne salvandam, ne propria incendatur. Ita principes Europae saepius revolutionem exortam in aliis civitatibus domabant. Imo si pars aliqua magna gentis iniuste vexatur, quin civitas ipsa eam protegat, alia civitas potest eam auxilium petentem adiuvare, saltem per influxum moralem. Ita nationes christianae olim, fide et amore Christi inspiratae, Christi fideles et sanctuaria a vexatione Turcorum infidelium tueri conabantur, bellis cruciatis gloriose susceptis; sic nostris temporibus nationes christianae interveniebant apud nationes alias, ut servitus aboleretur [1]; sic debuissent intervenire, quum Armeni christiani tam crudeliter vexarentur et exstirparentur ab inimicis religionis christianae; sic tandem nationes christianae Pontifici succurrere debebant, quum sine ulla iusta causa patrimonium Petri ei eriperetur, certe possessio tam legitima et aetate consecrata, quam nullum regnum Europae (cfr. supra p. 472).

Falsum igitur est principium illud „*non interventionis*", quod iam a Kant propositum [2]), primum in America septemtrionali 1823 a Monroe praesidente rei publicae proclamatum est, prohibens, ne ulla civitas se rebus alienis immisceat neve aliae nationes in res Americanas influxum exerceant (Monroedoctrina); deinde hoc idem principium praesertim in Italia propositum est, ne nationes externae Pontifici Romano succurrerent. — Simul cum hoc falso principio aliud coniungitur: principium „*nationalitatis*", quo singulae nationes ius sibi vindicant, partes aliarum civitatum, quae eandem linguam habent, secum uniendi, sive bello sive etiam revolutione facta. Quamvis unio alicuis nationis (cfr. supra p. 425) possit esse bonum aliquod, non tamen est tantum, ut mala illa compensare possit, quae ex pace et iustitia violata oriuntur. Profecto, quid fieret de civitatibus Europae, si hoc principium ubique applicaretur? Quid de Austria, de Germania, de Belgica, de Russia? Hoc igitur principium immerito applicatum fons est uberrimus discordiarum, agitationum, revolutionum in civitatibus illis, ad quas plures pertinent nationes. Neque illi ipsi, qui adeo principium non interventionis et nationalitatis proclamant, illud observant. Quis nescit, quomodo nostro tempore Status uniti Americae se rebus coloniarum Hispaniae (Havanna, Philippinen) immiscuerint, quomodo Itali coloniam Africanam (Erythraea, Somali) acquisierint? Neque salus publica ex unitate nationis orta tanta est, quantam promiserint nationalistae [3]).

---

[1]) Cfr. supra p. 418, Antisklaverei-Konferenz, Bruxellae 1890.

[2]) In libro: Zum ewigen Frieden, 1795, in quo exercitus perpetuos dimittendos et rebus aliarum civitatum non interveniendum esse docet.

[3]) Effectus directus ubique erat magna tributorum et debitorum publicorum augmentatio. Sic Italia ex 1870 unita anno 1902 habuit 10 000 000 000 M. debita i. e. 312 M. pro persona, praeterea communitates anno 1900 habebant 990 000 000 M. debita. Neque quidquam profuit, quod administratio (sic) fundationum ad pias causas (22 000; capitale = 18 000 000 000; reditus annui = 70 000 000 M.) ecclesiae fuit subtracta et magistratibus tradita. Colonia Erythraea singulis annis expensis 8 000 000 M. subvenitur, cuius summae sola tertia pars redit. Tum Germania tum Gallia fere 4 000 000 000 M. debita habent publica, sed reditus multo maiores. Italia habet incolas fere 34 000 000, Gallia 38 000 000, Germania 58 000 000. Ex Italia annis 1901—1905 2 865 000 homines emigrabant, licet terra inculta ibi abundet (fere 16 000 000 iugera.

De bello.

Historia docet, gentes saepe inter se bella gessisse i. e. vim physicam adhibuisse ad alias gentes devincendas. Quaeritur igitur, quid sit bellum, num et quando liceat.

1. *Notio:* Bellum igitur oritur, quando civitates plures de re gravi ita dissentiunt, ut haec dissensio nonnisi armis componi possit. Dissensio igitur de iure vel possessione aliqua est causa belli, nondum bellum ipsum. Deinde neque finis belli, sive occupatio territorii, sive ultio iniuriae etc., cum ipso bello confundendus est, ut aliqui iurisprudentes sentiunt (Bluntschli, Heffter, v. Mohl etc.). Neque omnis usus armorum contra adversarios est bellum e. g. contra praedones, contra cives insurgentes (Revolutio), sed contra aliam civitatem.

2. *Divisio:* Bellum dividitur *iustum et iniustum*, prout suscipitur ex gravi atque legitima causa vel sine tali causa. *Iustum* autem bellum iterum esse potest *defensivum*, si civitas arma arripit contra hostes irruentes; *aggressivum*, si qua civitas ipsa prima in aliam arma vertit propter iniuriam factam, et potest fieri *terra marique*.

3. *Moralitas:* a) Bellum *defensivum* certe licet [1]; nam civitates se habent ut personae, utique morales. *Atqui* quivis homo potest se defendere contra actualem aggressorem usque ad eius interfectionem, si hoc opus fuerit (cfr. supra p. 280). *Ergo* etiam civitas aliqua aliam se aggredientem usque ad plenam subiectionem impugnare potest. — Confirmatur hoc per historiam gentium et communem omnium persuasionem.

b) Bellum *aggressivum* licet, si agitur de bono gravi erepto (e. g. de provincia occupata) vel de damno gravi illato (e g. de mercibus vel navibus civium vel civitatis illegitime occupatis, de territorio devastato). Tunc enim civitas inimica possidens bonum alienum vel damnum non resarciens se habet ut iniustus aggressor; quare valet argumentum sub a). — Si vero agitur de iniuria sive ignominia illata (de legato, de vexillo, de rege ignominia gravi verbis vel facto affectis), licet bellum, si civitas inimica satisfactionem sufficientem recusaverit; aliud medium tunc non adest. Secus enim vel omnia licerent in alias civitates, quod certe securitatem publicam turbaret et licentiam effrenatam produceret, vel ius honorem suum vindicandi civitatibus singulis concedendum est, siquidem nullum exsistit tribunal, quod illam civitatem punire atque cogere possit, sicut cives tenentur per sententiam tribunalis, non per duella honorem laesum restituere. Alia igitur est quaestio pro privatis, alia pro civitatibus independentibus neque aliis subordinatis.

praesertim in Sardinia et regione Romana). Ante 30 annos per annum solum 30 000 emigrabant. Anno 1900 fere 63 000 per pellagram i. e. ex fame in provinciis semptemtrionalibus (fertilioribus) perierunt.

[1]) Cfr. S. Theol., II, II, qu. 40 tota.

4. *Modus bellandi:* Non quilibet modus bellandi licet, sive ius naturale sive positivum internationale spectatur. Ius naturale prohibet: a) ne civitas aliam iniuste et ex inopinato aggrediatur, sed postquam bellum ei indixit, si ab iniustitia infra certum tempus non cessaverit vel satisfactionem dederit. b) Porro etiam in bello media in se inhonesta ad hostes vincendos non licent e. g. mendacia, periuria, calumniae; insidiae tamen permittuntur [1]). c) Neque licet, mulieres, senes, infantes violare vel occidere, siquidem sunt innocentes, modo ne pugnis se immisceant. d) Neque devastatio terrae inimicae neque incendia permittuntur, nisi in quantum ad hostes superandos necessarium est, qua in re veteres multum peccabant necnon exercitus mercenariorum (Söldnerheere), praesertim tempore belli 30 annorum in Germania [2]). — Ius autem positivum internationale, pluribus congressibus (Genevae 1864, Petropoli 1868, Bruxellae 1874, Hagae 1899 et 1907) constitutum, quaedam arma e. g. venefica, proiectilia crudelia (dum-dum) interdicit; tuetur vulneratos et eos curantes, vetat nuntios pacis (Parlamentär) laedere vel retinere in captivitate necnon urbes dilapidare et non munitas proiectilibus diruere; vitae et proprietati captivorum parcere eosque bello finito dimittere etc. iubet [3]).

De pace inter nationes conservanda.

1. *Notio:* Multa sunt, quae nationes inter se separant: diversitas stirpis, linguae, indolis corporis et animae, morum vivendi et agendi, culturae internae et externae. Inde etiam diversitas tendentiarum saepeque discordiae et bella nascuntur, ita ut historia gentium plerumque sit historia bellorum. Quod quamvis ita sit, attamen gentes ex intentione naturae i. e. Dei ad mutuum commercium ordinantur, ut mutua hac relatione sese perficiant; quaevis enim gens quasdam naturales habet perfectiones vel etiam bona quaedam possidet in territorio suo, quae alias nationes deficiunt. Quo magis igitur crescit cultura externa, eo plures relationes inter nationes oriuntur. Accedit, quod gentes a bello magis magisque abhorrent propter ingentia mala, quae nationibus infert sive directe per numerum in bellis hodiernis occisorum [4]), sive indirecte per onera exercituum perpetuorum (cfr. supra p. 513). — Denique, religio christiana, docens originem, naturam, finem hominum eundem esse, multum contulit ad hanc unitatem inter nationes efficiendam atque corroborandam, ita ut gentes christianae iam medio aevo, sub

[1]) S. Theol., II, II, qu. 400, a. 3.

[2]) Cfr. Weiss, Weltgesch., V [2], II, 1, p. 380 et 403 sq.

[3]) Cfr. Resch, Das Völkerrecht, p. 253 sq.

[4]) Sic in bello inter Germanos et Gallos anno 1870 372 000 milites occisi esse dicuntur; similiter in bello recente 1904/05 inter Russos et Japanos: 164 000 occisi, 142 000 vulnerati; sumptus 8 500 000 000 M.

imperatore communi Romano nationis germanicae, familiam quasi christianam gentium constituerent, quae unitas moralis atque religiosa cum ipsa unitate religionis per „reformationem" destructa est.

2. *Divisio:* Quaeritur, num et quae unitas generis humani crescente cultura haberi possit. Haec unitas posset esse ***eiusdem civitatis,*** vel ***confoederationis,*** vel ***tribunalis communis.*** Sunt, qui sperent, fore ut tandem omnes gentes unam civitatem constituant, bellis omnibus exclusis; sic somniantur aliqui Idealistae necnon Socialistae. Dico, somniantur, quia considerata diversitate indolis nationum et distantia locorum talis civitas moraliter impossibilis videtur; nec regnum Alexandri, nec civitas Romana omnium maxima diu perseverare potuit. — Alii saltem confoederationem omnium civitatum desiderant; ita praesertim anarchistae, quae tamen confoederatio ex iisdem rationibus vix possibilis apparet. — Alii tandem tribunal commune exoptant, ad quod lites civitatum deferendae essent. Atque hoc tribunal potest ita concipi, ut eius iudicio civitates litigantes se subicere debeant, vel ita ut saltem teneantur rem suam ad hoc tribunal deferre, si forte interventione sua eam in pacem componere posset, vel ita ut utrique civitati liceat interventionis gratia ad illud tribunal appellare, licet nulla sit obligatio. Iam vero quoad primum dicendum videtur, hoc vix moraliter possibile videri, quia tunc civitates amitterent suam independentiam ad extra, et si qua civitas sese nollet subicere, bellum omnium aliarum civitatum contra eam excitaretur. Tribunal autem eo modo, quo secundo et tertio loco concipitur, ni fallor, posset fieri, siquidem nullam civitatem sua independentia privaret faciendi, quod ei tandem placuerit; imo valde optandum esset, ut tale tribunal ex deputatis civitatum omnium compositum interventionis gratia constitueretur, ad quod civitates discordes rem suam vel deferre debeant vel saltem possint. Magna sane difficultas in eo est, ut iudices huius tribunalis eiusque praeses, utpote ad singulas civitates sive litigantes sive cum eis saepe aliquo modo confoederatas pertinentes, facile sint partium studiosi.

3. *Historia:* Atque tale tribunal olim habebatur, sc. medio aevo, quo principes controversias suas saepe Romano Pontifici componendas exponebant, vel summi Pontifices etiam proprio motu litigantes ante tribunal suum citabant, quando gentes bellis opprimebantur. Immo ut bellis continuis modus aliquis et terminus statueretur, ecclesiae antistites „Pacem Dei" (Treuga Dei, Trève de Dieu) proclamabant, qua diebus festis et aliquibus hebdomadis diebus (in Germania a die Veneris usque ad diem Lunae sequentem) sub poena excommunicationis bella prohibebantur, primum in Gallia 1033 et 1041, deinde per Concilia Lateranensia 1123, 1139, 1179 pro orbe christiano. — Ad eundem finem etiam in Germania saepe foedera pacis (Landfrieden) a principibus et urbibus (Rheinischer und Schwäbischer Städtebund) fiebant sive pro toto regno sive pro singulis provinciis. Sic Fredericus I imperator 1152, 1158, 1186, Fredericus II 1235 (Constitutio Moguntina) foedera pacis statuebant, quae tamen ex tempore Ludovici Bavari non iam observabantur, sicut etiam „foedus pacis aeternum" anno 1495 constitutum tempore reformationis iam cessavit. — Nostris temporibus associationes quaedam privatae ortae sunt ad pacem inter nationes conservandam; primae in Britannia et America 1815 et 1816 (Quaeker), deinde in Gallia 1867 (Charles Lemonnier), in Germania Regiomontani, Francofurti, Wiesbaden, praesertim vero Stuttgart 1892 (Deutsche Friedensgesellschaft), ita ut anno 1904 iam 300 societates pacis in 19 civitatibus exsisterent, quorum centrum ex anno 1891 Bernae habetur. Hoc modo effectum est, ut tandem civitates ipsae, duce Nicolao II imperatore Russiae, anno 1899 Hagae in Batavia Congressum internationalem haberent ad conditiones pacis et commercii internationalis necnon belli gerendi stabiliendas, et tribunal commune (Cour permanente d'arbitrage) ibidem constituerent interveniendi causa, quod iam plures lites composuit. Attamen nulla civitas tenetur, rem suam huic tribunal proponere, nedum se ei subicere, neque potuit terribile illud inter Russiam et Japoniam exortum bellum impedire. Ad vim huius tribunalis augendam valde optandum esset, ut etiam Pontifices Romani, quorum auctoritas et sapientia historia tot saeculorum est comprobata, ei interessent, siquidem 600 000 000 fere catholici in omnibus civitatibus per totum orbem terrarum dispersi eorum auctoritatem summam recognoscunt, et Sedes apostolica neque partium studiosa est neque terrae expugnandae cupida. Eius igitur auctoritas sola universalis est et fundatur verbis Christi: „Quod si non audierit eos (testes adhibitos ad pacem componendam), dic ecclesiae; si autem ecclesiam non audierit, sit sibi sicut ethnicus et publicanus" (Matth. 18, 17).

Appendix.

De quaestione sociali [1]).

Quaestio socialis, hodie adeo disputata, potest accipi sensu latiore et strictiore. Sensu latiore est doctrina de vita civium sociali et oeconomica recte instituenda, ut inde salus publica et civitatis et privatorum quam maxima habeatur. Iam vero hanc doctrinam, in quantum ad ethicam spectat, in toto libro exposuimus, praesertim vero iis locis, ubi de iuribus et officiis civitatis sermo erat (supra p. 440, 498 sq). Quaestio socialis sensu strictiore intelligitur investigatio de *statu actuali* vitae socialis et oeconomicae plus minus perfecto sive imperfecto; vita autem *socialis* cognoscitur ex classibus, quibus societas aliqua constat et relatione mutua inter eas; vita vero *oeconomica* manifestatur per modum activitatis, qua bona vitae et culturae acquiruntur et possidentur. Patet, nostrum esse hoc loco quaestionem socialem sensu strictiore exponere, breviter investigantes, qui sit status classium praecipuarum, quibus societas constat, unde ortus sit, quae media ad statum meliorem faciendum adhibenda sint. — Statum socialem et oeconomicum Germaniae inprimis prae oculis habemus, siquidem quaestio socialis non eadem est in singulis nationibus, quia saepe vel agricultura praevalet, sicut in Italia, Hispania, in multis partibus Americae; vel industria, sicut in Britannia, Belgica et quibusdam partibus Americae; vel agricultura et industria fere eodem modo vigent, sicut in Germania, Gallia, Austria aliisque nationibus (cfr. supra p. 318). Attamen quae de quaestione sociali dicemus, implicite etiam valent pro aliis nationibus, quum status culturae similis sit in civitatibus Europae et Americae et evolutio socialis et oeconomica ubique similiter se habeat. Quoniam autem quatuor potissimum classes in civitatibus hodiernis distinguuntur: *agricolarum, opificum, mercatorum, operariorum* (industrialium), de earum statu sociali et oeconomico breviter disserendum est. Adiciemus etiam quaedam de conditione hodierna *feminarum*.

Principia autem, quibus innitimur in hac quaestione exponenda, partim sunt religiosa, partim socialia, partim oeconomica. *Religiosa* sunt de *fine*

---

[1]) Auctores multos hanc quaestionem tractantes vide supra p. 297, nota 2, quibus adde: Ratzinger, Die Volkswirtschaft in ihren sittlichen Grundlagen, 1895 [2]; Psenner, Christl. Volkswirtschaftslehre für Freunde des Volkes, 2 vol., 1907; necnon tractatus de hac quaestione plus minus prolixos in operibus lexicalibus: Staatslexikon d. Görresgesellschaft [2]; Handwörterbuch d. Staatswissenschaften [2]; Wörterbuch der Volkswirtschaft [2]. Herder, Konversationslexikon.

hominis: Homo creatus est a Deo, ut eum cognoscat eique serviat et hoc modo vitam aeternam consequatur. Non igitur habet finem solum temporalem, sed aeternum, cui omnes actiones subordinandae sunt, sicut media ad finem, unde in hac sua activitate principia religiosa et moralia prae oculis habere debet, quae ecclesia, Dei vicaria, docet. — *Socialia* sunt: Homo ex natura sua sociali debet vivere in societate, quae constat ex classibus inter se distinctis et per communem auctoritatem publicam regitur. — *Oeconomica* sunt: Iure exsistit proprietas privata et industria privata; labor autem, licet praecipuus sit fons proprietatis, non tamen est unicus. Reicimus igitur et *Socialismum*, qui negat ius proprietatis privatae et auctoritatem publicam (cfr. supra p. 296 sq.), et *Liberalismum*, qui liberam postulat concurrentiam laboris et negotii, quin principia moralia vitam socialem et oeconomicam dirigant (cfr. supra p. 311 sq.).

I. *De quaestione agraria* [1]).

1. *Status praesens:* Quamvis agricolae hodie fere ubique, saltem in Europa, sint personaliter liberi (cfr. quae supra p. 418 de historia status agricolarum diximus) et independentes ac proinde sub hac ratione meliores se habeant, quam olim, attamen eorum status oeconomicus in pluribus regionibus et nationibus in multis deficit. Signa huius depressionis sunt: a) Agricolae in multis terris non ipsi sunt proprietarii, sed *conductores*, praesertim ubi multa sunt latifundia e. g. in Britannia et Hibernia, in aliquibus provinciis Borussiae (Ostelbien), in Italia (cfr. supra p. 519) etc. Sic in Germania anno 1895 erant 5 558 317 operae (Betrieb) rurales, quarum 2 607 210 = 50 % ex parte propriae, ex parte conductae, et 912 259 = 16,5 % mere conductae; in Belgica (1880) 49 %, in Gallia (1886) 35 %, in Batavia (Holland) (1887) = 44,7 %, in Britannia (1890) = 500 %, in Hibernia 1890 1200 %, in America septentrionali 25 %, in meridionali 35—40 % [2]). b) *Debita* multa; sic hypothecae in Germania iam anno 1882 erant 12 000 000 000 M. et annis 1890—1899 quovis anno oppignerationes rurales (Hypotheken) pro 175 000 000 M. inscriptae sunt; in Austria 65 % possessionum ruralium oppigneratae sunt et annis 1878—1892 quovis anno 10 000 fere possessiones rurales sub hasta venerunt, similiter in aliis nationibus. c) Populatio ruralis *decrescit;* sic anno 1882 in Germania erat: 18 704 038, anno 1895: 17 815 187 i. e. minus 888 851; anno 1882 populatio ruralis in Germania erat 42,5 % totius populationis, 1885: 35,4, 1901: 34; e contra urbes continuo valde crescunt propter immigrationem ex rure, anno 1800 in Germania duae urbes plus 100 000 incolis habebant, anno 1900 autem 33, similiter alibi. d) *Rentabilitas* agriculturae ultimis decenniis erat minima: anno 1890 = 0,6 % [3]).

2. *Causae huius status:* a) *Defectus iuris hereditatis;* propter aequalem vel fere aequalem agrorum divisionem tandem pauperismus oritur, vel si maiores natu possessionem paternam emunt ab aliis heredibus, pretium maius

[1]) Cfr. Ratzinger, Erhaltung des bayr. Bauernstandes, 1883; Pichler, Zur Agrarfrage der Gegenwart, 1897; Zentrum und Landwirtschaft, 1898. Psenner, l. c. p. 97 sq. [2]) Handwörterb. der Staatswissenschaften, VI², 1901, Art. „Pacht". [3]) Cfr. supra p. 317.

solvitur, quam fructus ex agris percepti; inde tot subhastationes (cfr. supra p. 526); b) *Pretium frumenti et pecoris* plerumque nimis parvum erat; sic annis 1871—1880 100 hl frumenti (Weizen) constabant: 22,30 M.; 1881—1890: 17,92, 1891—1900: 16,48 M. propter concurrentiam aliarum terrarum, quae fertiliores sunt et mercedes inferiores solvunt. Deinde per negotium fictum bursarum (Terminhandel cfr. supra p. 348) pretia valde immutata sunt. Accedit, quod sumptus importationis ex anno 1869 usque hodie fere 100 % decrescebant (100 kl a New-York usque Hamburg 1889 = 0,78 M., 1895 = 0,37 M.; ex India 1880: 8 M., 1895: 4 M.). c) *Tributa magna et mercedes* nimiae operariorum ruralium, quae tribus his decenniis fere 100 % creverunt, et operarii ipsi multo minus fideles sunt atque minus industrii et obedientes quam olim. d) Denique negari nequit, etiam agricolas, licet religio et mores apud ipsos magis floreant, quam alibi, attamen nonnunquam vestibus et vita magis luxuriosa, quam forte statui convenit, ad statum suum deprimendum aliquod contulisse.

3. *Remedia.* A) *Ex parte civitatis:* a) Ubi latifundia sunt, civitas ea, si ipsa possidet, in partes dividat et vendat pretio medio, ita ut classis numerosa agricolarum formetur, quae est fundamentum potissimum ordinis et moralitatis, imo et populationis frequentis in civitate. Si vero civitas ipsa latifundia non possidet, posset ea emere vel etiam possessores excitare, ut ea agricolis vendant: et si ea locant, saltem agricolis ipsis, non negotiatoribus locent. b) Ius hereditatis aequalis ita est modificandum, ut pater per testamentum alicui heredi saltem partem maiorem agrorum possit relinquere; neque enim est ius naturale, omnes heredes aequam recipere partem (cfr. Anerbenrecht, Höferolle, ut supra p. 342 sq.). c) Posset per legem civitatis pars possessionis quaedam determinari, quam vendere non liceret [1]) (Heimstätten), ita ut familiae semper retineretur ad instar fidei commissi, vel etiam prohiberi, ne ultra certam summam debita contraherentur (Verschuldungs- und Veräusserungsgrenze), id quod tamen a nonnullis reicitur, quia tunc vix quisquam proprietario pecuniam praestaret forte necessariam ad possessionem meliorandam vel ad debita solvenda [2]). d) Vectigalia sunt imponenda rebus importandis, ita tamen ut necessaria vitae pro aliis classibus non nimis cara fiant. Sic apud nos ultimis annis vectigalia imposita sunt (cfr. supra p. 510), ita ut notabilis inde status agrarii progressus resultaret. Porro viae publicae vel ferreae construendae sunt, ut agricolae producta sua facile vendere possint. e) Munus publicum rurale instituendum est, quod quovis anno in statum agriculturae inquirat et quae necessaria sint, gubernio proponat; ita ex anno 1894 apud nos factum est (Landwirtschaftskammern). Porro instituta monetalia sive a civitatibus sive a provinciis excitanda sunt, quae modico foenere agricolis pro longo tempore (langfristiges oder unkündbares Darlehen) pecuniam mutuam dant, ita ut quovis anno cum foenere etiam pars capitalis solvatur (amortisieren); ita fere ubique in Germania. f) Monopolia privata ad frumentum emendum vel vendendum prohibenda sunt [3]) necnon negotia fictiva bursae (Differenzgeschäfte), quae apud nos lege anni 1896 vetantur [4]).

[1]) Cfr. BGB. § 2049. [2]) Retzbach, Die soziale Frage, 1905, p. 223; contra Psenner, l. c. p. 124. Siebertz, Polit.-soz. Abc-Buch, 1900, Art. Agrarfrage, Anerbenrecht, Heimstättengesetz, Höferolle, Bauernstand u. Zentrum. [3]) Cfr. Psenner, l. c. p. 257 sq. [4]) Cfr. supra p. 347 sq.

Non tamen ipsa civitas, ut Kanitz vult[1]), totum negotium (monopolium) frumenti emendi et vendendi cum aliis nationibus sibi vindicet, ne status tandem socialisticus oriatur. g) Denique onera militaria allevanda sunt, siquidem $^{2}/_{3}$ militum rure sunt, ita ut parentes careant operariis et filios milites saepe pecunia multa adiuvare debeant.

B. *Ex parte ipsorum agricolarum:* a) Agricolae debent modo rationali agros colere i. e. *intensive*, non iam extensive, sicut olim (Caroli magni capitulare de villis — Dreifelderwirtschaft), sed mutatis fructibus et adhibito stercore arte facto (Kunstdünger: Thomasmehl, Chilesalpeter, Kainit etc.) lucrum quam maximum ex agris percipere. b) Porro instrumenta nova ad labores accelerandos et facilitandos adhibenda sunt, ut non iam tot indigeant mercenariis, hodie tam raris et caris. c) Ut pecuniam ad hunc effectum necessariam habeant, vel instituta publica ruralia adeunda sunt, vel associationes privatae formandae, quae facile et pro necessitate mutuum dent. Inde ortae sunt associationes a Schulze-Delitzsch († 1883) et Raiffeisen († 1888), quarum tamen hae ultimae 1854 fundatae praeferendae sunt, quia directe pro agricolis sunt institutae, quia minores sumptus administrationis habent (solus cassam gerens habet salarium), plerumque pro locis singulis (parochiis, vicis) et inter socios sibi notos instituuntur ad se mutuo adiuvandos, neque hypothecam postulant, ut illae (Realkredit), sed propter securitatem personalem (Personalkredit) mutuum dant idque pro tempore plus minus longo; accedit, quod ex animo vere christiano ortae sunt, illae potius ex liberalismo. Anno 1903 in Germania erant 13 481 associationes ad mutuum dandum, quorum anno 1901 secundum systema Raiffeisen 3713 cum 265 000 sociis et capitali fere 1 500 000 000 M.[2]). Cfr. supra p. 289 nota 1. d) Associationes porro instituendae sunt ad fructus, domus, pecora assecuranda, quod vel privatae societates vel publicae ubique fere praestant. Deinde uniones quaedam adesse debent, in quibus se in rebus ruralibus instruunt (ländliche Fortbildungsschulen), vel se tuentur contra usurarios, vel agitant pro legibus bonis constituendis, vectigalibus imponendis, viis, scholis procurandis etc. Ita in Germania habentur praeter associationes possessorum latifundiorum (Bund der Landwirte) praesertim societates agricolarum (Bauernvereine), primum in Westfalia anno 1877 (v. Schorlemer-Alst 1904 = 30 000 socii), deinde in aliis provinciis (associatio Rhenana anno 1904: 48 000, Silesia 22 000, Trevirensis 20 000, Warmiensis — Ermeland — 6000, Hassiensis 3000, Nassoviensis 8250, Badensis 56 000, Bavariensis 67 000, Alsatica 1000 habebat socios). e) Porro illae associationes, si opus fuerit, fructus vel pecora vel lac vel butyrum vel vinum in communi vendere, stercora arte facta vel semina coemere, machinas pro sociis communes, imo etiam agros et latifundia inter se dividenda comparare possunt (Erwerbs-, Verkaufs-, Betriebsgenossenschaften), quibus societatibus agricolae, ut experientia docet, valde adiuvantur; hodie in Germania 20 000 fere societates rurales omnis generis esse dicuntur. f) Denique hae associationes etiam tabellam eorum, qui mercenarios quaerunt

[1]) Cfr. Siebertz, Sozial.-polit. Abc-Buch, p. 384 sq. (Antrag Kanitz).
[2]) Cfr. Staatslexikon², Art. Schulze-Delitzch, Raiffeisen. Retzbach, l. c. p. 239; Herder, Konversationslexikon, Art. Darlehnskassenvereine.

vel labore carent, exhibere possunt (Arbeitsnachweis). g) Denique domestici et mercenarii bene tractandi sunt bonumque exemplum vitae christianae eis exhibendum est: Ora et labora!

II. *De quaestione opificum* [1]).

1. *Status praesens.* Opifices vocantur, qui vel soli vel cum paucis (1—5) operariis: discentibus (Lehrlinge) et cooperantibus (Gesellen) pro certis personis (ständige Kunden) res integras (e. g. vestes, supellectilem etc.) producunt. Iam vero constat, hodie omnium classium apud nos opificum (Handwerker) conditionem esse tristissimam. Hoc apparet ex factis quibusdam: a) Ex anno 1882—1895 [2]) numerus opificum independentium (selbständig) decrevit: 117 000 = 7,5 %, et si incrementum populationis hoc tempore spectatur = 20 % i. e. pars quinta opificum. Hodie opifices independentes numerantur fere 1 500 000, cum familiis fere 4 500 000. Attamen non omnium opificum numerus diminutus est, sed solum eorum, quibuscum fabricae concurrunt; porro opificum multi vel fabricantes facti sunt, vel in fabricis tanquam operarii vel operae magistri et inspectores vitam degunt, forte meliorem quam olim ut opifices independentes quidem, sed pauperes et miseri. b) Constat, multos opifices hodie vix tantum proficere, ut familiam honeste alant, ita ut duae partes eorum ($^{2}/_{3}$) vix reditus annuos 2000 M. attingant.

2. *Historia:* Medio aevo ex decimo fere saeculo opifices coadunati erant in societatibus quibusdam cooperativis (Zünfte, Innung, Gilden, Ämter), quarum originem alii ex collegiis opificum Romanorum, alii ex opificibus villarum Francorum, alii ex naturali et necessaria rei oeconomicae et socialis urbium evolutione, alii, forte iure potiore, ex omnibus his causis simul sumptis derivant. In his opificum collegiis medii aevi, quae diversa erant pro opificii diversitate, omnes opifices inesse debebant (Zwangsinnung); secus artem exercere non licebat. Socii ipsi eligebant praesidem (Zunftmeister), cuius erat, socios convocare, bona communia administrare, cum quibusdam deputatis lites componere (Schiedsgericht), novos socios recipere, indignos ex collegio eicere, collegium publice repraesentare; in genere erat eo ipso etiam consiliarius magistratus civitatis. Haec igitur collegia erant *iuris publici*, quae propriam aliquam et administrationem et iurisdictionem habebant et pars potior omnium civitatum, imo et magistratuum medii aevi erant.

Opifices autem distinguebantur magistri sive patroni (Meister), cooperantes (Gesellen), discentes (Lehrlinge), qui omnes in domo patroni et sub eius custodia vivebant. Tempore quodam elapso omnes fiebant patroni independentes, ritu solemni adhibito, examine publico peracto (Meisterstück). Illegitimus nativitate non recipiebatur et qui mores vel religionem negligebant, eiciebantur. — Cassam habebant communem, qua aegroti, pauperes, invalidi et viduae sustentabantur. Porro mutuum dabant sociis sine foenore ad expensa necessaria (Vorschuss-, Unterstützungs-, Sterbekasse) et in communi materiam brutam fabricandam procurabant (Rohstoffgenossenschaften).

[1]) Cfr. H. Pesch, Die neuzeitliche Entwickelung im Handwerk, L. Stimmen 1904, II, p. 486 sq.; Die Handwerkerfrage d. Gegenwart ibid. 1905, I, p. 411 sq.
[2]) Cfr. statisticam supra p. 306.

Ipsi socii coadunati definiebant, quot discentes et cooperantes quisque habere, quantum producere et quo pretio vendere possit vel debeat, neque cuiquam opifici extraneo licebat, intra urbem eiusque territorium (Bannmeile)[1]) quidquam vendere, nisi ex permissione speciali magistratus et certis quibusdam diebus anni (Messen). Ipsa autem collegia per praesides suos et deputatos magistratuum merces singulorum sociorum nonnunquam examinabant et fraudantes severe puniebant, vel si pluries eos inveniebant fraudantes, ex collegio eiciebant. Hoc modo et productio et distributio et consumptio rerum necessariarum optime erat regulata. Unde non mirum, opifices tunc et arte sua et opibus et honoribus floruisse, quemadmodum neque ante neque post tempora medii aevi i. e. ex 12—16 saeculum[2]); erat, uti dicunt, aurea aetas opificii, praesertim in Germania, et cum opificio ars ipsa erat intime coniuncta, ut opera ex illo tempore testantur.

Ipsa collegia totidem quoque formabant agmina militum ad patriam defendendam; unde socii in armis utendis sese exercebant sub praeside, neque nisi armati (etiam cooperantes) publice incedebant, simul gestantes signum aliquod sive instrumentum opificii sui. — Addendum est, illa collegia simul fuisse totidem quoque confraternitates religiosas, quae aliquem Sanctum tanquam patronum specialem colebant, cuius festum processionibus et cultu

[1]) Tunc urbes multos agros in circuitu possidebant, plerumque 6—9000 iugera; Nürnberg 20 Quadrat-Meilen.

[2]) Hoc etiam ecclesiae minime faventes fatentur; ita e. g. Kautsky, hodie antesignanus socialistarum: „Das, was heute für die Arbeiter ein Ideal ist, um was sie einen harten und erbitterten Kampf gegen die Bourgeoisie führen müssen, das war demnach vor einem halben Jahrtausend, im „finstern Mittelalter", bereits anerkannte Wirklichkeit. Die Arbeiter haben vor 500 Jahren weniger angestrengt gearbeitet und eine kürzere Arbeitszeit gehabt, als heutzutage. Trotzdem aber war ihr Lohn — in Naturalien bemessen — ein höherer als heutzutage. Davon zeugen die vielen damaligen Luxusverbote und Lohntaxen aus dem 14. und 15. Jahrhundert, welche erklären, der Arbeiter habe auf nicht mehr, als auf zwei Fleischspeisen und ein gewisses Mass Wein oder Bier im Tag Anspruch (die Arbeiter assen damals mit dem Meister an einem Tisch) und welche den Gesellen verboten, sich in Sammt und Seide zu kleiden und dergleichen mehr. Heute wären solche Verbote höchst überflüssig" (cfr. Siebertz, Gesch.-Führer, p. 36). Et *Schoenberg*, rei oeconomicae professor notissimus: „Die Geschichte des 14. und 15. Jahrhunderts berichtet uns von einem Aufschwung der gewerblichen Arbeit und einem allgemeinen Wohlstand der Handwerker, wie beides vereint wir zu keiner Zeit wiederfinden" (Siebertz, p. 37; ubi multa alia invenies de hac re testimonia). — De animo autem religioso, quo collegia illa imbuti erant, lege, quid scribat libellus anno 1513 editus Moguntiae: „Eyn cristlich ermanung": „Darumb vor allen Dingen thun sich die Bünde und Bruderschaften in der Arbeit zusammen, das ir ganz Leben in cristenlicher Zucht und Lib geordnet sey und die Arbeit selber geweyhet werde. Denn wenn wir arbeiten alle nach Gottes Gebot, so arbeiten wir nit allein umb des Gewinstes willen. Denn das ist kein Segen und bringt Schaden der Seele. Der Mensch soll arbeiten umb der rechten Ehre Gottes willen . . . Auch um zu haben, was uns und den Unsern zum Leben not und auch wol, was zu cristenlicher Freud gereicht, nit minder aber auch, um den Armen und Kranken mitteilen zu können" (Ibid. p. 659).

publico celebrabant in ecclesia vel ad altare huic Sancto consecratum; imo collegia plurima videntur ex confraternitatibus orta esse. Patroni cogebant discentes et cooperantes, saltem diebus dominicis et festivis (tunc permultis), divino officio interesse et pluries per annum sacramenta confessionis et eucharistiae accipere. Unde vix unquam adeo quam tunc vigebat principium christianum: Ora et labora.

Postquam autem „reformatio" exorta est, fide una amissa, etiam unitas collegiorum collapsa est. Accessit, quod per bella continua, ex reformatione potissimum orta, praesertim in Germania res publicae sociales et oeconomicae, olim florentes, in peius mutatae sunt. Porro collegia ipsa opificum ab animo antecessorum deficientes, non iam alios nisi filios suos vel generos in collegia admittebant, ut proprietatem collegiorum saepe magnam et lucrum ex opificio sibi solis reservarent (geschlossene Zünfte), neque novis laboris conditionibus, machinis[1]) inventis, sese adaptare sciebant. Inde factum est, ut iam saeculo 17 primum in *Britannia* maxime industriali collegia de facto abolita sint, de iure 1814 et 1835; in *Gallia* Turgot minister publicus 1776 et deinde respublica 1789 collegia opificum dissolvit, imo eorum praesides reclamantes securi percussit. In *Borussia* anno 1810/11 coactio ad collegia formanda (Zunftzwang) abolita est et 1869/71 (Gewerbeordnung §§ 1—13) *plena libertas* (Gewerbefreiheit) cuiuscunque opificii et negotii ubique exercendi (Freizügigkeit), nullo examine publico facto (Befähigungsnachweis), proclamata est; id quod etiam in aliis Germaniae civitatibus fiebat. — Ex hac historia opificii iam apparet, cur a statu pristino adeo defecerit.

3. *Causae:* Principalis externa est nova laboris conditio, quae ultimis saeculis, machinis inventis, effecta est. Opifices enim non iam possunt concurrere cum fabricis, quae vel idem vel partem eorum, quae olim opifices faciebant, producunt idque minore pretio, quia utpote magnis in genere opibus praeditae, praesertim societates actionum, materiam brutam meliorem eamque minus caram emunt. Deinde facilius et minore tempore res conficiunt, quia partes laboris singulis distribuunt magis expeditis (Arbeitsteilung). Porro saepe etiam melius et exactius res efficiunt, quam opifex. Denique maiorem copiam producunt et in meliore conditione vendendi versantur. b) Deinde per leges ipsas libera concurrentia proclamata est, unde pristina omnia opificii tutamenta (Zunftzwang, Befähigungsnachweis) diruta sunt; inde etiam merces producta semper vilior facta est (Schundware). c) Opifices ipsi consuetudini pristinae operandi adhaerentes, novo rerum statui se non satis accommodabant, non se invicem sociantes ad materiam brutam communiter emendam et machinas adhibendas. d) Opibus destituti, multi opifices cogebantur pro mercatoribus res conficere (Verlagssystem), praesertim vestimenta, textilia etc., vel ab eis materiam brutam et machinas emere sive commodare (Heimarbeit, Hausindustrie), ita ut lucrum negotiatoribus cederet et artifices magis magisque dependentes pauperesque fierent. — Accedit, quod modus vivendi (alcoholismus et vanitas) statui opificum saepe non erat conformis.

[1]) Machina vaporis a James Watt (1774) et textrina ab Arkwright 1768 inventa est, quibus conditiones laboris prorsus immutatae sunt.

Attamen addendum est, non omnes species artis fabrilis calamitatem illam subiisse, sed solum illas, quarum productum a fabricis fieri potest, ut sunt opera fabri lignarii, ferrarii, textoris etc. Alia autem opificia, praesertim rure e. g. pistorum, laniorum etc., non sunt diminuta, imo plerumque aucta; sic operae cum 1—5 operariis 21 %, cum 6—10 operariis 65 % annis 1882—1895 creverunt, populatio autem 14 % [1]); in his operis autem certe multa sunt opificia proprie dicta. Accedit, quod fabricae etiam nova opificia produxerunt et multis fabris maius lucrum praestant, quam si soli essent atque independentes. Nihilominus dolendum est, quod tot fabri dependentes fiant vel a fabricis vel a mercatoribus.

4. *Remedia.* A. *Ex parte civitatis:* a) Quum conditio oeconomica hodie alia sit ac medio aevo, civitas neque officium neque potestatem habet, collegia medii aevi iterum restaurandi. Potest tamen, imo debet pro parte sua adiuvare opifices, ut quantum fieri possit, statum suum i. e. *independentiam suam socialem et oeconomicam* retineant; sunt enim pars magna classis mediae (Mittelklasse), quae pro omni civitate praecipua est. Quamvis igitur civitas fabricas destruere non possit neque industriam impedire [2]), potest tamen opificibus ius conferre ineundi societates professionales non solum privatas, sed publicas i. e. iuribus quibusdam et praerogativis praeditas. Iam vero duo potissimum privilegia ab opificibus hodie postulantur: *Collegia* legalia, quibus omnes opifices eiusdem generis inesse *debeant* (Zwangsinnung), *et examen publicum*, sine quo nemini liceat negotium vel opificium exercere (Befähigungsnachweis).

α) Via ad *collegia* illa legalia ad instar medii aevi formanda aperta est per legem 1878 decretam, qua tales societates ab opificibus *libere* formatae iura publica recipiebant, quae iura per leges 1884 et 1887 augebantur. Lege vero anni 1897 praeter collegia *libera* etiam facultas conceditur, collegia pro omnibus *obligatoria* instituere, dummodo *maior* pars opificum *eiusdem* generis id voluerit, quae iam dissolvi non possunt nisi tres partes (3/4) hoc postulaverint. Horum collegiorum est, honorem status promovere, lites componere,

---

[1]) Cfr. supra p. 306. Engel l. c. p. 225.

[2]) Nimium forte Psenner aliquibus videtur a civitate postulare docens, eam debere prohibere fabricas maiores (Grossbetrieb) eas res producentes, quae ab opificibus produci possint, e. g. fabricas ad vestes, panem, supellectilia conficienda. Porro aliarum rerum necessariarum productionem e. g. fodinas, fabricas machinarum, praesertim totam rem postalem et ferroviariam melius ipsi civitati vel communitatibus reservari, sicut fabricatio tabacci in Austria a civitate ipsa efficiatur (monopolium: 30 fabricae cum 39 000 operariis, in quibus 34 000 feminae). Quodsi privatis productio talis maior concedatur, numerum et personarum et filialium esse ab auctoritate determinandum, ne nimia aliis operis fiat concurrentia et plures operae minores (Kleinbetrieb) independentes fieri possint (l. c. p. 219 sq.). — Ceterum notandum est, auctores remedia indicare pro conditione et necessitate suae quisque civitatis; unde non mirum est, quod, licet in principiis consentiant, differant tamen nonnunquam in his principiis applicandis pro diversitate conditionis civitatis suae vel pro tendentia plus minus liberali sive autocratica auctoritatis publicae. Quod enim uni civitati facile concedi potest, forte alteri non esset tribuendum (cfr. supra p. 468).

numerum et instructionem discentium (Lehrlinge) regulare, examen cooperantium instituere [1]), labore carentes adiuvare, assecurationem aegrotorum, invalidorum inire, communiter emere [2]) vel vendere, sociorum institutionem provehere scholis vel cursibus institutis. Collegia eiusdem generis possunt iterum inter se societatem formare (Innungsausschüsse) necnon cum collegiis alterius generis (Innungsverbände) ad maiorem vim exercendam. — Anno 1902 exsistebant 10 950 collegia cum 457 283 sociis (ex 1 300 000 opificibus anno 1895 recensitis), quorum 198 543 in 2955 collegiis obligatoriis erant. Associationes inter collegia eiusdem generis anno 1902 erant 173, inter ea alterius generis erant 1902 = 42 cum 226 727 sociis. β) *Examen publicum* duplex distinguitur: *Majus* et *minus* (grosser und kleiner Befähigungsnachweis). Majus illud est, quo quis titulum magistri recipit, sine quo non liceat neque opificium exercere neque discentes instituere. Quod quamvis multi postulent et deputati catholici saepius postulaverint [3]), vix tamen consensus gubernii nostri (in Austria exsistit ex anno 1883) speratur, siquidem multae obstant difficultates iam in opificiis ab invicem et a fabricis distinguendis; tunc et fabricantes vel eorum filii examina subirent vel magistros examinatos instituerent, ita ut effectus ex examine speratus i. e. fabricarum ruina inde non sequeretur. Accedit, quod opifices, si aliud genus operandi lucri gratia assumerent, denuo examen subire deberent, unde et multi opifices illud respuunt [4]). — *Examen minus* illud est, quo quis titulum magistri et ius exclusivum acquirit, discentes instituendi, quod ius usque modo omnibus 24 annos natis competit, qui solum examen cooperantis (Gesellen) subierunt vel per 5 annos opificium exercuerunt. Atque hoc ius speratur fore ut concedatur. γ) Ex anno 1897 etiam „camerae opificum" a gubernio erecta sunt i. e. coetus virorum, qui ex collegiis opificum eleguntur et praesidente commissario gubernii saepius conveniunt, ut in conditionem opificum inquirant, ut eam promoveant, necnon leges proponant ad salutem opificum; ex anno 1900 eiusmodi 71 exsistunt camerae opificum. Sperandum est, ex his initiis novum tandem statum opificum similem medii aevi paulatim oriturum esse.

b) Porro auctoritatis publicae est, opificibus mutuum modico foenore procurare, quia maxime indigent opibus ad materiam brutam emendam; instituta autem monetalia privata in genere hypothecam postulant. Ad hunc effectum „cassa associationum centralis" (Preuss. Zentralgenossenschaftskasse) 1895 fundata est, quae associationibus omnibus et urbicis et ruralibus succurrit, ut facilius mutuum personale (Personalkredit) dare possint, quae cassa ex anno 1899 iam de 50 000 000 M. disponit.

c) Deinde opifices instruendi sunt tum in opificio suo pro exigentia temporis nostri et in machinis adhibendis (technische Ausbildung), tum etiam

---

[1]) Hoc ius non habent nisi collegia obligatoria.

[2]) Collegiis tamen *obligatoriis* qua talibus non licet, nisi ex speciali concessione, societates ad materiam brutam procurandam inire, neque pretium mercium vel quantitatem productionis sociorum definire; nil tamen impedit, quominus *libere* de his rebus conveniant.

[3]) Cfr. Siebertz, Polit. soz. Abc-Buch, Art. Befähigungsnachweis.

[4]) Cfr. Retzbach, l. c. p. 184. Engel, l. c. p. 252 sq. — Alii tamen auctores e. g. H. Pesch, Psenner, l. c. etc. examen maius necessarium habent.

in rebus suis bene disponendis et calculandis (Buchführung). Quare civitate adiuvante scholae complementariae (Fortbildungsschulen) et professionales (Fachschulen) sive a collegiis opificum, sive a civitatibus instituendae sunt, quas discentes (Lehrlinge) plures annos (14—18) per aliquod horas in hebdomade frequentare debent. Anno 1902 in Borussia erant 1684 tales scholae, plerumque obligatoriae, a communibus vel collegiis opificum excitatae; anno 1903 in Austria 866, in quibus 5537 magistri 96 678 discipulos instituebant. Necnon „cursus" habentur (Meisterkurse) ad ipsos patronos i. e. „magistros" opificum instruendos, ad quem effectum ipsa civitas quotannis certam summam expendit (ex anno 1905 = 45 000 M.).

d) Denique operae a gubernio vel a communitatibus submittendae opificibus sunt tradendae et fabricis necnon negotiis omnis speciei res vendentibus (Warenhäuser), quibuscum opifices concurrere non possunt, maiora tributa imponenda sunt.

B. *Ex parte ipsorum opificum* requiritur: a) Mutua invidia seposita, collegia illa iuris publici formanda sunt, ut conditionem suam promoveant et leges eis favorabiles excitare possint. b) Associationes formandae sunt, ut *mutuum* sibi praestent (Innungs-Gewerbe-Banken), non solum reale, sed personale ad instar cassarum a Raiffeisen fundatarum (supra p. 528), praesertim innixae lege de societatibus 1889 assecurationis restrictae (G. m. b. H., cfr. supra p. 352). Accedunt societates consumptivae et productivae, quibus materiam brutam, necnon machinas ad usum communem procurant, vel etiam res factas vendunt (Einkaufs-, Betriebs-, Magazingenossenschaften; cfr. supra l. c.). c) Denique oportet mercem solidam producant, de pretio et mensura conveniant, in quantum leges permittunt, ne per inhonestam concurrentiam se mutuo perdant; tandem cives ipsi res ab opificibus factas aliis praeferant, modo hoc mereantur, et *statim solvant*, neve opifices res usu consumptibiles mutuas dent; est enim ruina et vendentium et ementium; denique parce temperanterque vivant.

Apud catholicos in Germania exsistit societas cooperantium (kathol. Gesellenvereine) a Kolping († 1865) in urbe Elberfeld 1849 fundata, quae cooperantibus, ne religio et mores damnum patiantur, domicilia exhibet, iter facientes hospitaliter (400 hospitia per Germaniam) excipit, necnon socios in artibus opificii sui instruit. Anno 1901 exsistebant 1086 societates, in quibus 80 000 cooperantes erant et 120 000 magistri (Meistern); nunc eorum folium (Kolpingsblatt) 45 000 exemplaria emittit; anno 1903 socii habebant 2 000 000 M. deposita in arcis suis. — Protestantium societas ad eius exemplar fundata anno 1904 habebat 1500 socios.

III. *De quaestione mercatorum.*

1. *Historia:* Mercatores sensu communi vocantur, qui res consumptibiles ab aliis productas emunt, ut aliis vendant; qui, si res emptas magna copia iterum aliis vendentibus vendunt, *negotiatores* (Grosskaufmann), si consumentibus vendunt, proprie *mercatores* (Detaillisten) appellantur. Negotiatores apud omnes gentes civilisatas, e. g. iam apud Babylonios et Aegyptios veteres sive per mare sive per terras (Karawanen; Genes. c. 37) pergentes inveniuntur. Praesertim vero Phoenices coloniis fundatis usque ad 850 a. Chr., deinde

Graeci usque 146 a. Chr. et postea Romani negotium per mare medium eiusque oras usque ad Britanniam exercebant. Post imperium deletum Byzantini usque ad 1096 p. Chr., deinde Itali (Venetia, Pisa, Genua, Amalfi) et urbes Brabantiae et Germaniae (Brügge, Gent, Löwen, Hamburg, Lübeck, Bremen, Cöln, Frankfurt, Nürnberg, Augsburg etc.) medio aevo (1096—1492) commercium Europae occupaverant. America autem et via ad Indiam australem detectis, Hispani et Lusitani 1492—1600, deinde Batavi et Britanni (privilegiis urbium Hansae abolitis) 1600—1815 principatum mari obtinebant, quem Britanni usque hodie, Gallia tamen et America septemtrionali necnon Germania in dies magis concurrentibus, retinuerunt.

Sed in tota hac commercii evolutione non agitur nisi de *negotiatione*. Nobis vero hic potissimum sermo est de *mercatura,* quae res consumptibiles, lucro plus vel minus parvo, consumentibus in specie vendit. Atque haec mercatura tandem saeculo 18 orta est, siquidem usque eo opifices ipsi res productas consumentibus immediate vendebant, ita ut totum lucrum eis remaneret. Mercatores autem interpositi 50 % fere lucri percipiunt, pro tota Germania fere 2 700 000 000 M., ita ut producentes solum 300 000 000 M. reditus ex productione sua habeant.

2. *Status praesens:* Primo intuitu posset videri, mercaturam hanc nostro tempore magnos progressus fecisse, siquidem numerus mercatorum independentium (selbständig) annis 1882—1895 crevit 40 %, populatio ipsa 14 % (1882: 452 725; 1895: 635 209, quorum 317 460 a singulis personis — Alleinbetriebe — exercebantur). a) Attamen hoc incrementum praecise est damnum totius classis propter mutuam concurrentiam saepe inhonestam (per venditiones fictas [Reklame]) et merces continuo deteriores factas ratione qualitatis et quantitatis. b) Accedunt negotia mediis quibusdam pretia mercis deprimentia (Abzahlungsgeschäfte, Rabattgesellschaften), praesertim vero *negotia praegrandia* cum „filialis" suis in urbibus magnis dispersis in Germania fere 500, quae res facile consumptibiles omnis generis vendunt. (Warenhäuser, primum in Gallia Parisiis: Bon Marché, Louvre, Samaritaine; in Britannia: William Whiteley, Harrods-Stores; in America: Marshal Field et Cop. in Chicago, quod negotium uno die, vigilia natalis Domini, merces pretio 2 500 000 M. vendebat; in Germania: Titz et Wertheim, quod negotium Berolini maximum 5000 fere personas continet[1]). c) Deinde *societates consumptivae* (Konsumvereine, cfr. supra p. 352) magnam aliis creant concurrentiam, quia certum atque stabilem numerum sociorum ementium habent et opibus praeditae directe a producentibus copiam magnam fere sine ullo periculo mercium coemere possunt[2]).

[1]) Negotium „Bon marché" Parisiis 7200 negotiorum minorum ruina fuisse dicitur per concurrentiam, quare Psenner censet, haec negotia per leges non solum maioribus tributis aggravanda, sed etiam quoad numerum personarum restringenda, imo nova non concedenda vel iam concessa, possessore mortuo, supprimenda esse (cfr. Psenner, l. c. p. 272 sq.).

[2]) Hodie exsistunt in Germania fere 2100 societates consumptivae cum 1 200 000 sociis et 300 000 000 M. negotiationis annuae (Umsatz), quarum maior pars, a societatibus Schulze-Delitzsch ex anno 1902 separata, centralem societatem communem habet Hamburgi (Zentralverband deutscher Konsumvereine). — Psenner (l. c. p. 192) societates consumptivas in genere oppugnat,

3. *Remedia.* a) *Ex parte civitatis:* Quamvis civitas multa negotia parva vix a ruina tueri possit, attamen, attento numero permagno mercatorum parvorum, per leges potest quaedam remedia stabilire: a) Imponendo maiora tributa negotiis illis praegrandibus (Warenhaussteuer), id quod iam ex longo tempore in Gallia, apud nos ex anno 1900 per tributa progressiva (1—2%) totius negotiationis (Umsatz) factum est, sed modo non sufficiente, unde nuper tributa haec augenda (usque 4%) esse decernebatur; anno 1907: 7367000 M. tributa inde percepta sunt. — Societates consumptivae, quum in favorem pauperiorum formatae sint, per se laudandae sunt, licet multa negotia inde damnum patiantur, attamen lege merito prohibetur, ne aliis quam sociis merces vendant. — Deinde lex iure prohibet *inhonestam concurrentiam* per venditiones fictas, per mercium qualitatem, quantitatem vel originem falso praedicata, per secreta negotii manifestata etc., et restringit venditionem mercium per domos singulas (Hausierhandel). — Denique lex permittit, ut „camerae negotiatorum" constituantur, quae statum mercatorum investigare et adiuvare debent, quae camerae apud nos liberae, alibi obligatoriae sunt. Ex anno 1905 *tribunalia mercatorum* in omnibus urbibus, quae plus 20000 cives habent, constituta sunt, quae discordias inter mercatores eorumque coadiutores (Gehilfen) componant; si agitur de summa supra 300 M., res ad tribunal commune i. e. civile deferenda est. Constant ex aequalibus partibus (paritätisch) mercatorum et coadiutorum, praesidente functionario publico.

b) *Ex parte mercatorum:* Mercatores ipsi debent inire societates communiter a producentibus ementes, ut eadem emolumenta ac negotia praegrandia et societates consumptivae inde percipiant, imo possunt ipsi etiam materiam brutam producere, formatis societatibus productivis et fabricis erectis sive agris emptis. — Deinde possent societates inire ad pretia mercium certo modo reducenda e. g. 5% (Rabattsparvereine), ita ut ementes quovis anno quasi praemium ad modum „dividendae" reciperent; sic eis emolumenta societatum consumptivarum conferrent. Atque hae societates „reductivae" ex anno 1899 exsistentes (hodie 185 cum 85000 sociis) magnum iam fructum produxerunt allicientes emptores et animum socialem inter socios corroborantes. — Denique magni momenti est, ut mercatores magis se instruant, praesertim in libris et calculis instituendis, in linguis alienis discendis, in mercibus et commercio penitus cognoscendis. Ad hunc effectum in multis civitatibus scholae mercatorum fundatae sunt, tum superiores (Handelshochschulen), in quibus ipsi negotiantes erudiuntur, tum inferiores, partim obligatoriae, partim liberae (ita in Borussia), quas discentes per aliquot annos, sicut opifices, frequentare debent. Licet hoc modo effectus concurrentiae non plene declinari possint, attamen multa inde emolumenta in statum mercatorum redundant et multorum ruina cavetur.

c) Denique *ex parte ementium* mercatoribus (idem dicendum est de opificibus) multum succurri potest, si opibus praediti non semper res infimi pretii emunt, quo facto pretia magis magisque deprimuntur et producentes

quia multos perdant mercatores et paucis solum afferant utilitatem eamque saepe nonnisi apparentem, quare merito nonnullis locis per auctoritatem publicam prohibeantur.

vix mercedem ad vitam sufficientem accipiunt (Heimarbeiter). Porro ementes statim solvant, ne mercatores nimia damna foenoris subeant; deinde emant inter diem et tempore minus frequentato, ne personae vendentes (Ladenpersonal) nimis molestentur. — In America 1890 unio ementium orta est, quae agitatione sua et ementes ad modum rationalem emendi et mercatores ad subditos bene tractandos instigare sibi proposuit, quae unio nunc in multis civitatibus inducta est[1].

d) Ad statum mercatorum promovendum multae exsistunt associationes, praesertim coadiutorum (Gehilfen), quarum praecipuae sunt: Verein für Handlungskommis (Hamburg) 1903: 69082 socii (folium: „Handelsstand"); Verband deutscher Handlungsgehilfen (Leipzig) 1903: 62438 socii; Deutsch-nationaler Handlungsgehilfenverband (Hamburg) 1902: 46112 socii (folium: „Handelswacht"); Verband *kathol.* kaufmännischer Vereinigungen Deutschlands, fundata 1877, 1907: 22000 socii (folium: „Merkuria") aliaeque plures et feminarum. (Cfr. Herder, Konversationslexikon: Kaufm. Vereine.)

Nova hodie classis media oriri videtur ex functionariis illis intermediis privatis (mittlere Privatbeamten), qui a magnis proprietariis, negotiatoribus, industrialibus, architectis, vel institutis monetaliis etc. ad res suas gerendas atque administrandas adhibentur. Atque hi functionarii, quorum numerus fere 2000000 (cum familiis 5—6000000), et reditus medii fere 2064 M. (feminarum 1135 M.) aestimantur, hisce annis se associare coeperunt (anno 1907 erant 580006 associati), ut statum suum promoveant et praesertim ut in casu invaliditatis et aetate 65 annorum pensionem lege determinatam recipiant, sicut operarii, et vix dubium est, quin hoc obtineant[2].

IV. *De quaestione operaria*[3].

1. *Historia:* Operarii sensu latiore omnes vocantur, qui pro mercede certa operam suam eamque corporalem aliis exhibent; hoc sensu etiam opifices sunt operarii. Sed sensu strictiore hodie illi operarii vocantur, qui pro mercede constituta materiam non propriam et instrumentis alienis per operam suam transformant idque opera divisa (Arbeitsteilung), ita ut singuli singulas partes operis producant. Hoc sensu praesertim operarii in fabricis et fodinis significantur (gewerbliche Lohnarbeiter). Hic status operariorum olim non habebatur, quia apud gentes antiquas servi vel domestici illa opera praestabant. Medio autem aevo ante urbes conditas in villis Francorum nobilium

[1]) Cfr. Soziale Kultur, 1908, p. 225 sq.: Koch, Konsumentenmoral und Käuferbund.

[2]) Cfr. L. Stimmen, 1908, p. 241, Koch: „Ein neuer Mittelstand".

[3]) Cfr. de tota hac quaestione inprimis Encyclicam Leonis XIII: Rerum novarum 1891; porro auctores p. 297 et 524 citatos; quibus adde Staatslexikon, Art. Arbeiterfrage (Hitze); porro ex collectione *Science et Religion:* N. 41 Ardant, Le socialisme et la proprieté; N. 152—155, Garriguet, Introduction à l'étude de sociologie; La propriété privée; N. 171, Toussaint, Collectivisme et communisme; N. 197, Rubat de Mérac, Premiers principes d'économie; N. 292, N. 326—327, Cetty, Les socialistes allemands; La famille ouvrière; N. 358—360, Garriguet, Production et profit; Vogelsang, Morale et économie sociale; L'école sociale chrétienne.

domestici vel etiam coloni omnibus providebant, quae ad vitam patroni et villicorum necessaria erant (Haus- und Hofwirtschaft), siquidem vixdum erat negotium. Urbibus autem conditis, opifices omnia procurabant, quae culturae urbicae conveniebant (Stadtwirtschaft), neque tunc commercium internationale habebatur, nisi inter paucos negotiatores et urbes quasdam praecipuas (Hansa), neque fabricae erant paucaeque metallorum fodinae, quarum operarii collegia constituebant, sicut opifices, et bene sese habebant. Saeculo autem decimo septimo mercatura et ars praesertim textrina florere coepit, maxime auctore Colbert († 1683), ministro Ludovici XIV regis Galliae, quem alii, praesertim Fredericus II, rex Borussiae, imitati sunt (Merkantilismus). Tunc igitur coeptus est formari status operariorum, qui tamen saeculo sequente inventis machinis textrinis et vaporis maxime propagatus est, primum in Britannia et Scotia, deinde in Gallia, Germania aliisque nationibus, ita ut saeculo decimo nono in multis nationibus numero alios status superaret. Sic in imperio Germanico operarii (Lohnarbeiter) 1895 erant 5 900 654 = 71,92 % omnium operantium (erwerbstätigen) et cum suis familiis erant 12 887 527 = 24,8 % totius populationis. In Austria 1890 erant 2 144 606 = 74,4 %; in Gallia 1891: 3 319 217 = 73 %; in Belgica 1890: 867 735 = 80,2 %; in Batavia 1889: 372 143 = 69,9 %; in Britannia et Hibernia 1891: 7 500 000 = 83,3 % omnium operantium [1].

2. *Status operariorum.* Simul ab initio status operariorum erat tristissimus; nam machinis inventis plurimi opifices eorumque filiae et uxores, labore privati, operariorum numerum augebant. Unde mercede minima ad vitam vere humanam non sufficiente laborare cogebantur saepeque loco mercedis condictae merces eis viliores tradebantur (Trucksystem). Accedebat sententia liberalismi postulans liberam concurrentiam, quae, omnibus vectigalibus reiectis, productione exaggerata mercedes continuo deprimebat (Manchesterlehre); neque licebat tunc operariis, societates ad statum suum promovendum inire. Porro productione ultra limites multiplicata saepe crises oriebantur, ita ut plurimi operarii et labore et victu necessariis carerent. Accedebat, quod lucri gratia etiam pueri, praesertim orphani, iam ab anno vitae octavo, imo sexto in fabricis adhibebantur et diu noctuque, saepe per 13 et plures horas, ad laborem cogebantur, ita ut nulla religione imbuti, moribus corruptis et corpore et anima perirent. Mala haec adhuc crescebant, quando mulieres et adulescentulae ad laborem in fabricis, imo et in fodinis adhibebantur, nulla lege earum sanitatem et castitatem protegente, ita ut omnis tandem moralitas pessumdaretur [2]. Porro sanitati et saluti corporis in fabricis nulla lege providebatur, neque associationes ullae erant inter operarios ad salutem communem promovendam.

Atque haec miserrima operariorum conditio praesertim in Britannia maxime industriali locum habebat, attamen etiam in aliis nationibus plus minus eadem inveniebatur. Unde non est mirum, quod socialismus oriebatur, qui operariis miseris salutem promittebat, proprietate privata deleta et statu politico immutato (cfr. supra p. 298 sq.). Ita primum in *Gallia*

[1] Herkner, Die Arbeiterfrage, 1902 [3], p. 2 sq. Cfr. supra p. 318.
[2] Cfr. Herkner, l. c. p. 13 sq.

hanc doctrinam proponebant, licet diverso modo, Babeuf, St. Simon, Enfantin, Bazard, Fourier, Cabet, Louis Blanc. Magis autem practice in *Britannia Owen* († 1858), director fabricae textilis in New-Lanark in Scotia, statum operariorum meliorem reddere conabatur, maiorem mercedem, melioraque nutrimenta et domicilia operariis suis procurans necnon societates productivas suadens, et legem primam civitatis in hac re excitabat, qua prohibebatur, ne pueri infra 10 annos ad laborem in fabricis admitterentur. Ei inprimis debetur origo primae societatis consumptivae, quam pauci pauperes textores Rochdalenses anno 1844 inierunt, quae hodie 10 000 operarios habet et exemplum aliis fuit, ita ut anno 1890 in Britannia fuerint: 1634 societates cooperativae, quarum 1464 consumptivae cum 45 648 operariis et 149 productivae cum 37 403 operariis; socii erant 1 827 653; lucrum 171 476 000 M. — Dolendum est, quod Owen, neglecta religione christiana, sententiis materialisticis prorsus fuerit imbutus, docens moralitatem ex statu oeconomico oriri, et quod tandem societatem socialisticam intenderet, quae spes eum crudeliter fefellit [1]. Neque turbulenta illa agitatio „Chartistarum" (1830—1848), duce O'Connor, ad iura publica acquirenda effectum habuit (cfr. supra p. 298). Animo magis christiano inspirati, Carlyle († 1881) et Ruskin († 1900) scriptis suis conditionem operariorum promovere conabantur, unde etiam in Britannia primum leges associationes operariorum permittebant [2] (Trade-Unions), in quibus quinta fere pars operariorum et quidem magis intelligentium et melius se habentium congregata est (anno 1906 = 1 719 031 fere socii, reditus anni 1906 = 67 741 625 frs, expensa = 57 080 750 frs; in cassa = 146 608 550 frs; cfr. supra p. 290, 300, 353). Excludunt politicam, se mutuo adiuvant tempore cessationis vel privationis laboris, vel per societates consumptivas et productivas vel mutuo dando etc. — Praeter veteres associationes non politicas, sed pure oeconomicas, nunc ex anno 1900 nova associatio *socialistica* orta est, quae anno 1906 iam 324 000 socios habebat et 30 deputatos eligebat (cfr. supra p. 300).

In *Germania* primum *Lassalle* anno 1863 associationes operariorum constituit, quae ut societates productivae *totam productionem* sibi vindicarent, ita ut simul essent proprietarii et operarii. Hoc modo sperabat fore, ut „lex illa aënea" [3], quam operarii a patronis dependentes nunquam effugere possent,

[1] Cfr. Psenner, l. c. p. 83 sq.
[2] Anno 1824 leges operariorum coalitiones prohibentes abolitae sunt; sed demum annis 1869—1876 illae coalitiones iuris publici factae sunt. In Gallia 1864 leges prohibentes abrogatae, anno 1884 coalitiones operariorum iuris publici factae sunt; in Germania 1869 leges prohibitivae quidem abrogatae sunt, coalitiones autem operariorum sunt solum iuris privati, ita ut nullam coactionem legalem in socios exercere possint; imo poenis gravibus afficiuntur, qui alios coactione physica vel morali ad coalitionem permovere conantur.
[3] Lex illa aënea in eo consistit, quod quo meliorem mercedem operarius accipiat, eo plures coniugium ineunt et liberos procreant. Sed numero operariorum hoc modo aucto, per eorum abundantiam mercedes deprimuntur, ita ut numero pauciores operarii nunc matrimonium inire et familiam alere possint, quo facto numerus operariorum paulatim decrescit, mercedes autem ex eadem ratione augentur — et sic prior status eique subsequentes semper

tandem destrueretur. Lassalle auctoritatem civilem, imo ne monarchiam quidem per se oppugnavit (erat amicus Bismarckii), sed ipsam societatem tandem socialisticam fieri et capitalia exhibere debere ad societates productivas constituendas docebat. Quod ut fieret, operarios unitis viribus suffragium universale pro omnibus aequale expostulare debere, ut civitatem, auctoritate occupata, ad finem desideratum dirigere possent[1]. Eum oppugnavit *Schultze-Delitzsch*, qui reiciens omnem auctoritatis civilis cooperationem, liberas associationes fundavit, quae mutuo auxilio, institutis monetalibus, societatibus cooperativis et consumptivis, conditionem suam promoverent. Postquam anno 1865 associatio operariorum tabacci et 1866 associatio imprimatorum fundata fuit, anno 1868 a Schweitzer associatio prima socialistica (Gewerkschaft) constituta est ad mutuum succursum et activitatem communem politicam, cui mox Liebknecht et Bebel (olim fautor Schultze-Delitzsch), Marxii doctrina recepta, nomen et auctoritatem maiorem dederunt. Postquam utraque factio (Lassalliana et Marxiana) 1875 Gothae fusionem iniit, secta socialistica hodierna formata est, quae, lege socialistica (1878—1890) paulisper repressa, ea abolita, in fractionem politicam omnium maximam excrevit (1907: 3 250 000 suffragia, socii tamen in societatibus suis cooperativis in fine anni 1906 nonnisi 1 799 293, cfr. supra p. 301 sq.). Societates quidem cooperativas ad mutuum succursum, praesertim tempore cessationis laboris, ad contractus laboris faciendos (Tarifverträge), ad merces emendas vel producendas (Produktiv-Konsumgenossenschaften) instituebant, attamen duces eorum (Bebel, Kautzky etc.) pluris faciebant agitationem politicam ad auctoritatem publicam acquirendam et societatem socialisticam tandem constituendam quam progressum socialem et oeconomicum sociorum, saepiusque inde discordiae inter fractionem politicam et duces societatum cooperativarum exortae sunt (Revisionisten; cfr. supra p. 299, 302 sq.).

Associationes socialisticae anno 1905 habebant 9525 associationes locales, in quibus 1 344 803 socii (74 411 mulieres); reditus anni = 27 812 257 M.; expensa = 25 024 234; mobilia et immobilia = 19 635 850 M. — Expensa pro agitatione = 1 305 132 M., pro labore abstinentibus 9 674 094; pro iuris consultatione 311 239, pro labore expulsis (Gemassregelte) 486 765, pro itinerantibus 712 820, pro labore carentibus 1 991 924; pro aegrotis 1 920 639, pro invalidis 273 960, in casu mortis 328 676, ad socios adiuvandos 296 128, pro domicilio mutando 175 551, pro labore inveniendo (Stellenvermittelung) 12 996, pro bibliotheca 37 256, pro „aliis finibus" 1 037 745, functionariis et administratoribus 1 008 920 M. — Socii conferebant pro diversa sua conditione per annum 10—58,95 M.[1]

redeunt, ita ut merces operariorum certos limites superare nequeat, sed semper fere eadem permaneat; unde operarii nunquam ex miseria sua emergant. — Sed haec theoria mercedis hodie ab ipsis socialistis reicitur (cfr. supra p. 301) et repugnat factis experientiae. Sic populatione etiam in classi operariorum continuo crescente mercedes ultimis annis semper crescebant; e. g. merces media apud Krupp erat anno 1880 = 3,19; 1890 = 3,95; 1900 = 4,78; 1906 = 5,35 M.; eodem tempore numerus operariorum a 30 000 usque 60 000 auctus est. — Pro centenis operarios quaerentibus anno 1902 = 168, 1903 = 142, 1904 = 121, 1905 = 113, 1906 = 105, 1907 = 94 operarii erant laborem quaerentes. Conditiones igitur operariorum certe multo meliores factae sunt.

[1] Cfr. Herkner, l. c. p. 298 sq.

Praeter socialistas etiam alii viri de salute operariorum solliciti erant simulque religionis christianae et ordinis publici amantes, inter quos eminet *Ketteler*, episcopus Moguntinus, qui iam ex anno 1849 orationibus suis et scriptis, deinde 1869 in oratione (Liebfrauenhaide) habita, sed magis anno 1873 in expositione sua de quaestione sociali ad catholicos leges postulabat civitatis, quibus corporationes operariorum et opificum constituerentur, necnon tempus laboris, sanctificatio diei dominicae, labor infantium et mulierum, sanitas et moralitas operariorum in fabricis et inspectores fabricarum instituerentur. Quibus propositionibus addebantur quaedam de libertate opificii (Gewerbefreiheit) et domicilii (Freizügigkeit) coercenda, de relatione inter opifices eorumque coadiutores et discentes, porro de tribunalibus ad lites inter patronos et operantes instituendis (gewerbliche Schiedsgerichte), quas propositiones comes *Galen*, cognatus episcopi Moguntini, anno 1877 (18. 3.) in diaeta imperiali explicavit atque commendavit, plaudentibus omnibus deputatis catholicis, aliis autem — et socialisticis — eum fere irridentibus. Mox tamen hae propositiones effectum habebant, praesertim postquam attentata (Hoedel, Nobiling) in imperatorem facta fuerunt (1878). Anno 1881 (17. 11.) imperator *Guilelmus I* decrevit, ut legislatio socialis in favorem operariorum serio initiaretur, qui quidem impulsus inprimis per assiduam cooperationem catholicorum id effecit, ut assecurationes operariorum contra morbos (1883), accidentia (1884) et invaliditatem fierent (1889) (Arbeiterversicherung). Novo deinde decreto anno 1890 (4. 2.) ab imperatore *Guilelmo II* publicato, quo simul conferentia internationalis omnium fere civitatum Europae (39 delegati) ad quaestionem socialem ex communi consensu investigandam atque tractandam Berolinum convocata fuit, legislatio socialis novum incrementum accepit. Nunc deputatis catholicis praeeuntibus, ex anno 1891 leges de operariorum iuribus, sanitate et moralitate tuendis (Arbeiterschutz) factae sunt et in his legibus perficiendis toti nunc versantur, praesertim ut operarii ius publicum coalitionis (Koalitionsrecht), „cameram laboris" (Arbeitskammern), assecurationem viduarum et pupillorum necnon labore carentium obtineant (Versicherung der Arbeiter-Witwen und -Waisen). Atque in his quaestionibus deputati Socialistarum rem operariorum minime promovebant, vel impossibilia postulantes vel leges in favorem operariorum directe oppugnantes; sic vota dederunt contra assecurationem aegrotorum (1883), infortunatorum (1884), invalidorum et senum (1889), contra tribunalia operaria (Gewerbegericht 1890), contra leges restringentes manipulationes bursae (1891, 1893, 1895) et inhonestam concurrentiam (1895) et foenus iniustum (1890), deinde contra novum codicem civilem (1896). Neque, licet invitati, intererant „unioni internationali ad operarios tuendos" anno 1899 Berolini fundatae. Optime enim sciunt, rem socialisticam perditam esse, si operarii conditione sua contenti sunt[2].

[1] Cfr. Engel, Grundriss der Sozialreform, 1907, p. 208.

[2] Aperte Bebel, ipse dux, Erfurti 1881 dixit: „Wir Sozialdemokraten haben stets den Standpunkt vertreten: es handelt sich zunächst nicht darum, ob wir dieses oder jenes erreichen; für uns ist die Hauptsache, dass wir gewisse Forderungen stellen, die keine andere Partei stellen kann."

Viri catholici de re sociali bene meriti praecipui sunt: Ketteler, Moufang, Haffner, Heinrich (Moguntini), Galen, Windthorst, v. Schorlemer, v. Hertling, Hitze, Jaeger, Brandts, Pichler, Groeber, Ratzinger, Trimborn, Bachem, Spahn aliique multi. Eorum activitatem adiuvabant vel adiuvant praeter folia multa catholica tum folia periodica: Christlich-soziale Blätter (1868), Arbeiterwohl (1881), ambo ex anno 1905 coniuncta: Soziale Kultur (M-Gladbach editum ab Hitze et Hohn), Soziale Revue, 1901 (a Burg nunc Retzbach edita), Apologetische, Soziale, Präsides-Korrespondenz (M-Gladbach, Volksverein), Arbeiterpräses (Berlin) ex anno 1905, tum uniones quaedam sociales e. g. unio Arbeiterwohl (M-Gladbach), praesertim vero reuniones ex anno 1848 quotannis a catholicis habitae (Katholikentage), ad quarum exemplar nunc in aliis nationibus similes instituuntur; porro unio popularis (Volksverein) 1890 Moguntii auctore Windthorst fundata (1907: 584 278 socii), cuius administratio est in M-Gladbach (usque 1907 propagavit 95 000 000 libella, Flugschriften); Charitas-Verband, associatio Friburgi a Werthmann fundata, ad opera socialia charitativa modo unanimi excitanda et propaganda (cfr. supra p. 291). Effectus autem praecipuus huius activitatis sunt uniones et societates cooperativae operariorum formatae:

a) *Uniones operariorum* (Arbeitervereine) operarios diversae speciei continent, in genere a sacerdote per episcopum nominato diriguntur et vitam religiosam, porro instructionem et honestam recreationem necnon mutuum succursum directe spectant. Plerumque hae uniones constituunt foedus aliquod diocesanum vel plurium diocesium (Diözesanverbände): anno 1900 in Germania erant 800 tales uniones cum 170 000 sociis; anno 1907 in sola Germania inferiore uniones 903 cum 120 000 sociis (centrum Monachii) erant.

Item ibidem Singer, antesignanus socialistarum: „Die Aufgabe der Sozialdemokratie wird nicht dadurch erfüllt, dass man den Massen die Erringung kleiner wirtschaftlicher Vorteile als Ziel der Sozialdemokratie hinstellt; die Gemüter müssen revolutionär werden, und die glühende Begeisterung für unsere letzten Ziele, für die Beseitigung der Klassenherrschaft in Kopf und Herz der Massen zu erwecken, ist die Hauptaufgabe unserer Agitation.“ Quare ipse v. Vollmar, dux moderatus socialistarum (Revisionist) 1891 in libello Monachii edito: „Eine Politik, welche sagt, wenn ich nicht meinen ganzen Willen erreiche, spiele ich nicht mehr mit, ein solches Vorgehen ist nicht die Politik von ernsten Männern, sondern von Kindern“ (cfr. Siebertz, 1900, Polit.-soz. Abc-Buch, Art. Arbeiterschutz und Zentrum; Arbeiterschutz und Sozialdemokratie). — Quid vero viri non catholici de deputatis catholicis (Zentrum) sentiant, audi ex uno alterove testimonio: Sic Francke, auctor folii periodici socialis (Soziale Praxis) et dux aliquis „congressus evangelici socialis“ (anno 1890 a Stöcker fundati): „Von den alten bürgerlichen Parteien besitzt ein solches Programm, das in festen Umrissen bestimmte einzelne Forderungen zeigt, eigentlich nur das Zentrum, das sich ausdrücklich auf den Boden der Kabinettsordre vom 4. Febr. 1890 stellt.“ „Das Zentrum ist es, das von allen Parteien im Reichstag am eifrigsten für die Fortführung der Sozialreform eintritt.“ Et v. Gerlach, protestans et deputatus: „In keinem andern Lande Europas hat die politisch-organisierte katholische Kirche eine so starke soziale Wirksamkeit entfaltet, wie das Zentrum in Deutschland“ (cfr. Siebertz, l. c. p. 110 sq.; porro Kohler, Moderne Rechtsprobleme (Natur und Geisteswelt, 128, 1907, p. 57).

Atque hae uniones praesertim per Encyclicas Leonis XIII: Quod apostolici muneris 1878; Humanum genus 1884; Rerum novarum 1891, excitatae sunt[1]. Quibus accedunt uniones operariorum adolescentium (Jünglingsvereine) et operariarum (Arbeiterinnenvereine); anno 1899 illae erant 800 cum 160 000 sociis, hae 40 fere cum 6000 sociis.

b) *Societates* autem *cooperativae* (Gewerkschaften) non continent nisi operarios eiusdem vel similis speciei e. g. muratores, fossores carbonum vel metallorum, textores etc.; deinde a praeside ex ipsis operariis electo diriguntur et directe mercedis augmentum, vel laboris conditiones quoad tempus sive securitatem promovendas, vel mutuum succursum tempore morbi, mortis, cessationis laboris intendunt. Hae societates „christianae“, primum anno 1894 in urbe Essen fundatae, socios et catholicos et protestantes continent, unde *interconfessionales* sunt; propterea earum statuta omnem agitationem in rebus ad religionem et politicam pertinentem excludunt; supponunt solum principia religionis christianae in genere et praecepta iuris naturalis. Per hoc igitur opponuntur societatibus cooperativis socialisticis, conveniunt cum eis in eo, quod nonnisi progressum *socialem* sociorum (wirtschaftliche Hebung) intendunt[2], et similiter cessationem laboris tanquam medium necessarium, attamen ultimum adhibent ad statum operariorum promovendum. Saepius igitur cum illis rem communem faciunt, e. g. in cessatione fossorum anno 1905 (Bergarbeiterstreik im Ruhrgebiet). Anno 1900 confoederationem inierunt, cuius centrum est Coloniae. Congressus fuerunt 1899 Moguntii, 1900 Francofurti a. M., 1901 Crefeld, 1902 Monachii, 1903 Francofurti a. M., 1906 Wratislavii (Breslau); folia 210 000 propagata; anno 1904 erant 195 000 socii, quibus accedebant operarii ferroviarii et postales = 79 000 non socialistici, attamen independentes.

Haec *associatio cooperativa christiana* habebat anno 1905 (inclusis operariis et functionariis viarum ferrearum = ca. 80 000) 3145 associationes locales (Ortsgruppen, Zahlstellen), 265 032 socios (11 991 mulieres); reditus = 2 674 190 M., expensa = 2 423 554; in cassa = 1 523 214 M. Expensa pro labore abstinentibus (Streik) = 1 000 320 M., pro labore carentibus 13 571 M., in casu mortis 59 933 M., ad socios adiuvandos 114 140 M., pro iuris consultatione 45 457 M., pro agitatione 161 393, pro functionariis et administratoribus 144 393 M., pro re literaria 11 691 M. — Socii conferebant pro hebdomade 0,20—0,75 M. — Anno 1905 associatio christiana 614 agitationibus intererat cum 106 619 sociis, quarum 316 in pace componebantur (26 017

[1]) Cfr. Siebertz, l. c. Art. Arbeitervereine.

[2]) Ita libellus: Die christl. Gewerkvereine, ihre Aufgabe und Tätigkeit, 1899[2], qui a ducibus in M-Gladbach editus, finem societatum harum sic explicat: „Eine christliche Organisation verlangt von ihren Mitgliedern nur, dass sie sich verpflichten, die Lösung der heutigen wirtschaftlichen Fragen so zu erstreben, dass die Grundsätze des von Gott gegebenen Naturrechtes und damit die natürliche Gesellschaftsordnung dabei nicht verletzt werden . . . Das Wörtchen „christlich“ in der Gewerkschaftsbewegung soll nichts anders bedeuten, als nicht sozialdemokratisch“ (p. 26 sq.). Immerito igitur christianas se appellant associationes, et si socialistas oppugnant propter eorum principia falsa et religiosa et politica, — idque iure meritoque — non iam abstrahunt a religione et politica, sicut ipsa statuta definiunt.

socii), 298 per laboris abstinentiam finiebantur (80 602 socii); 98 effectum secundum habebant, 62 ex parte, 56 nullum [1]).

c) *Uniones cooperativae* sunt intermediae inter societates sub a) et b) enumeratas. Conveniunt cum illis, quia primarie sunt uniones *confessionales* i. e. catholicae operariorum eodem loco exsistentium, quae inprimis profectum sociorum in fide et moribus spectant tanquam fundamentum totius progressus; unde diriguntur per praesides ab episcopis nominatis et confoederationes diocesanas constituunt, quae centrum commune Berolini habent (Sitz Berlin). Conveniunt autem cum cooperativis in eo, quod intra illas uniones locales *fractiones professionales* (Fachabteilungen) formantur, in quibus operarii eiusdem vel similis generis, si saltem decem sunt, primum inter se, deinde cum sociis eiusdem territorii (Bezirks- und Verbandsvereine) coadunantur. Praesidente et assistentibus *laicis* ex medio fractionis electis, res ad professionem suam spectantes (mercedes, tempus, conditiones laboris etc.) tractant; in rebus difficilioribus, quae cum fide et moribus cohaerent, consilium praesidis clericalis totius unionis est audiendum. Reiciunt cessationem laboris — non quidem theoretice, sed practice — ad maiores mercedes vel meliores conditiones laboris extorquendas, sperantes fore ut privata negotiatione et intercessione haec emolumenta facilius, certius, iustiusque obtineantur. — Hae uniones cooperativae ortae sunt anno 1901 per episcoporum Borussiae litteram pastoralem anno 1900 in reunione Fuldensi editam, quae idem repetit clariusque proponit, quod episcopi Borussiae iam anno 1890 littera pastorali, plaudente pontifice Leone XIII, exposuerant [2]). Atque hae uniones, licet undique vehementer oppugnatae, anno 1907 iam habebant 870 fere associationes cum 26 secretariis (Gewerkschaftssekretäre) et 124 000 sociis per totam Germaniam, praesertim in dioecesibus Wratislaviensi et Trevirensi [3]). Folium („Arbeiter") anno 1908 habet 102 500 exemplaria; reditus annui 1907 erant 1 000 000, in cassa totius unionis 300 000 M. Operarii solvunt quavis hebdomade pro classe quisque sua 0,1—0,7 M., et recipiunt pro casu mortis (viri et uxoris) 120 M., in casu cessationis laboris involuntariae 6—12 M. pro hebdomade, necnon 1 M. pro quovis libero infra 14 annos; tempore morbi quavis hebdomade 3—12 M., labore carentes et itinerantes pro hebdomade 5,40 M., pro domicilio mutando ultra 20 klm 15—24 M.

Inter *protestantes* quoque exorti sunt viri de re sociali bene meriti, qui statum operariorum promovere conabantur, alii potius ope religionis et morum, alii mercede et conditione externa mutatis. Inprimis Wichern, auctor missionis internae († 1881), porro Aimé Huber, R. Todt, Stöcker, R. Meyer, Nathusius, Weber magis religioni insistebant, 1878 unionem christianam socialem (Christl. soz. Partei) constituentes, a qua 1896 pars ducibus Naumann

---

[1]) Cfr. Engel, l. c. p. 207.

[2]) Ita § 1 statutorum unionis (Satzungen nach den Beschlüssen des Delegiertentages, 1907): „Der Verein bezweckt die religiöse, sittliche, soziale und wirtschaftliche Hebung des Arbeiterstandes nach den Grundsätzen der päpstlichen Encyclica Rerum novarum v. 17. 5. 1891 und des Fuldaer Bischofs-Pastorale v. 22. 8. 1900."

[3]) In dioecesi Trevirensi anno 1907 erant 248 associationes cum 33 000 sociis.

et Göhre discedebat (national-soziale Partei), quae tamen 1903 ex parte ad socialismum, ex parte ad liberalismum transiit. Unio autem illa christiana socialis iterum 1896 divisa est in congressum evangelicum socialem, qui principia religionis „liberalia" sequitur, ducibus Harnack, Rade, A. Wagner, Francke, (1906 = 1200 socii), et congressum liberum ecclesiastico-socialem, qui ducibus Stöcker et lic. Weber principia christiana severius propagant. Excitabant ex anno 1882 uniones operariorum, attamen attento numero protestantium non satis numerosas, si cum catholicis comparantur (1901 = 509 uniones cum 103 386 sociis [1]). Societates cooperativas non formabant, sed ultimis annis aliqui, ut lic. Mumm et Weber, christianas recommendabant [2]); alii vero modo incipiunt ad instar unionis cooperativae Berolinensis operarios organisare. —

Accedunt professores multi, praesertim rei oeconomicae periti, qui ex anno 1872 Eisenach unionem pro politica sociali inierunt (Verein für Sozialpolitik): Schoenberg, Rösler, Schmoller, Wagner, Bücher, Sombart, L. Brentano (Katheder-, Staats-Sozialisten); licet plerique potestatem civitatis exaggerent — sunt enim positivistae sociales (cfr. supra p. 302) — attamen auctoritate sua multum contulerunt ad opinionem publicam instruendam et leges sociales proponendas (anno 1907: 800 socii et 126 volumina de re sociali scripta). — Idem dicendum est de societate pro reformatione sociali (Gesellschaft für soziale Reform) a ministro Berlepsch 1901 Berolini constituta (1907 = 1700 socii et 1 000 000 operarii). — Denique unio internationalis pro tutela legali operariorum 1900 Parisiis formata est, quae guberniis ipsis adiuvantibus legislationem socialem ubique promovere sibi proposuit.

Ex parte liberalium societates cooperativae constitutae sunt anno 1868 a *Max Hirsch,* cui postea accessit *Duncker.* Hae associationes opponuntur socialistis et totam vim socialem in mutuo concursu collocant, abstrahentes a religione et politica. Cessationem a labore non quidem reiciunt, attamen raro adhibent. Associationes *Hirsch-Duncker* anno 1905 habebant 117 097 socios et 2558 associationes locales. Reditus erant = 1 336 651 M., expensa = 1 170 219 M., mobilia et immobilia: 3 497 069 M. — Expensa pro agitatione 102 899 M., pro labore expulsis 286 648, pro iuris consultatione 14 790, pro itinere aliisque necessitatibus 67 802, pro labore carentibus 193 746, pro re literaria (Bildungsbeförderung) 17 345, pro administratione 231 951 M. [3]). — Novissime alia societas cooperativa orta est primum in Gallia (Creusot et Monceau les Mines) anno 1901 (dicta association jaune), adiuvantibus patronis, ad cessationes laboris oppugnandas et partem ipsius industriae comparandam, ita ut operarii simul fiant patroni i. e. actionarii totius negotii. Anno 1907 iam 600 000 socii, per 150 delegatos Parisiis repraesentati, fuisse dicuntur. Haec associatio in Germania ex anno 1905 sese propagare coepit sub nomine

---

[1]) Folium protestanticum praecipuum (Reichsbote 1908, N. 3) enumerat 520 uniones cum 94 000 sociis.

[2]) Cfr. Braun, Bisheriges und künftiges Verhalten der deutschen Katholiken in der Arbeiterfrage, 1906, p. 92 sq. Carbonarius, Kann und darf ich für eine Arbeiter-Bewegung auf katholischer Grundlage eintreten? 1904, p. 23 sq. Kempel, Die christl. und die „neutrale" Gewerkvereinsbewegung, 1901, p. 64 sq.

[3]) Engel, l. c. p. 108.

societatum *nationalium* (Nationale Vereine, gelbe Gewerkschaften); a patronis ipsis fundantur contra societates socialisticas vel etiam christianas ad cessationes laboris evitandas; alii eis lucrum ipsius negotii (Dividende) pro rata parte assignant, alii subsidia pro casu morbi et invaliditatis. Hae quoque societates abstrahunt ab omni religione et politica, quare per se aptae non sunt ad statum vere *socialem* constituendum et prorsus dependent a patronis; earum numerus apud nos nondum est magnus neque satis de eo constat[1]).

Nimis longum est, historiam evolutionis socialis in aliis nationibus persequi, praesertim quum similis sit nostrae. Quomodo socialismus in eis propagatus sit, iam alibi (supra p. 299 sq.) diximus; restat igitur, ut pauca dicamus de catholicorum in hac re activitate. Atque ubique exorti sunt viri catholici et clerici et laici, qui caritate christiana inspirati, conditionem socialem operariorum promovere eosque contra socialistarum agitationes tueri studebant. Sic in *Austria* eminent Karl v. Vogelsang, princeps Aloys Liechtenstein, comes de Kuefstein, Scheicher, Schindler, Lueger, Weiss, Ebenhoch aliique multi, praesertim viri ad Leogesellschaft pertinentes, qui ex pluribus decenniis societatem christianam socialem (Christl. soziale Partei) constituentes, Liberalismum et Semitismum oppugnabant et legibus propositis saluti operariorum providebant, semper fere a socialistis in hac re oppugnati. Anno 1896 societas operariorum christiana socialis (Christl. soziale Arbeiterpartei) et 1902 associatio operariorum christianorum pro toto regno (Reichsverband der christl. Arbeitervereine) constituta est, quae associationes ad exemplar Germaniae sive societates cooperativas christianas sive uniones operariorum catholicas professionales excitare et organisare nituntur.

Porro in *Gallia* et *Belgica* iam diu exsistunt patronatus (Patronage), in quibus sive patroni fabricarum et fodinarum sive alii viri et feminae de classe operaria solliciti, operarios et operarias, praesertim adolescentes, colligunt, ut eis honestam recreationem et instructionem exhibeant. Qua in re opera a Léon Harmel in Val-des-bois instituta inter omnia eminent. Sunt potius opera charitatis christianae, quae ab omni re politica abstrahunt. Usque modo viri catholici ibi de competentia auctoritatis publicae in quaestione sociali tractanda dissentiebant, unde minus in legislationem socialem influebant, quam alibi; eorum nomina praecipua vide supra p. 468. — Ultimis hisce annis in *Gallia* orta est societas „neutra“ i. e. abstrahens ab omni principio religioso (Le „Sillon“ fundata a Marc Sangnier), cui initio multi favebant ob ardorem et zelum in operibus socialibus adhibitum. Quum tamen tota associatio careat fundamento religioso, mox coepit deseri et contra eam, hortante Pontifice Pio X, nunc constituta est alia „L'action catholique française“, cui adiuncta est pro adolescentibus: Jeunesse catholique. — Similiter in *Belgica* a sacerdote Daens Alostensi fundata est „Democratia christiana“, quae associatio non spectabat nisi progressum oeconomicum operariorum. Haec quoque associatio, hortantibus episcopis, deseri coepta est, mortuo auctore poenitente, et alia fuit constituta: Syndicats chrétiens, quae associationes similes sunt unionibus cooperativis Berolinensibus; hodie 34 000 operarii in eis organisati sunt. — Idem dicendum est de *Luxemburgo*, ubi, duce parocho Hartmann in Differdingen, uniones catholicae operariorum ex aliquibus annis formatae

[1]) Cfr. Arbeiterpräses, 1907, p. 360 sq.

sunt ad modum unionis cooperativae catholicae in Germania (Berolinensis); hodie ibi exsistunt 27 uniones cum 3500 sociis.

In *Italia* quoque viri praestantes quaestioni sociali operam dederunt, inter quos eminent Toniolo, Soderini, Liberatore, Steccanella, Bonomelli, Burri[1]) (Rivista internationale di science sociali, Rassegna nazionale et sociale). Ibidem quoque sacerdos Murri societatem christianam democraticam operariorum constituit, quam tamen promovendam Pius X clericis vetuit, quia solum progressum oeconomicum spectans, auctoritati ecclesiae resistit (Murri modernista nuper excommunicatus). Multae ultimis annis operariorum associationes, praesertim rurales in Lombardia, Umbria et alibi formatae sunt ad socialistas reprimendos[2]). Inprimis „opera dei congressi“ formata est ad activitatem socialem catholicorum promovendam, quae a summis Pontificibus enixe commendatur (cfr. Motu proprio Pii X de die 18. Decemb. 1903). — Item in *Hispania* exorti sunt viri catholici salutis operariorum studiosi, ut sunt Sancha y Nervas, Orti y Lara, Escartin, Vicent, de Castro, Lopez, Cepeda aliique, qui vel scriptis vel agitatione sua associationes operariorum contra socialistas constituere, sive leges in eorum favorem excitare student.

3. *De modo quaestionis socialis operariae solvendae.* Non solum agitur de uno alioque emolumento operariis procurando, sed agitur potissimum de *toto statu novo operario intrinsecus constituendo*, ita ut sit status formaliter per se exsistens, aliis plene coordinatus, quin natura et constitutio civitatis hodiernae immutetur, sed ut eius organismo tanquam novum membrum inseratur. Quem ad effectum tres factores debent concurrere: a) *Societas civilis*, ut impedimenta quaedam removeat, ut totam evolutionem dirigat atque legibus suis tueatur. b) *Operarii et patroni*, sine quorum activitate, legibus civilibus, moralibus et religiosis ordinatâ, evolutio fieri nequit; civitas enim ipsa non potest hanc activitatem supplere, sed solum eius spatium atque delineamenta exhibere. c) *Societas religiosa sive ecclesia*, quia ipsa leges morum et fidei christianae docet, sine quibus nulla activitas humana, nedum christiana, neque societas ulla salva tutaque esse potest. Patet autem pro diversa natura civitatis, civium et industriae, constitutionem status operarii non eandem ubique esse debere vel posse.

A. *Activitas societatis civilis*[3]).

Quum fundamentum status operarii sit contractus laboris, auctoritatis publicae est, hunc contractum ita ordinare, ut eius conditiones necessariae adsint: *Libertas, iustitia, honestas* (sensu strictiore i. e. eius possibilitas physica et moralis; cfr. supra p. 344).

a) Ut contractus laboris *liber* sit, expedit, imo nonnunquam videtur esse necessarium, operarios sive alicuius fabricae, fodinae etc., sive etiam plu-

[1]) Cfr. H. Pesch, Lehrb. d. Nationalökonomie, 1905, I, 356 sq.

[2]) Anno 1907 exsistebant 1292 societates rurales cooperativae cum 273 698 sociis plus minus socialisticis. Ruri erant eodem anno societates cooperativae ad res emendas 790, ad res vendendas 45, ad res producendas 790, ad mutuum dandum 1608. Tota populatio ruralis = 5 693 080 coloni vel obbligati vel braccianti (cfr. Soz. Kultur, 1908, p. 249 sq.).

[3]) Cfr. Encyclicam Leonis XIII: Rerum novarum ed. Herder, p. 61 sq.

rium similium negotiorum societatem sive coalitionem inire, ut communiter mercedem saltem minimam pro certo tempore obtineant [1]) (gemeinsamer Tarifvertrag). Singuli enim soli cum patronis contrahentes, etsi physice liberi sint, attamen saepe moraliter liberi non sunt, siquidem indigent necessariis ad vitam neque aliud habent medium quidquam procurandi, nisi laborem manuum suarum; patroni autem opibus praeditae semper potentiores sunt et exspectare possunt. Civitas igitur debet ius coalitionis operariis concedere ad contractum moraliter libere ineundum. Accedit, quod sine coalitione singuli contrahentes, necessitate saepe compulsi, propter „liberam hanc concurrentiam" et abundantiam operariorum mercedes in dies minores acciperent. — Neve dicas, omnes vendentes merces suas se hoc modo habere et dependere a libera concurrentia (Angebot und Nachfrage), non tamen coalitionem inter se inire; nam paritas non adest, quia alii vendentes non talem subeunt necessitatem, neque eorum vita dependet ab hac vel illa merce vilius vendita, sicut operarius ab unica „merce" sua i. e. a labore; neque raro vendentes communiter pretium mercium constituunt, e. g. pistores panis, lanii carnis pretium; imo medio aevo pretia rerum necessariarum tum ab opificibus tum a magistratibus determinata erant. — Lex nostra (Gewerbe-Ordnung, 1869, § 152) permittit quidem has coalitiones, sed solum *ut privatas*, nisi inscribantur, ita ut socii a tota coalitione nullo modo cogi possint; deinde graves poenas minatur, si quis alios ad talem coalitionem moraliter cogit (minis, precibus importunis etc.), non autem, si quis alios a coalitione deterret; denique magistratus, si tales coalitiones inscribuntur, catalogum sociorum omnibus patentem potest postulare, id quod impedit, quominus iure inscriptionis utantur. — Ius igitur *publicum* coalitionibus operariorum concedendum est.

Attamen legis est, etiam iura et libertatem patronorum tueri, si eis vis moralis vel physica infertur a coalitionibus, e. g. insidiis contra eos instructis, machinis, vel etiam fabricis devastatis, id quod saepius factum est. Libertas igitur operariorum intra limites legis coercenda est. Ceterum semper penes patronum est, a negotio cessare, id quod operariis maximum esset damnum; porro potest cum aliis patronis societatem inire, ut indemnem se habeat, id quod ultimis annis fere ubique factum est (Unternehmerverbände), ita ut operarii vi (Streiks) vix quidquam iam extorquere possint.

Est igitur ab auctoritate publica enitendum, ut lites in pace componantur; media autem ad haec possunt esse institutiones quaedam legales, quibus ex communi sententia patronorum et operariorum merces et aliae laboris

[1]) Sunt, qui tales contractus collectivos laboris (Tarifverträge) reprobent, quia efficiant, ut mercede in genere aucta et tempore laboris saepe reducto, patroni opibus infirmiores non iam possint cum potentioribus concurrere i. e. pereant, utque operarii infirmiores dimittantur. — Sed etsi hoc *per accidens* nonnunquam fieri possit, per hoc bonum operariorum *in genere* et praesertim bonum *publicae* quietis et securitatis totius operationis non est negligendum; totum enim praevalet parti. Accedit, quod mercedibus auctis, etiam rerum productarum pretium augetur, teste experientia, ita ut inde potius *consumentes* graventur, non patroni minores, qui et ipsi pretium rerum augent. Deinde operarii infirmiores, licet mercede minore, apud patronos minores tunc laborem inveniunt, ita ut damna hinc inde compensentur.

conditiones definiantur. Desiderandum igitur est: a) ut vi legis in omnibus operis maioribus (fabricis, fodinis etc.) *delegatio perpetua* (ständiger Arbeiterausschuss) ab ipsis operariis ex prudentioribus sociis eligatur, quae cum patronis omnia ad laborem pertinentia certo tempore inquirat atque vota operariorum proponat; severis poenis prohibendum est, ne hi delegati, modo ne omnino procaces sint, ex hac sua activitate quidquam damni patiantur. Hae igitur delegationes perpetuae, usque modo apud nos facultativae, deberent fieri *obligatoriae*, neque ulla mercedis reductio neque mutatio quoad tempus et modum laboris notabilis fieri deberet, quin illi delegati prius audiantur [1]). b) Tribunalia quaedam statuenda sunt (Einigungsämter) aequo modo ex operariis et patronis constituta et a viro experto impartiali dirigenda, ad quae lites per illam delegationem non compositae deferantur, ita ut omnis cessatio laboris lege prohibeatur, nisi res prius huic tribunali sit proposita, et si alterutra pars appellet ad iudicium huius tribunalis, altera saltem coram tribunali tempore constituto comparere debeat. — Talia tribunalia primum in Gallia fuerunt constituta (conseils de prud'hommes) initio saeculi elapsi; in Britannia 1896: Conciliation Act. Apud nos iam per leges 1869 (Gewerbeordnung) licebat, talia tribunalia (Gewerbegerichte) constituere; sed quum raro formarentur, lex 1891 facta statuit, ut in omnibus urbibus, in quibus saltem 20 000 incolae sunt, instituerentur. Partes litigantes possunt citari et altera parte poscente debent citari, quamvis iudicio tribunalis non se submittere debeant. Causae ex contractu laboris exortae usque ad 100 M. ab his tribunalibus diiudicantur neque appellatio ad tribunal civile licet. c) Enitendum est, ut tribunalia illa vel alia ad hoc directe instituta lites *definitive* componant (obligatorische Schiedsgerichte), si constat, mercedes per se ad vitam sufficere, praesertim si lucrum honestum negotii vix maiorem mercedem sine damno gravi, attenta concurrentia, permittat (De mercede definienda vide supra p. 504). Haec autem tribunalia tunc videntur necessaria, si cessationes laboris non solum operariis cessantibus, sed etiam aliis magna damna afferunt, si agitur de rebus necessariis procurandis, si excessus et tumultus graves pertimescendi sunt. — Sic medio aevo tribunalia collegiorum (Zunftgerichte) definitivam vim habebant. Nostro tempore multi sunt, qui talia tribunalia necessaria habent ad continuas illas laboris cessationes et damna ingentia physica et moralia inde orta praecavenda. De facto instituta sunt in Neuseeland ex anno 1894, porro in Neu-Südwales, in Australia, in colonia Victoria, in cantonatu Genevensi, et nuper in aliquibus associationibus Britanniae [2]).

b) Auctoritatis civilis est statuere, ut contractus laboris *iustus* sit; est iustus, si adest iustitia commutativa i. e. si operarius tantum recipit, quantum exhibet [3]). Exhibet autem effectum physicum virium suarum corporalium, qui producuntur et conservantur nutrimentis physicis, ad quas accedunt

[1]) Cfr. Norikus, Die Organisation der Gesellschaft, 1901, p. 90 sq.

[2]) Cfr. Herkner, l. c. p. 409 sq. Unde John Mitchell, praeses fossorum carbonum Indianopolis, in libro suo: Organisierte Arbeit (Dresden 1905, p. 130): „Die Errichtung *einer Autorität* zur Schlichtung kollidierender Interessen ist die einzig befriedigende Lösung".

[3]) Garriguet, Le salaire (Science et religion, n. 264).

vestimenta, domicilia, expensa pro familia. His igitur expensis, quae utique varia sunt pro singulis individuis et regionibus, imo et annis, merces aliquo modo correspondere debet (cfr. de mercede iusta supra p. 348 sq.). Auctoritatis igitur civilis videtur esse *per se* et ius et obligatio in mercede constituenda interveniendi, si constat, eam non sufficere ad vitam modeste instituendam; *per accidens* autem potest intervenire, si mercedes ex se quidem ad necessaria vitae sufficiunt, attamen attento lucro negotii bene augeri possent. Haec autem interventio, ex iure naturae saltem, non est obligatoria; tunc solum ius et potestatem obligandi habet, si ex discordia graves tumultus multaque damna timenda sunt; salus enim publica est suprema lex civitatis. Optimus videtur modus ille mercedis constituendae, quem in Britannia fabricae et fodinae multae adoptabant (saltem pro iis operariis, qui se obligant in eodem negotio vel alio cum eo associato permanere), ita ut merces minima pro omnibus constituatur, quae pro lucro facto augeatur (sliding scales, scala labilis)[1]); est species quaedam „dividendae", qua operariorum diligentia in labore et studium pro ipso negotio excitatur et cessationes laboris plerumque evitantur (cfr. supra p. 350, nota 1). Non videtur absonum, auctoritatem publicam hunc modum mercedis constituendae praescribere, ipsam tamen mercedem eiusque incrementum pro loco et tempore definiendum consilio ex patronis et operariis quotannis formato demandare et solum in casu discordiae sibi potestatem rem definiendi retinere. Nimis tamen auctoritas vim suam extendere videretur et socialismum inducere, si constitueret, nova negotia instituenda non esse, nisi operarii partem ipsius negotii haberent; potest hoc quidem suaderi, non tamen imperari. Aliqui patroni, e. g. Bon marché Parisiis et Freese Berolini, operariis industriosis et bene moratis post certum tempus partem i. e. actionem negotii conferunt, ita ut fiant lucri participes et negotii ex parte proprietarii, id quod certe optima esset solutio quaestionis operariae.

c) Auctoritatis civilis est, contractum laboris ita lege ordinare, ut sit *honestus* i. e. ut physice et moraliter possibilis sit. Debet igitur α) *tempus* quoddam statui, ultra quod laborem extendere non liceat, ne vires operariorum physicae nimis consumantur. Hoc autem tempus non idem esse debet pro omnibus categoriis laboris et laborantium, sed dependet tum a difficultate laboris, e. g. in fodinis et furnis fabricarum administrandis, tum a locorum maiore vel minore salubritate (aëris, materiae operandae etc.), tum a constitutione corporis, praesertim adolescentium. Postulant socialistae solum 8 horas laboris, quae pro aliquibus fabricis vel fodinis speciali modo difficilibus vel periculosis forte statui possunt, vix tamen pro omnibus, ut cum aliis negotiis concurrere possint neve mercedes diminuere debeant. Attamen leges in singulis civitatibus certum tempus laboris statuunt. In Germania et Britannia pro viris adultis certum tempus non praescribitur; licet tamen communitatibus in quibusdam negotiis sanitati periculosioribus tempus laboris restringere; in Austria et Helvetia 11 horae, in Gallia plerumque 12 horae sunt tempus maximum laboris pro adultis. Apud nos ex anno 1891 operariae feminae ultra 11 (ante diem festum et dominicam ultra 10), minores (14—16 annos nati) ultra 10 horas laborare non permittuntur, infra 13 annos et scholam

[1]) Cfr. Herkner, l. c. p. 404; Norikus, l. c. p. 76.

frequentantes in fabricis omnino laborare prohibentur; inde numerus infantium in *fabricis* laborantium (13—14 annos natorum), qui anno 1890 erat 27 485, usque ad annum 1896 decrevit ad 5312. Pleraeque aliae civitates minores ab anno 12 completo ad fabricas admittunt, in Italia iam a nono anno, ita ut Milani in fabricis sericorum plus quam 20 000 minores 9—10 annos nati laborent[1]). — Porro in Germania lege statuitur, ne minores et feminae nocte (a vespere $8^1/_2$—$5^1/_2$ mane), neve feminae sub terra laborent atque minoribus duae horae apte distributae extra fabricam ad recreationem concedantur. Puerpera ante 4 hebdomades ad laborem non admittitur. Diebus festis et dominicis, imo etiam horis ad institutionem pro prima communione, vel confessione, ad instructionem professionalem a communitate determinatis minores a labore dimittendi sunt. Die dominica a labore in fabricis et fodinis cessandum est, nisi in quantum necessarius est; neque mercatoribus plus quam 5 horas laborare licet. — In hac re desideratur, ut aetas *minorum* usque ad 18 annos extendatur, ut liberi infra 14 annos omnino et feminae *uxores*, quoad fieri potest, in fabricis laborare vetentur; ita enim uxor familiae et educationi liberorum se devovere posset et earum loco viri laborem abundantiorem haberent, neque tot essent labore carentes et mercedes crescerent, siquidem feminae et minores, ut patet, minorem semper recipiunt mercedem: sic anno 1898 minores *infra* 14 annos in fabricis laborabant 7072; feminae supra 21 annos 475 995, infra 21 (16—21) annos 288 553, infra 16 annos 94 655; feminae *maritatae* 1895 = 134 917[2]).

β) Auctoritas civilis quaedam statuere debet, ut sanitati operariorum provideatur; constat enim per statisticam, operarios fabricarum et fodinarum multo magis morbis obnoxios esse quam alios, praesertim rurales, maturiusque mortem obire, et relative paucos inveniri aptos ad militiam[3]). Ac primum quidem mala praecavenda sunt; unde quaedam decernenda sunt de machinarum usu et dispositione, ne operarii facile damnum patiantur; de locorum vel etiam materiae transformandae salubritate (aëre corrupto, pulvere etc.), praesertim in fodinis carbonum et quibusdam fabricis; tales igitur leges ubique vigent, apud nos praesertim ex anno 1891 (R. G. O. § 120). —

γ) Deinde operarii adiuventur tempore morbi, accidentis, invaliditatis, senectutis. Quotiescunque enim per talia mala cessat labor, eo ipso etiam operarius victu necessariis — ipse et familia sua — caret. Neve dicas, ipsius esse quaedam seponere pro casu necessitatis; nam plerumque non potest, siquidem merces vix sufficit ad vitam; deinde saepe hoc negligit ex levitate, et si tunc quidem ex culpa sua indiget, attamen tantus numerus egentium non potest omnino neglegi, neque a suis neque a communitatibus sustentari. Neque aequum videtur, civitatem ex tributis in communitatis totius utilitatem collatis solum operarios egentes sustentare[4]). Recte igitur et operarii ipsi eorumque patroni, in quorum utilitatem laborant, obligantur,

[1]) Herkner, l. c. p. 214. Arbeiterpräses, 1908, p. 47 sq.
[2]) Cfr. Staatslexikon, 1901², 1, p. 274 et 277.
[3]) Cfr. Herkner, l. c. p. 41 sq.
[4]) Cfr. supra p. 502 sq.

ut stipe communi collata his necessitatibus provideant[1]). Atque in hac operariorum assecuratione (Arbeiterversicherung) Germania omnibus civitatibus praestat, licet in tutela operariorum (Arbeiterschutz) in nonnullis ab aliis superetur.

Lex igitur anno 1883 constituta et 1892 amplificata praescribit, ut operario *aegroto*, qui non plus quam 2000 M. per annum percipit, medicus et medicina gratis exhibeatur, saltem per 26 hebdomades, quod tempus usque ad annum extendi potest, atque insuper saltem dimidia pars mercedis suae ei solvatur, si habet propinquos (filios, parentes) egentes, etiamsi in hospitali gratis curetur (Krankengeld). Ad hunc effectum operarii duas partes, patroni unam partem sumptuum conferunt ad cassam communem. In casu mortis merces defuncti quotidiana saltem vicies sumpta viduae solvitur ad sumptus sepulturae (Sterbegeld) et in casu mortis uxoris vel liberi operario duae partes resp. pars dimidia illius summae exsolvi potest. — Deinde in casu *accidentis* lex anno 1884, amplificata 1885 et 1900, statuit, ut operario, qui non plus quam 3000 M. per annum percepit, prout eius facultas operandi et acquirendi diminuta vel consumpta est, usque ad duas partes ($66^2/_3$ %) totius mercedis solvantur, et si prorsus inops factus est, tota merces ei concedenda est. Post eius mortem ex accidente ortam viduae $^1/_{15}$ mercedis annuae (saltem 50 M.) pro sepultura necnon reditus (Rente) tum ei tum cuivis libero minori vel parentibus egentibus $^1/_5$ mercedis annuae (in summa usque ad 60 %) exsolvenda est. Sumptus huius assecurationis conferunt soli patroni eiusdem speciei *coadunati*. — Denique lex anno 1889 statuta et 1899 amplificata praecipit, ut omnis ex anno decimo sexto vitae pro mercede laborans, qui infra 2000 M. redituum habet, neque aliunde pensionem recipit, si invalidus fit vel annum septuagesimum vitae superavit, annuam pensionem percipiat. Invalidus reputatur, qui viribus ita defecit, ut non iam tertiam partem mercedis vulgaris percipiat. Pensio invaliditatis non conceditur, nisi post 200 hebdomades assecurationis[2]), pensio aetatis nonnisi post 1200 hebdomades

---

[1]) Sunt, qui hanc assecurationem per *leges* factam reprobent, quia libertatem patronorum et operariorum nimis coarctet patronos iniuste gravet, officium caritatis imponat auctoritati civili non conveniens, ita ut nullus inde effectus caritatis, sed maius odium oriatur; accedere nimis sumptuosam administrationem ($^1/_5$ totius summae per assecurationem collatae). — Sed quaevis lex libertatem restringit et onera (e. g. tributa) imponit idque legitime, si lex moraliter necessaria est. Videtur autem haec *legalis* assecuratio *hodie apud nos* necessaria esse, quia tantus est numerus operariorum tantaque saepe aegrotorum et invalidorum miseria, ut charitas privata non possit sufficere. Accedit, quod haec charitas christiana in plerisque non adest, unde societas ipsa civilis eam supplere debet, et teste s. Thoma, auctoritas publica non solum officia iustitiae, sed etiam caritatis imponere potest, quae eo ipso fiunt officia *iustitiae legalis* (cfr. supra p. 467, 499, 502 sq.). Sane, hae leges assecurationis adhuc imperfectae sunt, quare potius perficiendae, non abrogandae sunt, usque dum et patroni et operarii spiritu christiano denuo impleantur novusque ordo rerum oriatur, in quo regnet caritas Christi. (Cfr. Tillmanns et Oehmen, Die wahre Lösung der sozialen Frage, 1905, p. 58 sq.

[2]) Si quis non mercede laborans, sed minus quam 2000 M. reditus habens, se assecurat, requiruntur 500 hebdomades assecurationis peractae.

(Wartezeit). Ad pensionem determinandam 5 classes statuuntur pro mercede accepta, sive prout quisque libere se assecurare voluerit:

I	usque ad 350 M.	mercedis annuae; stipes conferenda pro hebdomade	=0,14 M.
II	„ 350–550	„ „ „ „ „ „ „	=0,20 „
III	„ 550–850	„ „ „ „ „ „ „	=0,24 „
IV	„ 850–1150	„ „ „ „ „ „ „	=0,30 „
V	„ 1150–2000 resp. 3000[1])	„ „ „ „ „	=0,36 „

Invalidus igitur percipit: 1° summam a civitate pro omnibus conferendam = 50 M. (Reichszuschuss). 2° Certam summam pro classe sua (Grundbetrag): I = 60; II = 70; III = 80; IV = 90; V = 100 M. 3° Accedit incrementum (Steigerungssätze) pro numero hebdomadarum assecurationis i. e. stipis solutae: I = 0,03 M.; II = 0,06; III = 0,08; IV = 0,10; V = 0,12, ita ut minima invalidi pensio sit: I = 116,40 M.; II = 126; III = 134,40; IV = 142,20; V = 150; summa post 50 annos: I = 185,40; II = 270; III = 330; IV = 390; V = 450 M.

Senex supra 70 annos recipit: 1° a civitate 50 M., sicut supra; 2° pro classe suae mercedis sive stipis collatae: I = 60 M.; II = 90 M.; III = 120 M.; IV = 150 M.; V = 180 M.; minima igitur pensio aetatis est: 110 M., summa 230, nisi sit simul invalidus; tunc enim pensionem invalidi recipit; desideratur, ut haec pensio iam anno 65. aetatis concedatur.

Fundus, ex quo hae pensiones solvuntur, formatur, ut diximus, ex stipe, quae ab operariis confertur; patroni autem mediam eius partem solvere debent, quod ita fit, ut ipsi pro suis operariis signa quaedam a civitate constituta (Quittungsmarken) emant et in carta quadam collocent sive figant, quae secundo quoque anno loco a gubernio constituto deponenda atque inscribenda est; 31 loca centralia in diversis territoriis ad hunc effectum designata sunt. — Ex anno 1891 usque ad finem 1907 pensiones concessae sunt 1 516 021 invalidis, quorum adhuc 841 992 iis fruuntur. Eodem tempore 459 394 operariis senibus pensiones solvebantur, 116 887 iis adhuc gaudent. — Ut summa pecuniae, quae his pensionibus operariis iam solvebatur, numeris quibusdam illustretur, en quid anno 1902, cuius numeri mihi prostant, solutum sit: Operariis aegrotis 4 800 000 = 206 000 000 M.; ex accidentibus 834 566 = 107 205 533 M.; invalidis 1 100 000 = 121 000 000 M.; ergo 6 735 000 operarii indigentes recipiebant *uno anno plus quam* 434 000 000 M., quotidie fere 1 200 000 M., cuius enormis summae civitas 41 400 000 M. (Reichszuschuss), patroni 182 000 000 M., operarii ipsi 252 000 000 M. conferebant.

In aliis nationibus exsistunt quidem assecurationes, sed plerumque plus minus privatae, saepe a gubernio adiutae, non tamen obligatoriae. Ita praesertim in Britannia (Trade unions). In Belgica 13 500 000 frs. pensionum operariorum solvuntur, civitas anno 1907 societatis cooperativis ad mutuum succursum libere et privatim formatis 5 115 000 frs adiumento dedit. In Austria ad exemplar imperii Germanici anno 1887 et 1894 assecuratio contra accidentia, anno 1888 et 1889 contra morbos et 1907 (ad iubilaeum imperatoris) pro casu invaliditatis et aetatis constituta est, praesertim auctore fractione catholica (Lueger), obnitentibus socialistis sicut etiam in Germania.

---

[1]) Pro iis, qui seipsos assecurant.

5) Auctoritas publica etiam moralitati providere debet, quum id necessarium videatur, attento numero et conditione morali tum patronorum tum operantium, praesertim si etiam feminae in fabricis vel fodinis laborant; saepe enim tristissima morum corruptio irrepsit [1]. Leges igitur ubique quaedam praescribunt ad mores tuendos, prohibentes ne viri et mulieres simul operentur, nisi prorsus necessarium sit, neve iisdem locis se lavent sive vestes laboris componant vel commutent etc.; immo et communitatibus quaedam iura conferuntur in his rebus ea decernendi, quae moribus tuendis necessaria videntur. Inprimis eis ad auctoritatem parentum corroborandam facultas conceditur determinandi, quomodo minoribus merces a patronis solvenda sit, utrum directe parentibus ipsis, an eis scripto permittentibus, operariis minoribus, et nonnunquam parentes a patronis de mercede minoribus data certiores reddendi sunt, qua facultate magistratus communitatum et patroni nimis raro utuntur. Porro minores debent libellum laboris a patronis servandum exhibere, quem hi soli patri vel tutori, sicut etiam testimonium laboris, tradere debent, non ipsis minoribus. Ut autem omnia de sanitate et moribus per leges statuta observentur, inspectores fabricae per legem anno 1878 constituti eorumque facultates per legem 1891 valde auctae atque definitae sunt; eorum inspectioni omnes fabricae subsunt, praesertim ratione sanitatis et moralitatis. Insuper quaevis fabrica plus quam 20 operarios continens tenetur ordinem fabricae quoad mercedem, tempus, conditiones laboris scripto omnibus operariis exhibere. — Desideratur apud nos institutio publica, quae apud alias nationes iam exsistit (e. g. in Belgica et Austria) i. e. munus publicum ad statum et conditiones operariorum investigandas, ad leges pro operariis proponendas et lites in ultima instantia sedandas. Administratio huius muneris fieri deberet per delegatos ex operariis et patronis desumptis (Arbeitskammern), non ex solis operariis (Arbeiterkammern, ut in Italia), qui mutuo consensu res communes tractent. Tunc status operariorum simul et patronorum quasi novus status iuris publici fieret.

B. *Activitas ipsorum operariorum.*

1. Operarii ante omnia coalitionem inire debent; secus enim non statum novum formare neque conditionem suam promovere possunt, quare in unionibus et cooperativis coniungendi sunt; hodie vix $^1/_5$ omnium operariorum (fere 10 000 000) pertinet ad coalitionem aliquam. Patet autem, eos non debere inire coalitiones, quae legibus naturae, religionis christianae vel etiam civitatis repugnant; non igitur restant nisi uniones, quae christiano nituntur fundamento. 2. Operarii debent ipsi statum suum oeconomicum promovere mutuo succursu sive formantes societates productivas, quae tamen in genere difficiliores sunt, sive consumptivas, quae hodie valde sunt propagatae (cfr. supra p. 352 sq. et 535) [2]. 3. Praesertim fundus quidam formandus est,

[1]) Cfr. Herkner, l. c. p. 22 et 43 sq.

[2]) Attamen hae societates consumptivae, ut supra p. 535 diximus, a multis hodie reprobantur, quia solum relative paucis operariis iisque melius se habentibus utilitatem offerunt, quia aliis negotiis mercatorum vel etiam opificum valde nocent, haecque eadem emolumenta ac consumptiva ementi-

ut labore carentes adiuventur vel etiam ad laborem indicandum, nisi ipsae civitates hoc munus assumpserint [1]), qua in re societates Britanniae (trade unions) prorsus eminent [2]) (cfr. supra p. 290 et 539). 4. Enitendum est, ut operarii proprietatem acquirant e. g. domum, licet modestam, hortum aliquem sive proprium sive etiam locatum, in quo per horas liberas paulisper laborare, se recreare et familiam adiuvare possint. Certe, operarii domum hortumque possidentes vix unquam socialistas sequentur. Iure igitur Leo XIII in Encyclica: Rerum novarum in hac re insistit [3]). 5. Operarius vivat sobrie et parce; est enim alcoholismus ruina plurimorum operariorum [4]); eius uxor debet noscere artem coquendi et rebus suis bene parceque uti, ut domum iucundam reddat marito. Unde magni momenti est, adulescentulas iam in schola primaria in re familiari (Nähen, Flicken, Stricken etc.) edoceri, et postea scholas practicas (Koch-, Näh-Kurse) frequentare [5]).

C. *Activitas patronorum.*

In quaestione sociali solvenda multum dependet ab ipsis patronis, qui si iustitia, prudentia, charitate christiana imbuti sunt, multis modis saluti operariorum prospicere possunt: 1. *Iustitiâ,* si operariis mercedem tribuunt lucro negotii et necessitati operarii conformem neque artibus quibusdam (Trucksystem) eam diminuunt vel arbitrarie retinent. 2. *Prudentiâ,* si operariis eam libertatem et independentiam in rebus fidei, morum, politicae concedunt, quam status noster requirit. Non igitur libertas coalitionis, modo ne salutem publicam offendat, coercenda est, neque libertas religionis exercendae, neque usus et exercitium iurium publicorum, e. g. in deputatis eligendis. Imo etiam in negotio et officina recte instituendis et ordinandis consilia et vota operariorum audienda sunt, deputatis ad hoc ab ipsis operariis electis (Arbeiterausschuss), ut operarii libentius diligentiusque ordinem laboris constitutum observent et unitas moralis inter eos et patronos efficiatur, quae est fundamentum prosperitatis et pacis socialis. Patroni enim et operarii non, ut volunt socialistae, sibi ex natura rei sunt inimici, sed potius ad invicem ordinati sibique mutuo necessarii: *patroni,* ut occasionem laboris exhibeant et fructum laboris vendant; *operarii,* ut laborem praestent, unde ipsi *inter se coniuncti novum statum socialem constituere debent,* sicut olim in collegiis medii aevi patroni, cooperantes et discentes (cfr. supra p. 529). Hoc autem tunc efficitur, si ipsi patroni et operarii inter se in societatibus coniuncti, mutuo consensu per delegatos suos, statutis quibusdam temporis intervallis, conveniunt de mercede ceterisque laboris conditionibus (Tarifverträge), et si discordiae oriantur, quae ab unione locali (lokale Schlichtungskommission) componi non possint, tribunal commune ex patronis et operariis aeque

bus praestare possunt (cfr. Tillmanns, Die wahre Lösung der sozialen Frage, 1905, p. 53 sq.).

[1]) Cfr. Herkner, l. c. p. 428 sq., cfr. supra p. 289.

[2]) L. c. p. 433 sq.

[3]) Encycl. Rer. nov. ed Herder, p. 65.

[4]) Cfr. supra p. 257. Herkner, l. c. p. 462 sq.

[5]) Cfr. libellos perutiles in M-Gladbach (Volksvereins-Verlag) editos: Das häusliche Glück; Wegweiser zum häuslichen Glück; Die Haushaltungsschule.

constitutum formetur, quod rem definiat (paritätische Einigungsämter). Atque hic modus pacis conservandae in Britannia primum Nottingham ex anno 1860 adhibitus (Conciliation and Arbitration Boards), nunc ibi valde propagatus est multasque cessationes laboris praecavebat[1]). Eum in Germania primum imitati sunt patroni et operarii typographi, qui iam ex anno 1872 uniones locales et territoriales (Tarifausschüsse, Tarifämter, Kreisämter et örtliche Schiedsgerichte) instituebant, quas ex anno 1906 mutuo obligatorias sub poena reddebant. — Similiter etiam patroni et operarii constructores (Baugewerbe) in regione Rheno-Westfalica ex anno 1905 tribunalia quaedam localia et territorialia constituebant. Sperandum est, fore ut inde cessationes laboris, ut in Britannia et apud typographos, evitentur et tandem mutua unio ad statum novum socialem oriatur[2]). 3. *Charitate*, si operarios vere ut homines christianos sibi aequales tractant, si eis in necessitatibus constitutis succurrunt, si eorum sanitati et moralitati provident, si opera quaedam charitativa pro operariis suis excitant e. g. hospitalia, scholas practicas ad operarios minores utriusque sexus instruendos[3]). Qua in re multi patroni excellunt e. g. Léon Harmel, Brandts, Boch, Freese, Krupp aliique non pauci. Porro operariis occasio praebenda est, domum vel etiam hortum agrumque sibi emendi pretio *vili* et *successive* solvendo, et ad hunc effectum fabricae potius *minores* eaeque *rure* essent erigendae, ubi fundi ad domos construendas et agri multo minus constant quam in urbibus. Quo facto vita operariorum amoenior fieret atque sanior, imo etiam vilior, fructibus ex horto agroque perceptis[4]). Neque operarius prorsus inops fieret et vagabundus, si crises quaedam, ut saepe fit, oriuntur in rerum productione et operarii dimittendi sunt. Ni fallor, hoc modo et mercedes minores magis sufficerent operariis, quam maiores in urbibus, in quibus omnes res carius emendae sunt et domicilia operariorum saepe vilissima et homine indigna. Graviter igitur vituperandi sunt illi patroni et syndicatus patronorum, qui maioris lucri gratia minores fabricas dissolvunt vel ad maiores contrahunt, tot operariis dimissis[5]). Concedendum tamen est, nostris temporibus multos patronos enormem saepe summam pecuniae in salutem operariorum suorum impendere, id quod operarii nonnunquam ingrati vel agitatione socialistarum seducti nimis parvi pendunt.

D. *Activitas ecclesiae.*

1. *Necessitas:* Quaestio socialis non solum est pure temporalis et oeconomica, sed etiam moralis et religiosa. Agitur enim de novo statu sociali

[1]) Sic in Britannia numerus cessationum laboris anno 1901 erat 642, cessantes operarii 179 546; 1905: 358 et 93 503; in Germania autem 1901: 1056 et 55 262; 1905: 2403 et 408 145. Apud typographos vero apud nos ex anno 1890 vix iam cessatio laboris fuit, quia patroni et operarii communi consilio contractum laboris constituebant.

[2]) Cfr. Koch, Zum gewerblichen Frieden, L. St. 1907, p. 245 sq. — Nuper cessationes laboris imminentes constructorum per totam Germaniam hoc modo praecavebantur.

[3]) Cfr. Encycl. Leonis XIII Rer. nov. edit. Herder, p. 27 sq.

[4]) Sohnrey, Das Glück auf dem Lande, 1905.

[5]) Cfr. Tillmanns, Die wahre Lösung der sozial. Frage, 1905, p. 112 sq. Stände-Ordnung, 1908, n. 16.

formando, qui principiis morum et fidei christianae tanquam fundamento solido et inconcusso est innitendus; agitur de relationibus multis inter operarios et patronos, quae leges moralitatis, praesertim iustitiae et charitatis supponunt. Patet igitur, in hac quaestione solvenda ab ecclesia abstrahi non posse, quippe quae sit magistra fidei et morum a Christo ipso nobis constituta (cfr. supra p. 471). Merito igitur Leo XIII[1]): „Confidenter ad argumentum aggredimur ac plane iure Nostro, propterea quod caussa agitur ea, cuius exitus probabilis quidem nullus, nisi advocatâ religione Ecclesiaque, reperietur. Cum vero et religionis custodia et earum rerum, quae in Ecclesiae potestate sunt, penes Nos potissimum dispensatio sit, neglexisse officium taciturnitate videremur. — Profecto aliorum quoque operam et contentionem tanta haec caussa desiderat: principum reipublicae intelligimus, dominorum ac locupletium, denique ipsorum, pro quibus contentio est, proletariorum: illud tamen sine dubitatione affirmamus, inania conata hominum futura, Ecclesiâ posthabitâ. Videlicet Ecclesia est, quae promit ex Evangelio doctrinas, quarum virtute aut plane componi certamen potest, aut certe fieri, detracta asperitate, mollius: eademque est, quae non instruere mentem tantummodo, sed regere vitam et mores singulorum praeceptis suis contendit: quae statum ipsum proletariorum ad meliora promovet pluribus utilissime institutis: quae vult atque expetit omnium ordinum consilia viresque in id consociari, ut opificum rationibus, quam commodissime potest, consulatur: ad eamque rem adhiberi leges ipsas auctoritatemque reipubliae, utique ratione ac modo, putat oportere." (Cfr. etiam „Motu proprio" Pii X die 18. Decemb. 1903, principia activitatis socialis catholicorum clare et breviter comprehendens.)

Ratio obvia est: a) Hodie enim inter doctores scientiae theologicae et moralis constat, actus humanos i. e. liberos specie quidem sive obiective, non autem in individuo sive subiective moraliter indifferentes esse (cfr. supra p. 101 sq.), ac per consequens etiam actus operariorum ad statum suum promovendum sive ratione mercedis, sive conditionum laboris non sunt moraliter indifferentes. *Atqui* omnis moralitas actuum humanorum qua talis est obiectum directum potestatis ecclesiae. *Ergo* ecclesia in quaestione sociali operaria solvenda ratione morum omnino concurrere debet ac proinde audienda est. b) Porro nullus est actus humanus naturalis, qui non fini hominis naturali, neque actus hominis christiani, qui non fini supernaturali subordinari debeat sive actualiter sive virtualiter sive saltem interpretative i. e. ex intrinseca natura sua (cfr. supra p. 102). *Atqui* actus sociales, per quos relatio inter operarios et patronos constituitur, sunt actus humani quoad *obiectum* suum in genere naturales; quoad *subiectum* suum sunt actus hominis christiani; et sunt realiter iidem, sicut in operario homo naturalis et christianus realiter idem est. *Ergo* omnes illi actus sociales fini naturali et supernaturali hominis subordinandi sunt ac proinde subsunt potestati et auctoritati ecclesiae, cuius est vitam aeternam nobis procurare[2]). c) Fundamentum relationis

[1]) Encycl. Novar. rerum, p. 25.

[2]) Haec duo argumenta optime *Walter*, Sozialpolitik und Moral, 1899, praesertim p. 22—144 contra Sombart urget, qui non negat quidem operationem humanam *omnem* in se debere esse ethicam et ad finem ethicum dirigendam, attamen, sibi non consentaneus, negat activitatem socialem per

inter patronos et operarios est contractus laboris. *Atqui* hic contractus laboris non solum ut contractus in genere supponit leges morales (cfr. supra p. 343 sq.), sed est contractus sui generis, quia eius obiectum est aliquid operario *personale*, quod supponit rectam naturae humanae et hominis christiani cognitionem et aestimationem, ne homo tanquam res et vilis servus habeatur. Haec autem recta hominis eiusque christiani cognitio et aestimatio nonnisi per religionem Christi nobis exhibetur. *Ergo* sine religione christiana vix contractus laboris moraliter perfectus fieri potest [1]). d) Testatur historia [2]), omnibus quaestionibus socialibus semper subesse principia quaedam morum et religionis, id quod ipse Proudhon necnon Montesquieu acute advertunt; testatur, religionem christianam statum socialem hominum paulatim immutasse; memineris servitutis, polygamiae, despectus laboris et opificum, necnon sexus muliebris et vitae alienae humanae (in servis, gladiatoribus, infantibus necandis) apud gentes et veteres et recentes non christianas [3]).

At nonne machinae earumque usus, contractus laboris, cessatio a labore res neutrae sunt i. e. neque quidquam specifice catholicum neque protestanticum neque religiosum omnino? [4]) Profecto, si hae res obiective spectantur,

ethicam esse ordinandam, siquidem possent esse fines agendi neutrales (Sonderideale) e. g. in medico et artifice, qui non secundum normam ethicam operarentur, sed secundum leges artis suae. Merito igitur Walter concludit (p. 39): „Da also das Ziel der Menschen ein sittliches ist, müssen alle Tätigkeiten auf dasselbe hingerichtet werden, müssen auch die sozial- und wirtschaftspolitischen Handlungen in Unterordnung zu demselben stehen.“ Neque aliud sentit *Hitze* (Staatslexikon, Art. Arbeiterfrage, 1901, p. 262): „Die Arbeiterfrage ist in erster Linie . . . eine sittlich religiöse Frage, insofern alle Handlungen des Menschen auf wirtschaftlichem und politischem Gebiete — sowohl der Arbeitgeber als der Arbeiter, als der Gesetzgeber etc. — durch sittlich religiöse Rücksichten beeinflusst werden, sei es in guter, sei es in böser Richtung, wie umgekehrt auch die wirtschaftlichen Verhältnisse — Produktionsweise wie Verteilung — gewiss auch auf die sittlichen Anschauungen und Bestrebungen einwirken.“ Similiter *Bruder* ibid. p. 243: „Eine ethische Auffassung der materiellen Verhältnisse wird die Arbeit nicht einseitig nur nach ihrer wirtschaftlichen, werterzeugenden, sondern nach ihrer sittlichen Bedeutung würdigen müssen.“ Et Psenner, Christl. Volkswirtschaftslehre, 1907, I, 2: „Richtige Lebensauffassung und richtige Weltanschauung ist die *Grundbedingung* und der *Ausgangspunkt* richtiger menschlicher Tätigkeit, somit auch richtiger Volkswirtschaft. Mit Recht sagte schon Cicero: Hat die Philosophie das Ziel des Lebens festgestellt, dann hat sie alles festgestellt, dann hat man den Weg des Lebens gefunden.“ (Cfr. ibid. p. 86.) Recte igitur Schäffle (apud Psenner, p. 23): „Die wirtschaftliche Persönlichkeit findet ihren Untergang, wenn sie sich vom Sitten- und Religionsgesetze abwendet.“

[1]) Recte monet Engel (Grundriss, l. c. p. 157), impugnans theoriam Liberalismi de natura laboris, quasi sit merces, sicut alia quaecunque: „Die Arbeitskraft ist keine Handelsware . . ., Mensch und Arbeitskraft sind vielmehr unlöslich verbunden. *Die Arbeitskraft ist der Mensch selbst.*“ Similiter Hitze (Staatslexikon l. c. p. 261 sq.); porro, Die Arbeiterfrage, 1902, p. 8 sq.

[2]) Cfr. Walter, l. c. p. 121 sq. [3]) Cfr. Encycl. Rer. nov., p. 70 sq.

[4]) Cfr. Walter, l. c. p. 41 simile argumentum a Sombart propositum reiciens; porro Braun, Bisheriges und künftiges Verhalten der deutschen Katholiken in der Arbeiterfrage, 1906, p. 88 sq.

abstractione facta ab intentione humana, possunt „neutrales“ vocari, non tamen si subiective et in individuo considerantur. Etsi operarius catholicus eodem modo *externe* machina utatur, quo protestans vel socialista, non tamen interne, si eius persuasio de natura, valore, fine laboris, inprimis si eius intentio spectatur, quam habet vel habere deberet. Idem dicendum est de contractu laboris, quem catholicus credit in conscientia obligare et in lege Dei fundari, socialista solum externe necessitare putat et pro utilitate sua rescindi posse. Similiter cessatio a labore (Streik) potest esse in se licita, attamen saepe per accidens fit illicita, sive ex circumstantiis, e. g. damnum immensum aliorum, sive ex intentione mala, e. g. ad concurrentem aliquem perdendum, ad societatem cooperativam augendam, ut socialistae saepe facere dicuntur (cfr. supra p. 95 sq.).

2. *Modus:* Ex dictis patet, ecclesiam in quaestione sociali solvenda duplici modo concurrere posse: *directe et indirecte sive directive* (cfr. supra p. 474). Directe concurrit, in quantum principia fidei et morum statuit, secundum quae etiam relationes inter operarium et patronum diiudicandae atque constituendae sunt; atque haec principia pro omnibus hominibus christianis eadem sunt. Indirecte sive directive concurrit ecclesia, in quantum haec principia ad diversos casus vitae socialis *applicari* debent, quae applicatio saepe non tam facile est et tum doctrinae rerumque gerendarum perfectam cognitionem, tum animi et cordis libertatem a passionibus requirit. Et certe, contractum laboris debere esse liberum, iustum, honestum facile intelligitur, sed difficile saepe definitur, num certus aliquis contractus illas habeat proprietates, unde facile agitator aliquis operariis simplicibus et mercedis maioris semper avidis et in patronos suspiciosis persuadebit, contractum laboris fuisse coactum, sive iniustum, sive inhonestum. Sic cessationem a labore posse esse in se licitam, facile intelligitur, attamen difficile apparet, quando sit illicita, et operarii agitatione et passione abrepti eorumque duces rei operariae et muneris sui unice studiosi, plerumque nesciunt de hac re certo iudicare; imo saepe ne ducibus quidem obtemperatur, ut in famosa illa cessatione laboris fossorum ad Ruhram anno 1905 evenit, siquidem homines rudes, praesertim iuniores, vim quam consilium adhibere malunt.

Tunc igitur operariorum causae melius provisum esse videtur, si ministri ecclesiae eos adiuvant ad principia fidei et morum rebus suis applicanda. Haec autem cooperatio tunc potissimum habetur, quando uniones operariorum et societates cooperativae omnino inter se coniunctae sunt, ita ut in illis principia morum et fidei inculcentur, in his autem ad singulas quaestiones practice applicentur. Non igitur ab invicem separandae esse videntur, quare illae *uniones cooperativae* catholicae, quae post encyclicam Leonis XIII 1891 et Epistolam pastoralem episcoporum Germaniae 1900 Berolini fuerunt excitatae (cfr. supra p. 544), praeferendae esse videntur, siquidem in eis quivis est simul socius unionis (Arbeiterverein) et cooperativae (gewerkliche Fachabteilung), in societatibus autem cooperativis christianis nemo tenetur esse socius unionis operariae et permulti de facto non sunt. „Perspicuum vero est, ait Leo XIII [1]), ad perfectionem pietatis et morum tanquam ad causam praecipuam spectari oportere; eâque potissimum caussâ disciplinam socialem peni-

[1]) Encycl. Rer. nov. l. c. p. 77.

tus dirigendam. *Secus enim degenerarent in aliam formam eique generi collegiorum, in quibus nulla ratio religionis haberi solet, haud sane multum praestarent.* Ceterum quid prosit opifici rerum copiam societate quaesisse, si ob inopiam cibi sui de salute periclitetur anima?" (Matth. 16, 26; 6, 32—33).

Quamvis igitur ministri ecclesiae societates cooperativas sive productivas sive consumptivas non dirigant, sed operarii ipsi i. e. laici, hi tamen eorum consilia audiant, si agitur *de rebus mores et fidem tangentibus*. — Neve obicias, operarios non indigere magistris et tutoribus in rebus suis. Certe non eis indigent ad activitatem suam materialem et technicam, e. g. ad machinam vaporis dirigendam, ad muros construendos; indigent tamen ad rectam dispositionem moralem, ut supra exposuimus, tum propter principia falsa, quae a socialistis et etiam a multis protestantibus hac de re pronuntiantur, tum propter naturalem inclinationem ad maiora semper habenda et propter passiones inde agitatione ducum saepe commotas. Ceterum quis nescit, etiam societates „christianas" *clericis* potissimum suadentibus et inspirantibus ortas esse atque propagatas? Cur igitur nunc ab eis exulare debent? Porro si operarii soli sibi sufficiunt, cur tunc uniones eorum (Arbeitervereine) *sub praesidibus clericis* adhuc necessariae habentur? Cur non agricolarum quoque et mercatorum et industrialium? — At nonne tunc etiam aliis statibus e. g. agricolis, opificibus, mercatoribus clerici simili modo assistere deberent? Certe, etiam illis assistunt clerici, in quantum necessarium est; id quod illis magnae semper utilitati fuit, e. g. associationibus coadiutorum (Gesellen), agricolarum, mercatorum (kathol. kaufm. Verein); imo centrum ipsum i. e. unio deputatorum catholicorum, licet per se sit fractio politica, attamen ei insunt multi clerici et fundatur principiis religionis catholicae, a quibus, si discesserit, dissolvetur. Attamen magna est differentia inter illos status et operarios. Illi enim status agricolarum, mercatorum etc. iam ex longo tempore sunt constituti, unde applicatio principiorum morum et fidei ad singulas quaestiones in genere patet neque periculum socialismi eis adeo imminet. Accedit, quod in eis in genere ipse patronus e. g. agricola, opifex, simul etiam operarius est; non igitur adest paritas inter eos et operarios. Praesertim vero medium illud maxime periculosum cessationis laboris, quo societates cooperativae hodie toties utuntur, non adhibent; de hoc autem medio adhibendo sive spernendo potissima est disputatio, quia tam intime cum moribus cohaeret. Non est igitur paritas inter associationes agricolarum (Bauernvereine) sive opificum (Innungen) et operariorum (Gewerkvereine). — At nonne clerici nimis rebus saecularibus se immiscerent et odia patronorum vel operariorum nonnunquam in se excitarent? Respondeo: 1° Si clerici ipsi societates cooperativas dirigerent — transeat vel concedo; quum ipsi solum assistant laicis tales societates formantibus et dirigentibus — nego. 2° Odium patronorum tunc solum oreretur, si cessationem laboris vel agitationem contra patronos machinarentur; odium autem operariorum, si cessatio laboris et agitatio irrita foret et damnosa. Sed clerici assistentes certe prius omnia tentarent ad pacem conservandam; hac autem turbatâ, ut mediatores inter operarios et patronos constituti; facilius quam alii litem componerent. Accedit, quod unio cooperativa Berolinensis cessationem laboris, utpote practice sive inutilem sive damnosam, omnino reicit. 3° Etiamsi clerici solum

unionem operariam dirigunt, cuius socii cessant a labore, eo ipso patronorum odium excitant; sed inde nemo infert, etiam illas uniones esse dissolvendas.

At nonne dolendum est, quod novae illae uniones catholicae operarios dividunt eorumque vim („Stosskraft"-Giessberts) diminuunt? Sane desiderandum esset, operarios omnes in se unitos ad idem aspirare. Sed hoc hodie impossibile est, quia maxima pars operariorum confoederatorum ad socialistas pertinet, cum quibus unionem unire non possumus. Ceterum idem societates cooperativae socialistae exprobrant christianis, siquidem his priores fuerunt et affirmant, se esse „neutras". Potest quidem cum operariis protestanticis societas cooperativa fieri; sed plerique protestantes nolunt eis inesse ex odio catholicorum, et de facto relative pauci per 14 hos annos ad eas accesserunt; imo nisi socii catholici fidem suam prorsus seponant, facile discordiae oriuntur, unde omnis religio a cooperativis abesse debet. — At nonne saltem malum est, quod „Berolinenses" operarios *catholicos* scissione sua diviserint. Certe hoc dolendum est, sed eis persuasum fuit, religione seposita, quaestionem socialem solvi non posse, neque veram salutem operariorum effici, imo periculum religionis catholicae adesse. Iam vero fac, omnes operarios catholicos Germaniae (fere 3 000 000) inter se associatos esse in cooperativis catholicis, quanta tunc vis vere insuperabilis eis inesset tum quoad religionem tuendam, tum quoad conditionem suam socialem promovendam! Quantum esset incitamentum pro operariis evangelicis ad hoc exemplum imitandum! Nihilominus „catholici" promptos semper se exhibent, in omnibus quaestionibus oeconomicis cum „christianis" rem communem facere, sicut christiani cum socialistis de facto cooperantur; attamen „christiani" potius „catholicos" oppugnant atque repudiant.

Dicis, eos cessationem laboris reicere, sine qua operarii nihil proficiant sive profecissent. Certe, initio hoc medium „ultimum" forte necessarium fuit, ut et patroni et gubernia excitarentur; ad hoc autem iam sufficiebant socialistae plus iusto a labore cessantes, unde alia societas ex hac ratione non necessaria esse videbatur. Sed nihil prohibet, quominus illae cooperativae catholicae, si satis potentes sunt atque late propagatae, sociis suis, quorum patroni iniqui et duri postulationi iustae non obsecundaverint, alibi operam procurent, ita ut in pace et quiete, licet lentius, idem tandem effectus habeatur, qui ex cessatione turbulenta laboris speratur. Ceterum uniones illae catholicae totae in eo sunt, ut tribunalibus obligatoriis constitutis (obligatorische Schiedsgerichte, cfr. supra p. 549) et conventionibus de mercede pro certo tempore factis (Tarifverträge, cfr. supra p. 548), omnes lites in pace componantur. Accedit, quod hodie illas cessationes laboris operariis plus obesse quam prodesse multi censent, primum quia nimia damna afferunt securitati et negotiationi publicae aliisque hominibus innocentibus; deinde quia saepe sine ratione sufficiente adhiberi videntur; tertio quia, praesertim patronis ex anno 1904 inter se associatis[1]), cessatio laboris fere sem-

[1]) Cfr. Der Arbeiterpräses, 1908, p. 38 sq. Duae sunt associationes patronorum contra cessationes laboris mutuo se adiuvantes: Hauptstelle deutscher Arbeitgeberverbände (anno 1905 continebat patronos 712 000 operariorum) et Verein deutscher Arbeitgeberverbände (continet 300 associationes patronorum 1 300 000 operariorum).

per damno est vel erit operariis. Sic folium publicum (Reichs-Arbeitsblatt) docet, anno 1907 1967 cessationes laboris in Germania fuisse, quibus 181 423 operarii intererant; 375 effectum habebant, 844 nullum, 748 partialem. Anno 1906 cessationes erant 2731, anno 1905 operarii a labore cessantes erant 408 145. Quid, quod *sola* societas cooperativa lignorum (Holzarbeiter-Verband) anno 1907 3 123 343 M. cessantibus solvebat? Ad quam summam si adnumeras mercedes deperditas certe duplo vel triplo maiores et damnum aliis operariis non voluntarie inde cessantibus causatum, summam horrendam quasi pro nihilo habes deperditam.

Dicis forte, cessatione laboris solidaritatem inter socios confirmari novosque acquiri. Hoc quidem verum est; sed haec ratio certe per se non legitima esset, nisi aliae accederent e. g. merces iniusta, conditiones laboris inhonestae etc.; hi enim soli fines legitimi sunt, ipsa autem associatio est medium. Sane experientia docet, per quamvis cessationem laboris numerum sociorum augeri, a) quia homines rudes, praesertim iuniores, vim consilio praeferunt; b) quia cessantes a societate cooperativa adiuvantur (Streikfonds), operarii autem non socii et labore et auxilio carent; c) quando labor tandem ex pacto cum patronis iterum suscipitur, per terrorismum sociorum alii operantes saepe vel plerumque a labore excluduntur, unde non est mirum, per omnem laboris cessationem societatem cooperativam numero augeri, id quod praesertim in magna illa laboris cessatione in regione ad Ruhram anno 1905 facta locum habuit, unde socialistae saepe cessationem laboris excitare dicuntur ad ipsam societatem cooperativam propagandam. — Denique potest esse, ut nonnunquam cessatione laboris plus mercedis vel cuiuspiam emolumenti obtineatur, praesertim si agitur de patrono non satis potente; attamen experientia docet, per modum intercessionis pacificae unionem catholicam nonnunquam plus obtinuisse, quam alias societates cooperativas (e. g. Knappschaftsstatut). Accedit, quod damna sive physica sive moralia, quae cessantes a labore sibi vel aliis inferunt, plerumque per illa emolumenta compensari nequeunt. Inde est, quod ipsi „christiani", — in hoc forte non satis sibi consentanei — operarios rurales, postales, ferroviarios aliosque vitae publicae omnino necessarios a labore cessare vetant. Ratio autem haec prohibendi *hodie* eadem videtur pro omnibus fere cessationibus. His enim cessationibus tandem efficitur, ut negotia minora perdantur vel ad coalitionem cogantur, — id quod hodie locum habet — ita ut operarii vi nihil iam obtineant.

Noli vero ex dictis deducere, societates cooperativas christianas omnino reprobandas vel illicitas esse. Minime; quaestio sola est, utrum catholicis praestent necne. Imo potest esse ratio aliqua particularis, ex qua alicubi societates christianae praeferendae sint, non quidem per se, sed per accidens, scilicet, si alicubi tales societates iam exsistunt neque facile in catholicas transformari possunt; si operarii ipsi eas praeferunt — id quod vix locum habet, si recte de natura et organisatione societatum catholicarum instituuntur; si spes certa sit multos protestantes sibi conciliandi — id quod tamen incertissimum est, considerato odio protestantium in catholicos, et etiam per societates catholicas obtineri potest, quae in rebus oeconomicis, si res permittit, cum aliis foedus ineunt, imo per se protestantes ex *sectionibus* suis *professionalibus* non excludunt, si earum statuta observant et principia catholica non expresse reiciunt.

Profecto valde desiderandum est, christianas et catholicas associationes operarias inter se unanimes esse, imo si fieri potest, in unam societatem conflari. Hoc autem, etsi pro praesenti difficile, non tamen impossibile videtur, quum cooperativae christianae principia catholica non negent, sed in rebus oeconomicis seponant. Non autem ratio ulla apparet, cur „christiani" ab assistentia clericali abhorreant, quum illae societates potissimum clericis adiuvantibus et suadentibus sint constitutae, quum clerici, ni fallor, plus quam alii, tum de salute publica, tum inprimis de sorte operariorum solliciti sint, neque se immisceant quaestionibus pure professionalibus, nisi ratione morum et religionis necessarium videatur, id quod operariis vere christianis et catholicis nonnisi gratum acceptumque esse potest. Nihil igitur per se obstaret, quominus concilium generale (Generalversammlung) utriusque societatis, per se plenipotentiarium, mutuam fusionem decerneret. Priusquam hoc fiat, abstineant a mutuis convitiis, sed si necessarium videtur, differentias invicem pacifice et cum amore vere christiano exponant, ad quod multum conferret, si territoria quaedam iam occupata ab hac vel illa societate intacta sibi relinquerent. *Non tantum refert, quis bonum faciat, dummodo fiat.*

Sperandum est fore, ut si quando per leges delegationes perpetuae obligatoriae (obligatorische Arbeiterausschüsse) necnon tribunalia discordias definitive componentia introducta fuerint, cessationes a labore non iam fiant et operarii patronique fabricarum et fodinarum unum morale constituant, quo facto impedimentum maximum unionis utriusque societatis remotum esset, imo et fundamentum novae classis patronorum et operariorum, similis collegiis medii aevi, constitueretur, id quod faxit Deus! [1])

V. *De quaestione feminarum* [2]).

1. *Principia:* Quum de relatione inter viros et feminas supra p. 368 plura dicta sint, hoc loco pauca sufficiunt de hac quaestione. Quum natura humana ipsa tum absolute et relative, tum abstracte et concrete spectata (cfr. supra p. 80 sq.) sit norma logica moralitatis i. e. activitatis humanae liberae, activitas ac proinde iura et officia feminarum ex earum natura diiudicanda sunt. *Atqui* femina habet naturam humanam, si absolute et abstracte consideratur, eandem, quam vir habet, ac proinde etiam finem ultimum eundem; attamen si eius natura relative et concrete spectatur, differt quoad vires et indolem tum corporis tum animi, ac proinde habet finem etiam sibi proxi-

[1]) Plura de hac re vide: Hitze, Arbeiterfrage, 1904; Christl. Gewerkvereine, M-Gladbach, 1899 [2]; O. Müller, Die christl. Gewerkschaftsbewegung, 1905; Forschner, Soz. Briefe (III. B., Der christl. Gewerkschaftsgedanke) 1906; Gerigk, Christl. Gewerkschaft oder kathol. Fachabteilung? 1904; Rhenanus, Christl. Gewerkschaften oder Fachabteilungen? 1904 — Contra Kempel, Die „christliche" und die „neutrale" Gewerkschafts-Bewegung, 1901; Carbonarius, Kann und darf ich für eine Arbeiter-Bewegung auf kathol. Grundlage eintreten? 1904; Braun, Bisheriges und künftiges Verhalten etc., 1906; Tillmanns, Die wahre Lösung der sozialen Frage, 1905; Fournelle, Die kathol. Arbeitervereine und ihre Aufgabe, 1904; Fleischer (?), Leitsätze für die Behandlung der Arbeiterfrage (Berlin) 1904

[2]) Cfr. Rösler, Die Frauenfrage, 1907 [2]; Konversationslexikon (Herder), Art. „Frauenbewegung".

mum, ultimo utique subordinatum, diversum a viro, quare etiam iura et officia sibi propria habet, quae ex hoc fine proximo fluunt. Errant igitur primum ii, qui cum veteribus gentibus necnon cum barbaris hodie exsistentibus mulieres prorsus viro subordinant quasi fini suo ultimo, easque habent servas atque despectas (cfr. supra p. 369). Deinde errant, qui mulieres viris in omnibus aequiparant quoad iura et officia, praesertim qui plenum usum iuris publici (ius suffragii etc.) eis vindicant (Frauenrechtlerinnen). Tota quaestio igitur in eo est, ut feminis ea iura et officia tribuantur, quae eis per naturam suam conveniant. Quaeritur, num hodie ea iura et officia eis tribuantur. Duplex autem potissimum ius sive officium eis convenit per naturam, scilicet *activitas* quaedam eis conveniens et *status* aliquis liber vel matrimonialis.

2. *Historia:* Diversis temporibus diversa invenitur mulierum et activitas et conditio. Apud veteres mulieres plebis quasi servae habebantur, quibus omnia opera domi, saepe etiam in agris incumbebant, sicut hodiedum apud gentes barbaras. Etiam mulieres nobiliores, saltem temporibus antiquioribus, in cameris suis cum ancillis laborabant (Penelope apud Homerum in Odyssea) vestes conficientes pro viris et liberis. Porro quum polygynia apud veteres esset, neque fornicatio et prostitutio tanquam malum magnum haberetur (cfr. supra p. 385 sq.), facile erat mulieribus, conditionem a natura proxime eis destinatam habere procreando liberos. — Postea vero in villis Merovingiorum et Francorum activitas mulierum eadem fere erat ac apud veteres, scilicet domum administrare vestesque conficere in domibus vel cameris propriis cum ancillis suis (Frauenhäuser, inde etiam mulier olim nomen accepit: Frauenzimmer). Medio aevo, collegiis constitutis, mulieres et filiae domi simul cum patrefamilias laborabant, neque tunc difficultas nubendi inveniebatur, siquidem omnes discentes et coadiuvantes tandem fiebant ipsi patroni independentes, qui sub tutela collegiorum familiam labore suo alere poterant. Accedit, quod tunc ubique erant monasteria, in quibus virgines Deo servientes simul operam dabant vel aegrotis curandis, vel puellis instruendis, vel telis sacrisve vestibus conficiendis sive texendis, vel etiam libris transcribendis et ornandis aliisque artibus sive communibus sive ingenuis, qua in re praesertim Beguinae (non moniales quidem sensu stricto, attamen in singulis domibus communiter viventes, a sacerdote Lamberto le Bègue † 1187 Leodii institutae) excellebant, mox fere per totam Europam propagatae; saeculo XIV 200 000 fuisse dicuntur: in sola urbe Leodii 20, Coloniae 141, Argentorati 60, Francofurti 57 domus erant. (Eis correspondent Beguardae, etiam Lollardae vocati, scilicet, *viri* sub certa regula coelibes sive singuli, sive in communite viventes, qui ecclesiis custodiendis, aegris curandis, vestibus texendis operam dabant).

Ex saeculo autem decimo octavo, machinis inventis et fabricis erectis, conditio mulierum multis in locis immutari coepta est. Textura enim vestium usque eo plerumque a mulieribus domibus suis exercita, nunc a viris in fabricis effecta est idque pretio tam vili, ut vix familiam nutrire possent. Inde multae feminae non iam nubere poterant et ad vitae necessaria acquirenda etiam ipsae virgines, uxores et viduae tandem in fabricis et fodinis laborare coeperunt et pretiis adhuc vilioribus contentae, virorum quoque

conditionem mercedesque iam per se viles magis magisque deprimebant; inde proletariatus ille nostri temporis tum virorum tum mulierum cum omnibus malis moralibus, quae ex eo nascuntur (prostitutio), primum in Britannia, deinde in aliis Europae terris, prout industriae operam dabant, exortus est.

Ut ex hoc statu tristissimo emergerent, mulieres praesertim classium superiorum coeperunt iura publica, inprimis ius suffragii reclamare, ut legibus constitutis meliorem conditionem sexus sui, imo aequalitatem politicam et socialem cum viris: ius scholas superiores frequentandi, ius ad omnia munera publica accedendi, acquirerent. Ac primum quidem in *Gallia* feminae tempore revolutionis, ducibus Olympe de Gouges, Mme. Roland, postea Mme. de Staël et George Sand, aequalitatem politicam feminarum postulabant, licet frustra. Uniones etiam confessionales mulierum ortae sunt ad sortem sexus sui promovendam: catholica duce comitissa d'Eu, protestantica ducibus Mme. Bugelot et Mlle. Monod. — Plus vero in *America* septemtrionali agitatio proficiebat, siquidem iam ex fine saeculi XVIII ad scholas superiores et ad munera publica admittebantur et in nonnullis statibus ius quoque suffragii obtinebant, ducibus Abigail Adams, Abby Kelley, Sara et Angelina Grimke, Lucy Stone etc. — In *Britannia* quoque „emancipatio politica" feminarum progressus fecit, praesertim auctore St. Mill, qui libro suo: The subjection of Women (1869 Londini, translatum a Stöckmann Berolini 1891) magis acute, quam vere eam propugnavit dicens, nos indolem feminae nescire neque ullam auctoritam sive regis sivi mariti a natura esse constitutam. — In *Germania* serius haec feminarum emancipatio coepit propagari, ducibus Malwida von Meysenberg, Luise Otto, Luise Büchner. Inprimis Lette et Lina Morgenstern Berolini institutionem oeconomicam et practicam (Volksküchen etc.) feminarum promovere studebant, id quod ante eos iam ex anno 1854 comitissa Butler-Haimhausen in Bavaria effecerat. Multae uniones feminarum constituebantur, quarum potiores sunt: Rote Kreuz-Vereine (Vaterl. Frauenvereine) 1863; Allgemeine deutschen Frauenvereine, 1865; Deutsch-evangelischer Frauenbund; Katholischer Frauenbund 1903 [1]); ad quas accedunt etiam uniones magistrarum scholarum primarum et secundarum: Verein kathol. deutscher Lehrerinnen 1885; Allgem. deutscher Lehrerinnen-Verein 1890. — Atque omnibus his agitationibus effectum est, ut hodie in Germania scholae superiores pro feminis a civitatibus multis locis fundentur (Lehrerinnen-Seminare, Mädchen-Gymnasien) et feminae etiam ad universitates admittantur; praeter instructionem in scholis, in quibus iam diu magistrae sunt ($^1/_3$ institutorum apud catholicos, apud protestantes $^4/_5$), etiam munera medici, pharmacopolae, iurisconsulti, inspectoris fabricarum, porro aliqua officia postalia et ferroviaria, telephona et telegrapha eis patent.

3. *Status praesens quaestionis et media solutionis:* Statistica docet, annis 1882—1895 mulierum mercede laborantium numerum crevisse 23,62 %, numerum autem mulierum in genere 13,46 %; virorum operantium numerus eodem tempore crevit solum 15,18 % et 13,77 %. Porro numerus nuptarum mer-

[1]) Folium periodicum: „Die christliche Frau". Anno 1906 haec unio habebat 11 200 socias. Eminent Elisabeth Gnauck-Kühne, Trimborn, Pauline Herber, Hamann, v. Carnap, Emmy Gordon, superiorissa Gertrud (comitissa Schaffgotsch) aliaeque multae (cfr. Rösler, Die Frauenfrage, 1907 [2], p. 514 sq.).

cede laborantium plus crevit quam non nuptarum: 1882 = 16,4%, 1895 = 19,9%. Hodie in imperio Germanico 6 600 000 mulieres mercede operantes numerantur; omnium nuptarum 12%, viduarum 44%, adolescentium 67% mercede laborant sive in fabricis negotiisque sive domi (Hausindustrie). Accedit, quod in Germania anno 1895 1 000 000, et in tota Europa 4 500 000 mulieres plures erant quam viri (cfr. supra p. 380). Quid igitur faciendum?

a) Labor mulierum restringendus est idque ubique i. e. *per leges internationales;* secus concurrentia tales leges alicuius civitatis irritas faceret eiusque industriam perderet. Primum igitur tempus pro labore mulierum abbreviandum est, sicut minorum (10 horae); deinde liberi infra 14 annos et nuptae vel omnino excludantur ex fabricis vel solum per paucas horas laborent (e. g. 5 horae). Quid inde sequeretur? Plures viri operantes conducendi essent, qui maiorem mercedem acciperent ac proinde melius uxores ducere vel eas cum liberis alere possent; uxores autem liberos melius educare et domum hortumque administrare possent; ita vita familiaris per industriam multis locis devastata iterum restitueretur. b) Adolescentulae operantes per *leges* — secus vix quidquam proficeretur — obligandae essent, ut scholas professionales vel a fabrica vel a communitate constitutas frequentarent, ne penitus ignarae rei domesticae, at tanto magis avidae luxuriae et vanitatis, adolescant. c) Mulieres mercede operantes et ipsae uniones quasdam et cooperativas constituere deberent ad conditionem suam promovendam, sicut operarii. Quum autem religio et moralitas feminis magis cordi sint magisque necessariae quam viris — ex natura enim religiosiores sunt ac destinatae ad pietatem liberis docendam — ipsis certe uniones cooperativae catholicae ad exemplum Berolinensium praeferendae esse videntur[1]). d) Feminae vero superioris conditionis, si nubere nolint vel nequeant, scholas frequentent, ut munere magistrae vel medici vel inspectricis etc. fungi possint. e) Feminae autem, quae in optima versantur conditione, adlaborent, ut conditionem sexus sui pro posse promoveant. f) Maxime autem curandum est, ut mulieres omnes animo christiano inspirentur; nam sine religione christiana tum quaestio socialis in genere, tum quaestio conditionis feminarum in specie solvi nequit. g) Denique virginibus catholicis patet ingressus in religionem, quum tot exsistant societates religiosae, quae omnibus necessitatibus humanis succurrunt. Atque haec vocatio religiosa elevat feminam ad statum dignissimum, eam facit sponsam Christi, ex manu viri eam liberat, independentem eam et Deo soli subiectam facit (cfr. supra p. 369). Inde est, quod illis temporibus et in illis nationibus, in quibus religio catholica vere floret, quaestio illa de sorte mulierum, hodie adeo discussa, non fuit audita[2]). — Ut igitur

[1]) Cfr. Braun, Organisation oder Schablone? 1906; contra Gnauck-Kühne, Einführung in die Arbeiterinnenfrage, 1905. — Hodie fere 24 000 feminae operantes in his cooperativis catholicis insunt (Verein erwerbstätiger Frauen). Iam anno 1895 in cooperativis socialisticis 40 666, anno 1905 in christianis fere 12 000 feminae inerant (Engel l. c. p. 207, Müller, 246 sq.).

[2]) Sic Holtzendorff protestans: „Die Jungfrauenfrage ist nahezu ausschliesslich auf die protestantische Staatenwelt beschränkt, gleich einer nur dem kleineren Teile der Erdfläche sichtbaren Sonnenfinsternis. In katholischen Ländern, namentlich in Südeuropa, ist auch heute dem Eheverzichte

quaestio socialis solvatur et ordo socialis recte constituatur, monente Pio P. P. X, oportet omnia restaurare in Christo; ipse enim solus est via, veritas et vita, qui dixit: „Quaerite primum regnum Dei, et omnia alia adicientur vobis."

und der Ehelosigkeit der Frauen ein Asyl geboten. Die eifrigsten Gegner der Mönchsklöster in Italien und Spanien pflegen sogar den Bestand der Nonnenklöster zu achten." Similiter Sophie von Hardenberg etiam ipsa protestans: „Im Mittelalter bis zur Reformation waren es die Klöster, welche die Frauenfrage lösten, und noch jetzt tun sie es in katholischen Gegenden" (cfr. alia testimonia apud Rösler l. c. p. 343). Quamquam saeculis elapsis per ecclesiae persecutores plurima et virorum et feminarum monasteria fuerunt dissoluta, et hodiedum ubique fere novis erigendis fiunt difficultates, attamen adhuc hodie fere 300 000 virgines Deo sacratae in domibus religiosis orbis catholici numerantur, plerumque aegris curandis vel puellis educandis deditae. Solo saeculo XIX, inprimis in Gallia et Belgica, 400 fere novae congregationes virorum, maxime autem feminarum ortae sunt, in quibus plus quam 50 000 virgines Deo et proximis serviunt. In *Gallia* 1901 (39 000 000 catholici) erant 214 037 religiosi = 30 136 viri et 183 901 feminae (possessio totalis fere 500 000 000 frs et 260 000 000 debita). — In *Italia* (23 000 000 catholici) religiosi, licet suppressi, anno 1900 dicuntur fuisse fere 50 800 = 13 500 viri et 37 000 feminae. — In *Hispania* (18 600 000 catholici) 15 944 religiosae numerantur. — In *Austria-Ungaria* anno 1901 (37 900 000 catholici) erant 33 283 religiosi = 9850 viri et 23 433 feminae. — In *Germania* 1899 (19 236 900 catholici) erant 37 081 religiosi = 4250 viri et 32 831 feminae. — In *Belgica* anno 1900 (6 650 000 catholici) erant 32 000 = fere viri 6000, feminae fere 26 000. Cfr. Braunsberger, Rückblick auf das kathol. Ordenswesen im 19. Jhrh., 1901 (L. Stimmen, Ergh. 79). — In sola dioecesi Trevirensi anno 1906 (1 207 906 catholici et 416 290 protestantes) erant 3652 religiosi = 667 viri et 2975 feminae. (Handbuch des Bistums Trier, 1906, p. 311). Mulieres igitur religiosae ter quaterve numero superant viros religiosos.

Addenda.

Pag. 15 adde notam ad synteresim: Vox ipsa synteresis per errorem inducta est ex textu s. Hieronymi (Comment. in Ezechiel. I, c. 1) falso intellecto; in eius enim manuscripto non synteresis, sed *syneidesis* legitur (cfr. Nietzsche, Ztschr. für Kirchengesch., 1907, p. 23; 1898, p. 1 sq).

Pag. 20 adde in fine lineae 21: Accedit, quod Evolutionistae falsum principium moralitatis supponunt, scilicet salutem publicam vel progressum generis humani (cfr. p. 35 et 41 sq.).

Pag. 26 adde ad 3 argumentum: Porro tunc moralitas in actibus individuorum, qui vitam socialem non attingunt, per se nulla inesset, praesertim in cogitatione et voluntate externe non manifestata, e. g. delectatio morosa, pollutio etc., id quod repugnat conscientiae nostrae et persuasioni hominum.

Pag. 34 (linea 15 ab infra) adde ante Mackintosh: Hartley († 1757) per associationem affectionis gratae vel ingratae cum eius obiecto vel causa originem boni vel mali explicat.

Pag. 36 linea 7 in fine adde: Frank-Thilly, Eisler etc.; porro in nota 2 adde Gutberlet, Der Mensch, 1896, p. 476 sq.

Pag. 51 adde in fine notae 2: Recte etiam Becher (Die Grundfrage der Ethik, 1908, p. 60 sq.). Kantii doctrinam impugnat; attamen ipse ex opposito deficit, statuens delectationem („algedonische" Gefühlswirkungen) tanquam finem actionis nostrae, eius autem normam et obligationem collocat in conscientia „rationali", quam putat constare ex dispositione voluntatis orta ex educatione et assuefactione (l. c. p. 56 et 143 sq.); est sententia Utilitarismi privati a Bentham et St. Mill proposita (cfr. supra p. 34 sq.), coniuncta cum sententia Evolutionismi voluntaristici (cfr. supra p. 18, 164 sq.), quae ethicam independentem facit ab omni metaphysica, praesertim a persuasione de Dei exsistentia et animae immortalitate.

Pag. 52 adde notam 1 linea 7 post faciat: Weiss, Apologie des Christentums, 1891[2], III, 1; Sechster Vortrag: Christl. Religion u. Religiosität. Siebenter Vortrag: Gesetz u. Freiheit.

Pag. 53 adde ad p. 5 ab infra notam 1: Weiss, Apolog., II[2], Zehnt. Vortrag.

Pag. 54 adde in fine lineae 20 a supra: Similiter sentiunt multi theologi protestantes, ut Rothe, Pfleiderer, Schwarz etc.

Pag. 62 linea 2 ab infra adde: Willmann, Gesch. des Idealismus, 1907[2], I, p. 446 sq.

Pag. 63 linea 1 ab infra adde: Willmann, Gesch. des Idealismus, 1907[2], I, p. 461 sq.

Pag. 69 ad notam 3 adde: Melanchthon expresse docet: „Esto fuerit quaedam in Socrate constantia, in Xenocrate castitas, in Zenone temperantia . . . non debent pro veris virtutibus, sed pro *vitiis haberi.*" Cfr. Pilatus, Quos ego! p. 94. Imo haec sententia ab ecclesia expresse damnata est in prop. Baii n. 25 et Quesnelli n. 42; vide Denzinger, Enchiridion n. 905 et 1257. Koch,

Lehrbuch d. Moraltheologie, 1907[2], p. 6 sq. — Porro in nota 2 adde: Kolb, Menschl. Freiheit u. göttl. Vorherwissen nach Augustin, 1908; Portalié, Diction. de théol. cath. Art. Augustin.

Pag. 74. De feminis mysticis: Johanna Maria de la Motte Guyon († 1717) et Anna Maria v. Schurmann († 1678) lege Rösler, Die Frauenfrage, 1907[2], p. 365 sq.

Pag. 82 adde ad argumentum 3: Idem patet ex fine nostro *subiective* ultimo, qui est perfectio nostra et felicitas ex actibus nostris moralibus resultans. *Atqui* qualis sit haec nostra i. e. humana perfectio et felicitas, cognosci nequit, nisi ex natura nostra perficienda et beatificanda; alia enim est brutorum, alia hominum perfectio et felicitas. *Ergo* natura humana est norma ac principium, ex quo moralitas actuum cognoscitur.

Pag. 166 adde in nota 4: Cfr. Quaest. disp. de veritate qu. 16 et 17.

Pag. 181 linea 26 in fine adde: Kirchenlexikon, VII, 1891 (Herder), Art. Alphons v. Liguori (Hellbach); Koch, Lehrb. d. Moraltheol., 1907[2], p. 101 sq.

Pag. 184 ad notam 2 adde: Quaest. disp. de veritate qu. 25 et 26.

Pag. 196 linea 12 post (cfr. Matth. etc.) adde: I Cor. 3, 12—15. Quaestio de hac distinctione peccatorum fuit valde controversa olim inter Kleutgen et Hirscher, deinde inter Linsenmann et Frick, inter Schell et Chr. Pesch, inter Kiefl et Stufler. Cfr. Koch, Lehrb. p. 136 sq. Si s. Augustinus (Enchir. c. 78) de hac distinctione peccatorum dicit: „Non humano, sed divino pensanda sunt iudicio", innuit difficultatem quaestionis, praesertim si de sola *subiectiva* intentione interna iudicium fit, non tamen *obiectivum* discrimen negat.

Pag. 211: *Jhering* definit ius: „Recht ist die Sicherung der Lebensbedingungen der Gesellschaft in Form des Zwanges" (Handwörterb. d. Staatswissenschaften, VI[2], 1901, p. 327). Ibidem *Stammler* bene advertit, ius praecedere civitatem, non solum eius finem esse; ipse definit ius: „Recht ist die ihrem Sinne nach unverletzbar geltende Zwangsregelung menschlichen Zusammenlebens", quae definitio non ipsam naturam iuris revelat. *Neukamp* (Elster, Wörterb. d. Volkswirtschaft, 1906[2], I, 436) fatetur, nos adhuc carere conceptu iuris: „Es mangelt noch vollständig am Begriff des Rechtes."

Pag. 222 linea 14 adde in fine: Imo etiam codex noster civilis irritat contractum offendentem „bonos mores" (§ 138) ac proinde ius naturale supponit; cfr. tamen Lehmkuhl, Das bürgerl. Gesetzbuch, 1900, p. 45.

Pag. 223 notae 2 adde: Errat igitur Stammler cum multis aliis auctoribus affirmans, doctrinam catholicam ius naturale idem habere cum lege divina revelata et per ecclesiam tradita.

Pag. 226 in fine notae 2 adde: Cfr. S. Thomas, Suppl. qu. 65, a. 1 ad quartum, ubi ius naturale triplex distinguitur: a) ad quod natura quemque inclinat; b) quod Deus, auctor naturae, constituit; c) quod hominibus cum brutis commune est („strictissimo modo accipiendo").

Pag. 231 linea 19 ad „origo religionis" adde notam 1. Kortleitner, De polytheismo universo etc. Oeniponte 1908; Anthropos, 1908, I, 125 sq.: Schmidt, L'origine de l'idée de Dieu.

Pag. 247 ad notam 1 adde: De stregarum processibus vide auctores apud Koch, Lehrb. etc., 1907[2], p. 408; Diefenbach, Der Hexenwahn vor und

nach der Glaubensspaltung in Deutschland, 1886; Der Zauberglaube des 16. Jhrh., 1900. Apud Treviros, lege Trier. Chronik, IV (1908) N. 8: Die Hexenprozesse in Trier und Umgegend. Marx, Gesch. d. Erzst., II, 88—150.

Pag. 256 ad lineam 23 a supra adde notam: 1. Krier, Der Beruf, 1899^{3}; Krier-Schofer, Das Studium und die Privatlektüre, 1904^{5}; Wetzel, Leitsterne, 1896^{3}; Der Weg zum Glück, 1906^{11} aliique plures auctores.

Pag. 260 adde in fine notae 1: Cfr. Diessel, Die Arbeit, betrachtet im Lichte des Glaubens, 1904^{3}; Leyrand, Le travail, 1904; Weber, Evangelium und Arbeit, 1898; Ulhorn, Die Arbeit im Lichte des Evangeliums, 1877.

Pag. 266 linea 22 adde notam 1. Cfr. Prov. 17, 17; 18, 19; Sirach 6, 14; Joh. 15, 13. Cicero, Laelius sive de amicitia, cc. 11, 22, 25; Aristoteles, Eth. Nicom. lib. VIII et IX.

Pag. 269 ad notam 3 adde: Paulus, Luther u. Lüge, Germania (Wissensch. Beilage, 1904, N. 18, 33, 35); Das Beichtgeheimnis und die Doppelehe des Landgrafen Phil. v. Hessen (Histor.-polit. Blätter 1905, p. 317 sq.).

Pag. 279 adde in fine notae: Cfr. Paulus, Luther u. d. Gewissensfreiheit, 1905; Diessel, Die wahre Toleranz, 1905; Montagrin, Histoire de la tolérance religieuse, 1905.

Pag. 285 adde ad notam 3: Imo iam in lege Hammurabi uxor adulterii accusata ordali se purgare debebat (§ 132); simile aliquid etiam in lege Mosaica invenitur (IV Mos. 5, 11—31).

Pag. 286. Lex nostra poenalis (§§ 201—210) de duello has poenas statuit: Qui alium *provocat* ad duellum et provocationem defert (Kartellträger) punitur *detentione* (Festungshaft) usque ad sex menses; qui vero intendit, adversarium duello interficere, usque ad duos annos. *Duellum* ipsum punitur detentione 3—60 mensium; qui adversarium in duello interficit, punitur detentione ad minimum duorum annorum, et si mors intendebatur, ad minimum trium annorum, et si insuper regulae duelli statutae laedebantur, usque quindecim annorum. Qui alios ad duellum excitat, duello secuto punitur *carcere* ad minimum trium mensium.

Pag. 329 ad notam 9 adde: Seipel, Die volksw. Lehren d. Kirchenväter, 1907.

Pag. 398 in fine notae 2, linea 2 adde: contra Loisy (cfr. Heiner, Der neue Syllabus, 1907, p. 205 sq.).

Pag. 423 in fine notae 2 adde: H. Pesch, Der Gang der wirtschaftl. Entwickelung (L. Stimmen 1903, p. 1 sq.).

Pag. 431 in linea 3 a supra addatur: Accedit *Mercantilismus*, praesertim a Colbert, Cromwell, Frederico II, rege Borussiae, propagatus, qui docebat, auctoritatem publicam omnem negotiationem dirigere debere; inde illud Ludovici XIV regis: L'état c'est moi; vectigalia contra importationem et praemia pro exportatione statuebantur.

Pag. 462 in fine notae 2 addatur: Idem (Cathrein) L. Stimmen 1904, I, p. 21: Die Strafreform und die kriminalistische Schule, p. 357: Strafrecht u. Zurechnungsfähigkeit.

Pag. 505: Cathrein l. c. Verbrechen oder Wahnsinn, II, p. 23: Begriff und Zweck der Strafe.

Pag. 508 adde in nota 4: Hamm, Zur Grundlegung u. Geschichte der Steuermoral, 1908.

Pag. 519 ad notam 3: Debita publica per se nondum sunt signum certum status oeconomici deterioris; potest enim esse, ut civitas ex pecunia mutua, e. g. in ferroviis, fodinis, telegrafis, fabricis, coloniis etc. collocata magnum lucrum percipiat, maius saltem, quam foenus solvendum; ita etiam negotiantes plerumque pecuniam mutuam adhibent ad lucrum faciendum.

Pag. 525: Adde in fine: Schindler, Die soziale Frage d. Gegenwart, 1906^{2}.

Pag. 530: Adde in fine: De conditione opificum Trevirensium medio aevo vide Kentenich, Der deutsche Handwerker am Schluss d. Mittelalters, 1904. Marx, Gesch des Erzstiftes Trier, I. 477 sq.

Pag. 543: Socii in cooperativis christianis in fine 1907 dicuntur fuisse: 284 649, quibus accedunt 80 594 operarii ferroviarii et postales; reditus erant 4 311 495 M.; expensa 3 193 978 M.; in cassa 3 487 735 M. (Paulinus-Beilage 1908, Nr. 27).

Pag. 544: linea 26 a supra post Wratislaviensi adde Warmiensi (Ermeland).

Pag. 546: linea 3 ab infra lege: ducibus R. D. Rink et parocho Hartmann.

Corrigenda.

Pag. 5 linea 4 ab infra post 1887 lege semicolon (;) loco commatis.
„ 6 „ 16 „ „ lege Halensis loco Hallensis.
„ 15 „ 14 „ „ adde materialis post causa.
„ 17 „ 1 „ „ „ colon post praecedentem.
„ 19 „ 1 a supra lege neve loco neves.
„ 21 „ 16 ab infra lege Carneades loco Corneades.
„ 22 „ 7 a supra lege variabilem loco veriabilem.
„ 28 „ 18 „ „ i. e. loco i. g.
„ 31 „ 5 ab infra lege hominis loco homines.
„ 32 „ 2 „ „ dele colon post doctrina.
„ 34 „ 11 „ „ insere post Nietzsche: praeeunte M. Stirner.
„ 45 „ 13 „ „ dele colon in fine.
„ 50 „ 14 a supra lege colon post est, dele post concedendum.
„ 57 „ 31 „ „ colon post mala.
„ 58 „ 16 ab infra lege colon post recognitionis.
„ 58 „ 5 „ „ „ sint, loco sunt.
„ 60 „ 1 „ „ adde: Grundbegriffe der Ethik, 1907.
„ 64 „ 1 a supra lege semicolon post delectatio.
„ 64 „ 6 ab infra lege medietas loco mediatas.
„ 65 „ 20 a supra lege democratia loco timocratia.
„ 73 „ 26 „ „ Hildegardem loco Hildegardim.
„ 73 „ 5 ab infra adde post divine 4 vol. et lege Poulain loco Poulin.
„ 73 „ 4 „ „ lege 1906^{5}; loco 1901; porro Schwabe loco Disteldorf.
„ 73 „ 2 „ „ „ ou loco au mysticisme.
„ 80 „ 2 „ „ „ Suaresium, De bonitate et malitia actuum humanorum disp. 2.

Pag. 86 linea 11 a supra dele: et specie.
„ 90 „ 8 ab infra lege docente loco docenti.
„ 92 „ 5 „ „ dele tum in fine.
„ 93 „ 4 „ „ lege subordinata loco subordinatae.
„ 109 „ 14 „ „ adde post 1893[2]: II, 2.
„ 172 „ 9 „ „ lege spontanei loco spontaneani.
„ 189-192 „ 1 a supra (in capite) lege proxima loco remota.
„ 189 „ 4 „ lege: § 2 loco Sect. III.
„ 191 „ 8 „ lege Thesis XIV loco XIII et omnibus deinceps thesibus unum numerum adde.
„ 228 „ 1 „ lege pantheisticus loco pantheisticas.
„ 228 „ 20 ab infra lege eum loco eam.
„ 230 „ 6 a supra lege ponendam loco ponendum.
„ 232 „ 4 „ lege Comte loco Spencer.
„ 235 „ 22 ab infra lege collocarentur loco collocabantur.
„ 238 „ 7 ab infra lege pueris loco infantibus.
„ 244 „ 6 „ adde Plato ante Acibiades.
„ 264 „ 5 a supra lege Tract. loco Sect.
„ 291 „ 4 „ „ „ „ „
„ 308 „ 1 ab infra lege 1890 : 342 M. loco 1890 : M.
„ 315 „ 7 „ „ „ annorum loco saeculorum.
„ 318 „ 6 „ „ „ Hibernia loco Irlandia.
„ 344 „ 9 „ „ „ completum loco conpletum.
„ 348 „ 14 a supra lege continuae loco continuo.
„ 351 „ 21 ab infra lege exoptantem loco exoptans.
„ 368 „ 5 „ „ „ Telegrafen-Dienst loco -Wesen.
„ 385 „ 6 a supra lege III loco II.
„ 397 „ 8 „ „ C. loco III.
„ 397 „ 20 „ „ a) „ A.
„ 398 „ 1 „ „ b) „ B.
„ 398 „ 12 ab infra lege c) „ C.
„ 400 „ 20 a supra lege a) „ A.
„ 401 „ 20 „ „ b) „ B.
„ 415 „ 4 ab infra lege expugnata loco expugnato.
„ 425 „ 12 „ „ adde saepe post eisdem.
„ 431 „ 18 a supra lege L. Brentano loco Bretano.
„ 438 „ 22 „ „ melius loco molius.
„ 457 „ 3 ab infra lege Heiner loco Hainer.
„ 468 „ 22 a supra adde in fine: aliud sentiunt.
„ 514 „ 16 „ „ initio: Sect. III.
„ 521 „ 2 ab infra lege Japones loco Japanos.
„ 544 „ 7 a supra lege nominatos loco nominatis.

Index auctorum et rerum.[1])

[1]) Numeri distinctius impressi significant, locis citatis de auctore vel re fusius tractari.